

37
16








# PRÆLECTIONES
## THEOLOGICÆ,
# DE SACRAMENTIS
## PŒNITENTIÆ,
## *ET*
## EXTREMÆ UNCTIONIS,


*Quas in Scholis Sorbonicis habuit*


## HONORATUS TOURNELY

*SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS Doctor, Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Professor, Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonicus.*










VENETIIS,

Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCXXXI.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*



# THEOLOGIÆ CANDIDATIS

# PRÆFATIO.



UAM dives ac multiplex ſit in reparandis humanæ noſtræ naturæ prolapſionibus divina bonitas & clementia, quis tam ingratus & beneficiorum Dei immemor, Dilect. Cand. qui non lubens agnoſcat & fateatur? Deperditam primi parentis lapſu, quam in ortu ſuo acceperat, innocentiam, plenè reparat aquę Baptiſmus, tam promptus quàm facilis: ſi verò pro humana fragilitate quis à baptiſmali juſtitia peccando exciderit, an illico deſperata & conclamata eſt ęterna illius ſalus? abſit. Pręſens ac paratiſſimum adeſt in Pœnitentia & Eccleſiæ clavibus remedium. *Accipite Spiritum ſanctum*, ait Chriſtus ſuos alloquens Apoſtolos: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Multiplex miſericordia Dei*, inquit S. Leo Epiſt. 62. aliàs 91. *ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolùm per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æterna*. Longè ante ipſum, cùm nondum ad Montaniſtas defeciſſet Tertullianus, dixerat: *Hæc venena providens Deus, clauſa licèt ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc patere permiſit. Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat*. Hanc *ſecundam* appellat *poſt naufragium tabulam, ſpem ſecundam*. Joa. 20. v. 21. T. 1. p. 605. Lib. de Pœnit. c. 8. p. 126.

Obſervat S. Auguſtinus L. de duabus animabus c. 14. *poſſe quidem aliquem dicere, non ſe peccare; at nullam eſſe barbariem quæ dicere audeat non eſſe pœnitendum, ſi peccaverit*. Tam altè ſcilicet ac intimè iſtud mortalium animis inſitum eſt, ſola pęnitentia ſupremi numinis criminum ultoris iram ac juſtitiam mitigari poſſe. T. 8. p. 90.

Non abſimilis quędam in Hęreticis pœnitentię noſtrę hoſtibus videtur eſſe barbaries ac duritia, qui vel aliquod irremiſſibile crimen agnoſcunt; vel ex animo pœnitentibus, veniam, quæ pęnitentiæ

fructus est, denegant. Ita ne verò extitisse homines tam duros & in semetipsos immisericordes, ut nescio quo desperatæ mentis furore, unicam, quæ post lapsum superest, salutis recuperandę viam spemque sibi miserè prҫcluserint? Fuere sanè, Dilect. Cand.

Nam primùm Montanistę, facta distinctione peccatorum quæ in
P. 156. proximum, & quę in Deum committuntur, illa condonari posse, hęc verò numquam posse affirmarunt. *Mundantur*, ajebat Tertullianus Montanista factus, L. de pud. c. 2. *delicta, quæ quis in fratrem, non in Deum admiserit*. Quasi quę in fratrem committuntur, in Deum ipsum ea prohibentem non committerentur. Non dissimulandum tamen, duos ab illis delictorum, quibus divina majestas lęditur, statutos ordines fuisse: alterum minùs gravium, & gravissimorum alterum; atque ista dumtaxat ab omni spe venię clavium ministerio consequendę ab illis exclusa penitus fuisse, etiam post exantlatos severioris pœnitentię labores. *Sunt*, pergit idem
P. 572. Tertullianus c. 19. *graviora & exitiosa quæ veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique & mœchia & fornicatio, & si qua violatio templi Dei*.

Postea Novatiani, initio suę ab Ecclesia defectionis, cùm nondum benè prҫconcepta atque animo informata gereret omnia erroris sui capita sectę parens Novatianus, solis idololatris in persecutione lapsis veniam denegasse visi sunt. Verùm cùm intellexissent laborare dogma suum, nec satis cohęrere secum, nisi longiùs progrederentur, subindè omnibus indiscriminatim post Baptismum delictis, veniam ab Ecclesia concedi non posse contenderunt. Ita
T. 1. Bib. PP. p. 309. testatur S. Pacianus in Epistola 3. ad Sympron. *Tractatus omnis Novatianorum*, inquit, *quem ad me confertis, undique propositionibus destinatis, hoc continet; quòd post Baptismum pænitere non liceat; quòd mortale peccatum Ecclesia donare non possit; imò quòd ipsa pereat recipiendo pęnitentes*. En quò prҫcipitat contumax ac superbus error; *Abyssus abyssum invocat*. Plùs sapit & arridet animo hҫretico,
1. Tim. 3. v. 15. Matth. 16. v. 18. dicere Ecclesiam periisse, quàm deposito errore, illam audire ac sequi ducem & magistram, *quæ columna est ac firmamentum veritatis, adversùs quam*, ipso sponsore Christo, *portę inferi non prevalebunt*.

Lapsos equidem dura atque aspera pœnitentia etiam ab Ecclesia diu castigandos esse, non diffitebantur veteres illi pœnitentię obtrectatores, verùm incassum & sine ullo fructu, si-
P. 74. ne spe veniæ ab Ecclesia obtinendę. *O frustrandæ fraternitatis irrisio!* exclamabat ea occasione S. Cyprianus Epist. 52. ad Antonian. *O miserorum lamentantium caduca deceptio! O hæreticæ institutionis inefficax & vana traditio! Hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam;*

*nam; dicere fratribus nostris, Plange & lacrymas funde, diebus ac noctibus ingemisce, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter ac frequenter operare; sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris. Quæcumque ad pacem pertinent facies, sed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis non statim pereat? Quis non ipsa desperatione deficiat?*

Profectò ingenii humani industriam omnem, laborem & æmulationem torpescere & extingui penitùs necesse est, ubi nullum conanti præmium, merces nulla proponitur. Quid ipsemet Christus? Annon *proposito sibi gaudio sustinuit crucem*? Hebr. 12. v. 2. *Homines*, ait S. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 16. *ad aliquod studium aut* T. 2. p.
*præmiis aut fructibus incitantur; omne verò studium torpescit dilatione*. 413.
Si agricolæ messis ac vindemiæ colligendæ, si militi victoriæ reportandæ, si nautæ portus obtinendi spem auferas, obsolescit omnis agrorum cultura, sagum & arma miles abjicit, quiescit nauta. Ita certè funditùs ruit ac è medio tollitur pœnitentia, quæ omni caret spe veniæ ab Ecclesia impetrandæ; *cuius fructus omnis*, ait sanctus Ambrosius, *intercipitur*. Atque inde quàm proclive est ad omnem morum licentiam fræna laxari!

At si quis fortè dixerit: *Ego occultè & in corde apud Deum pœnitentiam ago*: audiat ille Augustinum respondentem Serm. 392. aliàs Hom. 49. inter 50. *Ergo sine causa dictum est, Quæ solveritis in terra, soluta erunt in Cœlo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.* T. 5. p. 1504.

Audiant hæc etiam Novatores nostri Lutherani & Calvinistæ, ac tandem desistant Pœnitentiam è numero Sacramentorum Christi expungere, eamque cum Baptismo ejusque memoria tam imperitè confundere: desinant non aliam in Ecclesia dimittendorum peccatorum agnoscere potestatem, quàm quæ verbi Dei prędicatione constat, aut saltem mera & simplici declaratione peccati à Deo jam condonati. *Ergo sine causa dictum est, Quæ solveritis in terra, soluta erunt in Cœlo? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.* Dominus etenim à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*, quo tam insigni facto & verbis tam perspicuis, ajunt Patres Tridentini, *potestatem remittendi ac retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensu semper intellexit, & Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit atque condemnavit.* Jo. 20. v. 23. Seß. 14. de pœnit. c. 1.

Porro inter peccata vel in proximum, vel in Deum, ut Montanistis; aut gravissima, aut minùs gravia, ut Novatianis aliquando placuit, Christus non distinguit, neque etiam distinxit unquam Ecclesia: absoluta & generalis est sententia, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo*. Neminem ex animo
Matth. 18.v.18 pœnitentem à spe veniæ excludit Christus; nullum irremissibile crimen esse voluit. *Omnibus delictis*, ajebat Tertullianus ad-
P.I 2. huc Catholicus, Lib. de pœnit.cap.4. *seu carne, seu spiritu, seu facto seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem etiam & veniam per pœnitentiam spopondit . . . Non enim comminaretur Deus non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti*.

Crudeles illos pœnitentię ac humanæ salutis hostes debellandos hìc aggredimur, Dilect. Cand. ac satis, ut opinor, intelligitis, quàm grave ac salutare sit præsens istud argumentum; quàm sublime, arduum ac periculi plenum clavium ministerium, ad quod aliquando tractandum destinati estis, undę & vestra, & aliorum salus omnino pendet. Sedet in tribunali pęnitentię Sacerdos, animorum nostrorum judex idem ac medicus: ad utrumque verò munus quot & quantæ requiruntur dotes? In judice accurata legum notitia; animus in detegenda fraude solers ac perspicax, in tuenda justitia constans & inflexus, ab omni personarum studio & affectu alienus, prehensationibus, ne à vero deflectat, inaccessus; uno verbo, sit veri amans, legum ac disciplinæ cultor & tenax. Animorum verò medicus, quàm industrius, quàm sagax, prudens ac flexilis, ut occultas morborum causas solerter extricet, idonea pro varietate morborum, & personarum conditione adhibeat remedia; flectat duros & contumaces; impeditam fluctuantium conscientiam sublevet, & ad salutaria remedia, quamlibet aspera & amara, ultro admittenda suaviter adducat! Quàm verè & apposité Gregorius Magnus regimen animarum *artium artem appellavit*: quæ quidem ars eò momenti majoris ac necessitatis est, quòd sine dispendio salutis æternę ignorari à ministris Ecclesiæ non possit. Decretoria quidem est ac plena timoris hęc Christi sententia, *Nisi pœnitentiam*
Luc. 13. v. 3 *habueritis, omnes simul peribitis*: at quantum solatii ista conti-
Ezech. 18. v. 21 net, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est . . . . . vita vivet & non morietur: omnium ini-*
Isaia 1. v. 18 *quitatum eius non recordabor*. Et, *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Numquid*, ait rursus Deus apud

Eze-

Ezech. *voluntatis meæ est mors impii... & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Et S. Petrus; *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* C. 18. v. 23. 2. Petr. 3. v. 9.

Verùm, quod rei caput est, dignosci à vobis imprimis oportet, Dilect. Cand. quę sit pęnitentię natura & ratio, quę vis & efficacia; quæ partes, affectiones & conditiones, ut fructum ferre possit; quæ vetus, & pręsens ejus disciplina, ne fortè quis zelo prępostero antiquam revocando, Ecclesiam perturbet; quàm multi autem sunt qui hæc ignorant, ac falsa pœnitentiæ specie delusi miserè pereunt? *Quàm multi*, ait S. Augustinus Serm. 7. de temp. nunc 117. in Append. quasi pęnitentia ducti, *assiduè se dicunt esse peccatores, & tamen illos adhuc delectat peccare? Professio est, non emendatio: accusatur anima, non sanatur; pronunciatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. Quem facti pœnitet*, ait egregiè Lactantius L. 6. Instit. c. 24. *errorem suum pristinum intelligit; ideoque Græci meliùs & significantiùs μετάνοιαν dicunt, quàm nos possumus resipiscentiam dicere: resipiscit enim ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum ad rectiùs vivendum, tum illud ipsum maximè cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur.* T. 5. p. 213. P. 377.

Observat S. Gregorius Magnus in cap. 15. L. 1. Reg. tria in unoquoque veraciter pœnitente consideranda esse, videlicet *conversionem cordis*, seu contritionem, *confessionem oris*, *& vindictam peccati*, id est, satisfactionem; quæ quidem tres sunt quasi partes, quibus Sacramenti Pœnitentiæ constat natura vel integritas. Est autem earum quælibet, ut legitima sit, certis quibusdam legibus ac conditionibus adstricta, quas si quis ignoraverit, in tractando clavium ministerio cæcutiat oportet. T. 3. p. 2. p. 367.

I. Contritio inter illas partes ordine, natura & præstantia primum haud dubiè locum obtinet, cùm fieri nunquam possit, ut remittatur offensa quâ Dei majestas læsa fuit, sine intimo animi dolore ac detestatione offensæ Deo irrogatæ: quod ratio & natura ipsa contritionis importat. Qui enim est? *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*, quibus verbis Tridentina Synodus paucis ea omnia complectitur, quæ ad veræ contritionis naturam pertinent. Contritio. Conc. Trid. sess. 14. c. 4.

Dolor est animi, intimus scilicet & internus, verus ac sincerus, qui non in sensu, non in fictis lacrymis, aut inani verborum strepitu, non in motivo cujusdam naturalis commodi vel incommodi; non in quadã imaginationis superficie positus est, sed in intima voluntate ab omni peccati affectu aliena, quam ex mali fuga, ac bonorum operum fructu potissimũ dignoscetis. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra,* Cap. 2. v. 12.

clamabat ad carnales Judæos Propheta Joel. Et Joan. Baptista, *Pro-* Matt. 3. v. 8. *genies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Etenim tunc benè peccatorem T. 3. p. 2. 307. conversum cernimus, ait S. Gregorius Magnus in 1. Lib. Reg. *cùm digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur... In fructu, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est.* Et certè, T. 2. p. 9. ut idem sanctus Doctor advertit c. 9. 1. par. Curæ pastor. *fit aliquando ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare, quod amat.*

Dolor ille intimus, verus ac sincerus, detestationem includit de peccato commisso: id est, ait Synodus Trid. *non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & incboationem, sed veteris etiam* Ezech. 18. *odium continet*: juxta illud, *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis*; & *facite vobis cor novum & spiritum novum. Et certè*, pergit sancta Synodus, *qui illos Sanctorum clamores consideraverit, Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Laboravi in* Ps. 50. Psal. 6. Isaia 38. *gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; facilè intelliget, eos ex vehementi quodam antè actę vitę odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.

Præterea, dolor ille seu contritio universalis esse debet, atque ad omnia præterita peccata extendi, cum firmo proposito non peccandi de cętero; aliàs falsa & ficta esset contritio, vana & larvata pęnitentia, Cap. 3. v. 10. de qua meritò Deus apud Jeremiam conqueritur, *Non est*, inquit, *reversa ad me prævaricatrix in toto corde suo, sed in mendacio*. Quapropter Deus apud Isaiam c. 1. v. 16. ait: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum: quiescite agere perversè, discite benefacere.* Et verò, *Quid prodest si peccata luxuriæ quis defleat, & tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelet? Quid prodest, si iræ culpas iam lugeat, tamen adhuc invidiæ facibus tabescat?* verba sunt S. Gregorii Magni.

Ho. 39. in T. 1. p. 1609. Observate autem hìc diligenter, Cand. Dilect. ex Concilio Tridentino, contritionem aliam esse perfectam, aliam verò imfectam, seu minùs perfectam, quæ attritio solet appellari. Unde porro utriusque discrimen ac specifica distinctio desumenda sit, operosa profectò est quæstio, de qua nondum Ecclesia pronuntiavit: an repeti illa distinctio debeat ex motivo veræ ac propriè dictæ charitatis, seu amoris Dei propter seipsum, quo sola contritio perfici necessariò debeat, non attritio, an ex majori vel minori charitatis, quæ utrique communis sit, intensione seu perfectione graduum; an demùm ex

distin-

distinctis specie motivis, tùm charitatis, tùm spei; ita ut ad contritionem amor verę charitatis requiratur, attritioni verò, ut idonea sit ad Sacramentum Pęnitentiæ dispositio, amor, qui spei dicitur, sufficiat, totidem istæ sunt controversiæ, de quibus inter se disputant Scholæ Theologi. His verò jam sepositis, duo hìc certissima sunt & explorata, à quibus nemini Catholico licet discedere.

Primum, *etsi contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, nō esse adscribendam.* Expressa est Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. de Pœnitentia declaratio.

Alterum, *illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & penarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat,* (sancta Synodus) *non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Ibidem Sess. 14. cap. 4.

I nunc, & eorum, si potes, opinionem approba, qui 1. contritionem charitate perfectam præviam esse debere Sacramento Pęnitentiæ asserunt. Si ita esset, cur dixisset Concilium, *contingere aliquando eam esse charitate perfectam*? Dicere potius debuisset, necesse esse ut semper sit charitate perfecta. Si porrò ita esset, tota ferè superflua & inutilis redderetur Sacramenti vis & efficacia; & absolutio Sacerdotis simplex evaderet peccati jam dimissi declaratio, non vera relaxatio. Imò Sacramenta ipsa, quæ viam salutis certam & apertam demonstrare nobis ex sese nata sunt; quàm obscuram, incertam & perplexam redderent! hærente semper in animis scrupulo isto, an charitas perfecta quæ Sacramento prævia esse debet, eum habuerit perfectionis & intensionis gradum, qui soli Deo cognitus est; sine quo tamen Sacramentum debitè ac cum fructu percipi non potest. 2. Non minùs à vero aberrant, qui cum timore pœnæ semper conjunctam volunt, saltem implicitam & in intimis animi medullis latitantem, voluntatem peccandi. Ergo immeritò dixit Synodus: *Si voluntatem peccandi excludat . . . . . ad gratiam in Sacramento impetrandam disponit.* Supponunt manifestè Concilii Patres, per attritionem metu pœnarum conceptam excludi aliquando, non tantùm exteriorem peccati actum, sed etiam interiorem illius

com-

committendi voluntatem; alioqui quomodo ad gratiam in Sacramento percipiendam posset attritio hominem disponere? Non ergo solam manum, ut ajunt, timor cohibet, sed etiam interiorem animum: nam quo tandem modo cum iis gehennæ timor consisteret, quæ gehennam accersunt? *Volentem*
To. 5. p. 778. *peccare animum interiorem non finit* ait S. Aug. Serm. 161. aliàs 18. de verbis Apostoli. Et Lib. 2. contra Epistolam Petil. c.
To. 9. p. 218. 83. n. 184. *Intra claustra cogitationis coercet cupiditatem: hominem continet & custodit*. *Per timorem*, ait alibi sanctus Do-
In Psal. 127. T. 4. pag. 1439. ctor, *continent se à peccato: fit consuetudo iustitiæ, & incipit quod durum erat amari; & dulcescit Deus, & iam incipit homo proptereà iustè vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat iustitiam*. En progressus timoris servilis, qui ab odio & cohibitione peccati, ducit ad amorem justitiæ. *Timor*, ait rursus eximius Do-
T. 3. p. 2. p. 888. ctor Tract. 9. in Epist. S. Joan. *locum præparat charitati: cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantùm illa crescit, ille decrescit... maior charitas, minor timor... si autem nullus timor, non est quà intret charitas*. 3. denique, nobis turpiter ad invidiam imponunt, qui clamitant, magnum dilectionis Dei præceptum à nobis violari, qui solo pœnarum timore, sine ullo amore Dei, peccatorem ad gratiam in Sacramento percipiendam disponi asseveramus. Mera hæc est, mihi credite, calumniæ. Novimus primum illud esse ac maximum Le-
Matth. 22. v. 37. gis mandatum, *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*. Novimus cum Clero Gallicano in Comitiis generalibus anni 1700. *satis adimpleri non posse utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet*. Novimus ex Concilio Tridentino, eos qui se ad justificantem gratiam præparant, *incipere* debere *diligere*
Sess. 6. c. 6. *Deum, tanquam omnis iustitiæ fontem*. Neque porrò satis intelligimus, qui fieri possit ut excludatur voluntas peccandi, firmumque vitæ melioris, & omnium mandatorum Dei observandorum propositum concipiatur, sine aliquo prævio Dei amore, saltem inchoato & incipiente. Quin, judice ipsomet Angelico Doctore, timor, si verus est ac supernaturalis, amorem supponit.
p. 2. q. 25 ar. 2. *Timor mali*, ait, *nascitur ex amore boni, atque in ipso fundatur*. Verùm, Dilect. Cand. longè satius est & ad salutem ani-
To. 2. p. 1575. mæ longè opportunius, amorem Dei ejusque vim & efficaciam in se experiri, quàm de illo contensiosiùs disputare. *Si unusquis-*

*quisque vestrum inquiratur*, ait egregiè S. Gregorius Magnus, *an diligat Deum, tota fiducia & secura mente respondet, Diligo .... Veritas autem dicit: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis... verè etenim Deum diligimus, si ad mandata ejus nos à nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profectò Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit.* Jamdiu est ex quo pronuntiavit S. Augustinus Lib. de morib. Eccl. cap. 8. *Deum nobis esse summum bonum; neque infrà remanendum nobis esse, neque ultrà quaerendum: alterum enim periculosum, alterum nullum est.* To. 1 p. 691.

II. Ad animi dolorem seu contritionem, & ipsa oris sacramentalis confessio accedat necesse est, qua penitens post excussos diligenter omnes conscientiæ suæ sinus ac recessus, se reum agnoscat ac demisso animo fateatur. Divinam justitiam flectit vera, humilis ac sincera delictorum confessio. Statim ac David ex intimo animi sui dolore culpam confessus est, Deus ab ipso peccatum transtulit. *Si vis justificari*, ait S. Amb. Lib. 1. de Pœnit. cap. 6. *fatere delictum tuum: Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.* Et Tertull. L. de Pœnit. cap. 9. *Tantum relaxat confessio delictorum, quantùm dissimulatio exaggerat: confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.... satisfactio confessione disponitur, confessione penitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Confessio. To. 1. p. 416. P. 117.

Confessionis sacramentalis antiquam, & ipsi Ecclesiæ coævam originem, usum in Ecclesia constantem ac perpetuum, necessitatem, conditiones ac proprietates, fructus, sigillum, & alia hujusmodi benè multa vobis, Dilect. Cand. in his Prælectionibus nostris exposituri sumus. Prompto itaque ac diligenti animo, pro dignitate argumenti, in hunc Tractatum incumbite. Excipere Fidelium confessiones, salebrosum opus ac lubricum: in quo ministrum, nisi cautus & sagax fuerit in vera confessione à falsa & fucata secernenda, offendere ac labi facillimum est. Quàm multi enim occultè retento alicujus peccati affectu, sibi tamen de sua confessione, & absolutione Sacerdotis blandientes securiùs, Deo se reconciliatos confidunt. Audite Gregorium Magnum jam à nobis laudatum. *Tria*, inquit Comment. in caput 15. L. 1. Reg. *in unoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente: videlicet conversio mentis, confessio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei si peccata confiteatur? peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur. Nonnulli quidem sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo nequaquam detestantur: hi profectò confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt.* T. 4. p. 2. p. 367.

III. Se-

Satisfactio. III. Sequitur satisfactio, Pœnitentiæ pars integrans, quæ post condonatam culpam & pœnam æternam, tota destinatur ad pęnam temporalem, quæ luenda superest, relaxandam; neque enim fieri potest ut inulta remaneant, quæ læsa fuere, divinæ justitiæ jura. Omninò necesse est membra Christo capiti conformari: *Si quis vult venire post me*, ait Christus, *tollat crucem suam & sequatur me*. Unde Apostolus dicebat: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia*: seu adimpleo ea quæ *supersunt*, vel *reliquias* passionum Christi, non quidem in ipso Christo, sed *in corpore ejus quod est Ecclesia*, quia scilicet post solutum à Christo redemptionis nostræ infinitum ac superefluens pretium, cui deesse nihil potest, hoc unum restat, ut merita ipsius interventu nostrę privatæ satisfactionis, nobis communicentur & applicentur; *Si tamen compatimur, ut cum ipso conglorificemur*, ait Apostolus Rom. 8. v. 17. *Non sufficit*, inquiebat S. Augustinus Serm. de diversis 351. aliàs Hom. 50. inter 50. *mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pęnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis*.

Matth. 16. v. 24.

Coloss. 1 v. 24.

To. 5. p. 1302.

Inde pęnitentia laboriosus Baptismus appellatus, cujus quidem appellationis causam & rationem hanc reddit Synodus Tridentina, *Quia divinę iustitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurisantes nobis iram in die iræ*.

Sess. 14. c. 8.

Scitu dignissima est, Dilect. Candid. quam oculis vestris subjiciemus, Ecclesiæ veteris circa pœnitentes publicos severissima disciplina, in plures gradus distincta, & ad diuturnam temporis mensuram non rarò protracta. Nullibi profectò meliùs exprimitur, quanta sit offensę Deo per peccatum irrogatę gravitas & magnitudo. Et quamquam subsequentibus temporibus, ignavia & infirmitate pœnitentium, Ecclesia coacta quodammodo fuerit de priori sua disciplinę severitate plurimùm remittere, non tamen mutato disciplinę modo, mutata idcircò fuit ipsius mens atque sententia, quę ab eodem semper & immutabili Spiritu edocta etiamnum exigit, ut quę pœnitentibus imponuntur pœnarum satisfactiones, quamdam habeant, quantùm humana patitur infirmitas, cum numero

mero & gravitate delictorum proportionem. *Alto vulneri diligens & longa medicina non desit; pœnitentia crimine minor non sit*, ajebat S. Cyprianus Tract. de lapsis. Et S. Ambrosius in Psal. 118. Serm. 8. n. 26. *In ipsa Ecclesia*, inquit, *ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma iustitiæ, ne quis à communionis consortio abstentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata.... communionem facilitate Sacerdotis extorqueat*, quam quidem communionem & pacem mox laudatus S. Cyprianus, *novum* appellat *genus cladis*; *malum fallens*, *blandam perniciem*, *pacem periculosam ac præposteram*, *periculosam dantibus*, *& accipientibus nihil profuturam*. P. 187. To 1. p. 605. P. 172.

Multa hic prudentia & sapientia opus est, Dilect. Cand. quam rerum usus & experientia longè meliùs quàm verba, docebunt. Non raro exigunt personarum ac temporum ratio & circumstantię, ut inflectatur ac mitigetur Canonum rigor ac severitas: qua tamen in re illud semper atque ante omnia certum & exploratum esse oportet, veram esse ac sinceram pœnitentis conversionem. *In actione quippè pœnitentiæ*, quod Augustini monitum est, *non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris*, neque enim divinæ gratię tempora & momenta definire nostrum est. Corinthio gravissimi sceleris reo, durissimam, quam priùs imposuerat, pœnam, S. Paulus subindè mitigavit, *ne fortè*, inquit 2. Cor. 2. v. 7. *abundantiori tristitia absorbeatur*. Euch. c. 65 T. 6. f. 220.

Ut plerumque se res habent, duo hìc extremè opposita fugienda sunt: alterum est, nimia eorum facilitas & indulgentia, qui quibuslibet veniam & absolutionem promiscuè laxant & impertiunt, qui vel nullam, vel ita tenuem ac levem pro gravibus delictis pœnam imponunt, ut prò nulla habenda ferè sit: alterum verò, eorum inconsulta severitas, qui qualibet occasione supra modum austeram, difficilem ac diûturnam exigunt. Isti in desperationem ducunt, & à frequentando Sacramento timidos repellunt; illi periculosam securitatem audacioribus inspirant. Isti priorem disciplinam, austeram quidem ac maximè rigidam, intempestivo zelo ad usum revocandam exoptant; illi etiam pręsenti ac receptę disciplinę nervos incidunt.


IV. Denique, totius actionis pęnitentię consummatio ac fructus est absolutio, quam Sacerdos nomine Christi tanquam judex pronuntiat. Quamvis autem absolutio Sacerdotis, ut Tridentina Synodus decernit, *non sit solum nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo à Sacerdote, velut à iudice, sententia pronuntiaur*; quamvis Absolutio. Sess 14 c. 6.

vis functionem remittendi peccata Sacerdos exerceat, *est* tamen *absolutio*, ut eadem Synodus admonet, *alieni beneficii dispensatio*. Non ergo ad arbitrium promiscuè, sed ex voluntate Christi ac regulis ab ipso prescriptis concedenda. S. Hieronymus ad ista verba, *Tibi dabo claves regni Cœlorum*; *Locum istum*, inquit, *Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur*. Non ita est: eos solvere dumtaxat debent, quos in Cœlo solvit Christus; hoc est, eos qui digni sunt, & ex animo verè pœnitentes: non alios qui vel ex inveterato habitu peccant, à quo seipsos extricare minimè curant; vel aliena, quę suffurati sunt; bona restituere recusant; aut lęsam proximi famam reparare, aut cum inimicis reconciliari, aut proximam peccandi occasionem declinare &c. Regulas illas egregiè proposuit sanctus Carolus Borromęus, quas Clerus Gallicanus typis mandari jussit, ut in manibus omnium Sacerdotum, qui excipiendis confessionibus pręposíti sunt, ad exemplum & imitationem reponerentur.

To. 4. p. 1. p. 75.

Sed jam finis sit, Dilectissimi Candidati: his concludo Gregorii Magni verbis, quibus regulam pręscribit salutaris ac legitimę absolutionis. *Tunc vera est*, ait Hom. 26. in Evang. *absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur judicis . . . Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat*.

To. 1. p. 1555.



INDEX

# INDEX QUÆSTIONUM.



TER-

& ape-

QUAR-

ARTI-

FINIS INDICIS.

---

# NOI REFORMATORI
## Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato *Prælectiones Theologicæ de Sacramentis Pœnitentia & Extrema unctionis, quas habuit Honoratus Tournely*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Nicolò Pezzana, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padoa. Dat. 3. Giugno 1729.

{ *Gio: Francesco Morosini Kav. Ref.*
{ *Andrea Soranzo Proc. Ref.*
{ *Pietro Grimani Kav. Proc. Ref.*

Agoſtino Gadaldini Seg.

CANO-

## CANONES CONCILII TRIDENTINI
*De Sacramento Pœnitentiæ Seſſ. 14.*

CAnone I. *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe verè & propriè Sacramentum, pro Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum; anathema ſit.*

Can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint; atque ideò Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema ſit.*

Can. 4. *Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantùm eſſe Pœnitentiæ partes; terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata; anathema ſit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem: demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema ſit.*

Can. 6. *Si quis negaverit confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino; aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, ſed eam confeſſionem tantùm eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum, aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.*

Can. 8. *Si quis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam; aut ad eum non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti Fideles, juxta Concilii Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno; & ob id ſuadendum eſſe Chriſti Fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit.*

Can. 9.

Can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti; modò tantùm credat, se esse absolutum; aut Sacerdos non seriò, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.*

Can. 10. *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi Fidelibus esse dictum: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo; &, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam confessionem; anathema sit.*

Can. 11. *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere, quo minùs Sacerdos à reservatis verè absolvat; anathema sit.*

Can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.*

Can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis vel à Sacerdote injunctis, sed neque spontè susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam; anathema sit.*

Can. 14. *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.*

Can. 15. *Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad absolvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse, quòd virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema sit.*



PRÆLE-



# PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.



SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ait Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. de Pœnitentia, ut justitiam, in Baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam, constanter tuerentur; non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese posteà in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent; Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur.... Porrò nec ante adventum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Verba sunt Concilii, ex quibus facile est unicuique colligere, pœnitentiam sub duplici ratione considerari posse, nempè 1. ut est virtus, quæ omni tempore necessaria fuit lapsis in aliquod mortale peccatum, ut illius veniam ac remissionem à Deo impetrare possent. 2. ut est verum Sacramentum à Christo Domino institutum, iis duntaxat necessarium, qui post legem Evangelicam vixere, ac post susceptum Baptismum novis se criminibus coinquinarunt. *To. 14. Conc. p. 815.*

Unam verò Sacramenti rationem in Pœnitentia in præsenti disputatione sic considerabimus, ut nullus ignorare possit in quo posita sit pœnitentiæ virtus; utraque enim hæc, tùm virtutis, tùm Sacramenti ratio, sic jam conne-

xa est in Pœnitentia, ut ordinariè nec virtus prodesse possit sine Sacramento, vel ordine ad illud, nec Sacramentum sine virtute consistere, cujus omnes dotes in se complecti debet & continere, utratum sit & utile ad salutem.

Præsentem itaque hunc Tractatum in duodecim Quæstiones distribuemus.

Prima erit de nomine & definitione Pœnitentiæ, ac Hæreticis à quibus impugnata est auctoritas Ecclesiæ, dimittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ.

Secunda, de existentia, necessitate, & materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Tertia, de prima Pœnitentiæ parte, seu de contritione universim sumpta, prout abstrahit à perfecta vel imperfecta.

Quarta, de contritione perfecta.

Quinta, de contritione imperfecta, seu attritione.

Sexta, de confessione, quæ est secunda Pœnitentiæ pars.

Septima, de satisfactione, quæ tertia est pars Pœnitentiæ.

Octava, de Disciplina veteris Ecclesiæ circa satisfactionem, seu de pœnitentia publica.

Nona, de absolutione, seu forma Sacramenti Pęnitentiæ.

Decima, de ministro Sacramenti Pęnitentiæ.

Undecima, de effectibus Sacramenti Pęnitentiæ.

Duodecima, de Indulgentiis.

# QUÆSTIO PRIMA.

*De nomine & definitione Pœnitentiæ, ac Hæreticis à quibus impugnata est auctoritas Ecclesiæ in dimittendis peccatis.*

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De nomine & definitione Pœnitentiæ.*

*Varia Pœnitentiæ nomina.*

INter varia Pęnitentiæ nomina, alia sunt simplicia, alia verò composita, quæ ejus encomia & effectus exprimunt.

Apud Latinos pervulgatum est Pęnitentiæ vocabulum, quod à pęna, seu punitione deducunt Isidorus Hispalensis L. 6. Originum, & in Exhortatione ad pęnitentiam; & auctor Libri de vera & falsa pęnitentia apud S. Augustinum Tomo 6. ultimæ editionis in Appendice cap. 19. *Pœnitere*, inquiunt, *idem est ac pęnam tenere, ut nempè homo semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando.* *Tom. 6. Append. p.241.B.*

Apud Græcos idem planè significat *μετάνοια*, quod apud Latinos Pęnitentia. Si solum vocis etymon spectes, *μετάνοια* est *mentis mutatio seu resipiscentia*; *μετανοεῖν* quippè apud Græcos, idem est ac post, seu secundò cogitare.

Hac grammaticali ethymologia abusi Novatores Lutherani & Calvinistæ, docuerunt totam Pęnitentiæ rationem in sola mentis mutatione, ac proposito melioris vitæ ineundæ positam esse, non in dolore seu detestatione præteriti peccati, ac punitione illius per opera laboriosa & satisfactoria. Dal-

læus

læus tamen L. 3. de pœnis & satisfactionibus c. 2. Bellarmino concedit, *in communi Scripturæ usu, Pœnitentiam duo propriè complecti, dolorem nempè ex peccati, cujus nos pœnitet; sensu ortum; & vitæ emendandæ verum, non fictum, serium, non leve; aut inane propositum*: at nomine Pœnitentiæ significari *vindictam* seu satisfactionem pro peccato præterito susceptam, omninò ille pernegat.

Græci nomine exomologesis frequenter utuntur, ut significent, & confessionem, & totam Pœnitentiæ actionem. *Exomologesis*, ait Tertull. L. de Pœnit. c. 9. *prosternendi & humilificandi hominis disciplina est.... de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere*.. Pagina 127. A.

Generatim igitur Pœnitentia significat mutationem mentis, consilii, seu dolorem & tristitiam de re præterita sive bona, sive mala: de qua Apostolus. 2. ad Corinth. 7. v. 10. ait: *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur*. Hujusmodi pœnitentia quædam est commotio & perturbati animi affectio.

Cùm verò legimus in Scripturis, Deum rei alicujus pœnitere, v. g. fecisse hominem &c. figurata locutio est ad mores nostros accommodata: Pœnitentia quippè ista, non activè seu ratione affectus, hoc est, doloris, mutationis, tristitiæ &c. sed effectivè, debet intelligi, id est, propter effectus quos ita operatur Deus, ac si verè ipsum pœniteret; delevit enim opus suum, quod solent facere ii quos facti pœnitet.

Propriè apud divinos & Ecclesiasticos Scriptores Pœnitentia tria significat. 1. prioris vitæ mutationem, seu resipiscentiam. 2. odium & detestationem, seu intimum animi dolorem vitæ prioris. 3. pœnam seu punitionem quam in vindictam & expiationem malè actæ vitæ, peccator vel ultrò sibi imponit, vel impositam lubenti animo sustinet. Tria hæc simul complectitur Lactantius Institutionum Lib. 6. cap. 24. *Is*, inquit, *quem facti pœnitet, errorem suum pristinum intelligit: ideoque Græci meliùs & significantiùs μετάνοιαν dicunt, quam nos possumus resipiscentiam dicere; resipiscit enim ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errari piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum ad rectiùs vivendum; tum illud ipsum maximè cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur*.. An. 318. p. 379. n. 10.

I. Pœnitentia significat mentis in melius mutationem, seu resipiscentiam. Hanc haud dubiè indigitat Deus apud Isaiam c. 1. v. 16. *Auferte*, inquit, *malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite benefacere &c.* Hanc pariter designat S. Petrus Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite*, inquiebat Judæis, *& baptisetur unusquisque vestrum*. Hanc & S. Paulus 2. ad Corinth. 7. v. 10. *Quæ secundùm Deum*, ait, *tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Versu autem sequenti enumerat effectus hujus pœnitentiæ seu resipiscentiæ, nempè *sollicitudinem, defensionem, indignationem, timorem, desiderium, æmulationem, vindictam*..

II. Significat animi dolorem, seu detestationem præteriti peccati. Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me*, inquit Deus, *in toto corde vestro . . . scindite corda vestra & non vestimenta vestra*. Act. 2. v. 37. de Judæis qui Christum cruci affixerant dicitur: *His auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?* Quibus S. Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum in nomine Jesu*.

A 2. III. Si-

III. Significat punitionem, seu pęnam quam in vindictam scelerum homo pęnitens ex se repetit. Job ultimo v. 6. *Ago penitentiam in favilla & cinere.* Joelis 2. v. 13. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, fletu & planctu.* Matth. 11. v. 21. & Lucæ 10. v. 13. *Si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Hoc sensu Pęnitentiam describens Tertullianus in Libro quem de hoc argumento conscripsit, cap. 9. ait, *eam de ipso quoque habitu atque victu mandare, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare, jejuniis preces alere, ingemiscere &c.* Unde quando idem Auctor L. 2. contra Marcionem cap. 24. observat juxta græcum vocabulum pęnitentiam *non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione esse dictam*, non negat usu Ecclesiastico Pęnitentiæ nomine significari delicti confessionem, & animi dolorem ex ipsius sensu conceptum; sed contendit dumtaxat adversus Marcionem, pęnitentiæ nomen, quando Deo accommodatur, non arguere in ipso aut *delicti confessionem, aut cognitionis & providentiæ defectum*, sicut objiciebat Marcio, sed simplicem *prioris sententiæ conversionem*, quæ sine ulla ex parte Dei imperfectione esse potest, *ad solam*, inquit, *invidiam & exprobrationem ejus*, (hominis) *qui beneficii ingratus extiterit.*

*Pagina 117. A.* *Pagina 394. C.* *Pagina 393. C.*

Hoc triplici sensu à Scriptoribus Ecclesiasticis nomen Pęnitentiæ usurpari, multa demonstrant Veterum testimonia in decursu hujus Tractatus suo loco referenda.

Morinus L. 1. de administratione Sacramenti Pęnitentiæ cap. 1. n. 12. observat apud Græcos recentiores μετανοίας nomen in aliam omninò significationem translatum fuisse, nempè ad significandam humilem quamdam salutationem, quæ cum demissione ac incurvatione corporis præstatur, quæ cùm molesta sit & laboriosa, in pęnam seu Pęnitentiam ab ipsis imponitur; unde non frequenter apud eos legimus, sex vel octo μετανοίαις, Pęnitentias, id est, humiles prostrationes, in punitionem delicti, imponi.

*Pag. 4.* *Ibid. n. 13.*

Græci pęnas omnes in Pęnitentiam impositas, ab annis nongentis & amplius generali nomine appellant ἐπιτίμιον, pęnam, mulctam. Elegantem esse ac pervulgatum hujus vocis apud Græcos sive prophanos, sive sacros usum, nonnullis exemplis probant Gaspar Suicerus in suo Thesauro Ecclesiastico Tom. 1. pag. 1195. & Morinus loco mox citato n. 4.

Pervulgatum quoque est apud Græcos nomen *Exomologesis*, quo significant 1. gratiarum actionem. 2. delicti confessionem seu declarationem. 3. integram pęnitentiæ actionem. 4. tertium pœnitentiæ gradum, qui dicebatur substratio, de quibus suus erit infrà, ubi de Confessione sacramentali, dicendi proprius locus. Lege Suicerum To. 1. pag. 1143.

ἀπὸ τοῦ ἐπιτιμᾶν id est objurgare, punire; unde ἐπιτιμία objurgatio. 2. *Cor. 2.*

A Latinis nonnunquam Pœnitentia dicitur manus impositio, quia nempè solebant pęnitentes frequentibus Episcoporum & Cleri totius manuum impositionibus in decursu pęnitentiæ subjacere, atque etiam per solemnem & publicam illam manuum impositionem Ecclesiæ reconciliari: cujus rei infinita penè suppetunt exempla. Unicum hic sufficiat ex Concilio Carthaginensi IV. an. 398. Can. 76. *Is*, inquit, *qui pęnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt,*

*Tom. 2. Conc. p. 1205. E.*

*runt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.*

Nos in præsenti Tractatu, nomine Pœnitentiæ intelligimus simpliciter, ritum illum exteriorem, quo ministerio clavium dimittuntur peccata, quique verum est Sacramentum his constans partibus, contritione, confessione, satisfactione, & absolutione, de quibus sigillatim deinceps disseremus.

Pęnitentiæ nomina composita tot ferè sunt, quot illius apud Veteres encomia. Dicitur à Tertulliano L. de Pœnitentia cap. 4. à S. Cypriano Epistola 9. & à Conc. Trid. Sess. 6. cap. 14. *secunda post naufragium tabula*. Ut enim confracta navi, unum vitæ servandæ perfugium reliquum est, si fortè tabulam aliquam de naufragio liceat arripere; ita post amissam Baptismi gratiam, nisi quis ad Pœnitentiæ tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est.

Dicitur etiam à multis, *Baptismus laboriosus*; quia perinde ac Baptismus, animam purgat à sordibus peccati, ob intimum quem includit, animi dolorem de peccatis, ac toleratos in eorum *vindictam, labores*.

Dicitur à S. Chrysostomo Homil. 7. de Pœnitentia, *remedium quod peccatum tollit; donum cæleste, virtus admirabilis, gratia legum cursum superans.* Et Hom. 8. *Pœnitentia*, inquit, *est medela delictorum, consumptio iniquitatum, effusio lacrymarum, fiducia apud Deum, armatura contra diabolum, gladius ejus caput abscindens, spes salutis, desperationis profligatio &c.*

*Ed. postr. T. 2. p. 327. B*
*Ibid. p. 341. A.*

*Definitio Pœnitentiæ.*

Cùm Pœnitentia spectari possit, vel ut virtus, vel ut Sacramentum, utroque respectu definienda est.

Pœnitentia quatenus virtus, definiri seu describi rectè potest, *Virtus qua homo movetur ad odium & detestationem sui peccati, ad firmum melioris vitæ propositum, & sui vindictam in compensationem injuriæ Deo illatæ.* Colligitur hæc definitio, tùm ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. tùm ex Catechismo Romano parte 2. de Pœnitentiæ Sacramento n. 7. tùm ex SS. Patribus. Singulæ autem illius definitionis partes per se sunt manifestæ; & quidem de odio & detestatione peccati, de proposito melioris vitæ, & pęna in vindictam peccati sustinenda, patet ex jam dictis, quibus ex dicendis inferiùs lux major & confirmatio accedet. Additur verò, *in compensationem injuriæ Deo illatæ*, quæ verba innuunt, quod probat S. Th. 3. parte q. 85. art. 3. pęnitentiam pertinere ad virtutem justitiæ commutativæ, qua reparatur injuria Deo per peccatum illata.

Pęnitentia quatenus Sacramentum, definitur *Sacramentum à Christo Domino institutum, quo, per juridicam Sacerdotis absolutionem, homini contrito & confesso remittuntur peccata post Baptismum commissa.*

Dicitur 1. *Sacramentum à Christo Domino institutum*: quæ ratio generica est, & Pęnitentiæ, sicut & aliis novæ Legis Sacramentis, perinde convenit.

Dicitur 2. *quo per juridicam Sacerdotis absolutionem remittuntur peccata*: quibus verbis & minister, & modus ministerii, & effectus Sacramenti Pęnitentiæ significatur. Minister, nempè Sacerdos; modus ministerii juridicus,

dicus, ex vera ſcilicet poteſtate remittendi peccata, non verò declarandi tantùm ea eſſe remiſſa; effectus denique, nempè remiſſio peccatorum, quam ex ſe ſemper aptum eſt conferre Sacramentum Pœnitentiæ, ſi adſint in pœnitente neceſſariæ conditiones.

Dicitur 3. *quo remittuntur peccata poſt Baptiſmum commiſſa*: quæ poſtrema verba innuunt, Sacramentum Pœnitentiæ baptiſatis diſpenſari ſolummodò poſſe, atque in ea dumtaxat peccata vim ſuam exerere, quæ poſt Baptiſmum patrata ſunt; præcedentia enim per Baptiſmum perfectè deleta & expuncta ſupponuntur.

Dicitur 4. *quo remittuntur peccata homini contrito & confeſſo*: quibus verbis, duæ materiales, vel quaſi partes, contritio nempè & confeſſio ex parte pœnitentis omninò neceſſariæ deſignantur. Contritionem verò hìc generatim ſumimus, prout abſtrahit à perfecta & imperfecta, & includit odium peccati, propoſitum melioris vitæ ac ſatisfactionis perſolvendæ; quæ tria ad pœnitentiam, ut virtus eſt ſpecialis, pertinent: unde facilè colliges, dotes omnes virtutis pœnitentiæ neceſſariò includi ac præſupponi in ipſo Pœnitentiæ Sacramento.

## ARTICULUS II.

*De Hæreticis à quibus impugnata fuit auctoritas Eccleſiæ dimittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ.*

Duplex generatim ſtatui poteſt Hæreticorum ordo qui auctoritatem hanc impugnavere: alii indirectè tantùm & quaſi per latus, alii verò directè & aperta fronte eam aggreſſi ſunt.

Inter primos computandi ſunt

I. Ii omnes qui ſublato boni & mali diſcrimine, nullum in perfectis agnoſcebant peccatum, quamtumvis turpia & obſcæna patrarent. Tales fuere veteres Gnoſtici, id eſt ſpirituales & perfecti, qui ſua falſa & ementita ſpirituali ſcientia & perfectione ita ſuperbiebant, ut per contemptum cæteros Chriſtianos *Pſychicos, id eſt, carnales, animales, ac de ſæculo* appellarent.

Ed. poſtr. p. 30. n. 3. Ibid. p. 104. n. 4. — Docebant, teſte S. Irenæo Lib. 1. contra hæreſes cap. 6. aliàs 1. *intimoratè omnia quæ vetantur..... de quibus Scripturæ confirmant, quoniam qui faciunt ea, Regnum Dei non hæreditabunt*; & quæ, ait cap. 25. aliàs 24. *non tantùm dicere & audire non eſt fas nobis, ſed ne quidem in mentis conceptionem venire*, (adeo ſunt turpia & obſcæna) *eos qui ſunt ipſorum perfecti, operari*: quia impoſſibile eſt illos inde corruptelam contrahere: unde à nonnullis *Borboritæ* dicti ſunt, quaſi cœnoſi, propter nefandam turpitudinem, qua ſe inter myſteriorum ſuorum celebrationem polluebant. Ita S. Auguſtinus Lib. de hæreſibus cap. 6. Theodoretus L. 1. hæreticarum fabularum cap. de Borborianis.

Gnoſticorum deliria & turpitudines ſub finem quarti ſæculi excitarunt in Hiſpania Priſcillianiſtæ, teſte S. Aug. hæreſi 70. & Severo Sulpitio in fine ſecundi libri Hiſtoriæ ſacræ; & ſæculo ſuperiori, ex Anabaptiſtis, ſceleratiſſimi illi homines, qui ſe Spirituales appellabant, & vulgò *Libertini* dicebantur, libertatem chriſtianam in hoc collocantes, quòd homini regenera-

nerato omnia licita forent. Adversùs istos Calvinus Opusculum scripsit sub hoc titulo; *Adversùs fanaticam & furiosam sectam Libertinorum, qui se spirituales vocant, instructio*. Nostris quoque diebus jamdiu obsoletum commentum istud revocarunt crassiores Quietistæ, ab Innocentio XI. proscripti solemni Constitutione data anno 1687. die 20. Novembris. Apud illos verò Hæreticos, cùm nullus foret peccati sensus, nullus quoque esse potuit locus Pœnitentiæ.

II. Cajani, non modò Ecclesiæ, sed & ipsi Christo potestatem denegarunt purgandi certa quædam peccata. *En consurgit mihi*, ait sanctus Hieronymus Epist. 82. aliàs 83. ad Oceanum, *Cajana hæresis, atque olim emortua vipera contritum caput levat, quæ non ex parte, ut antè consueverat, sed totum Christi subruit Sacramentum. Dicit enim esse aliqua, quæ Christus non possit purgare sanguine suo.* Ed. postr. Tom. part. 2. p. 645.

III. Quicumque ex Veteribus fatalem ex syderibus peccandi necessitatem induxere, ii pariter tollendo peccata, Pœnitentiam ipsam de medio sustulisse censendi sunt. Ita Manichæi, & ii qui Mathematici vocabantur, de quibus S. Cæsarius Arelatensis Sermone 253. relato in Appendice Tomi. 5. Operum S. Augustini postremæ editionis pag. 415.

IV. Qui lapsis pacem & communionem temerè laxabant, nulla peracta pœnitentia, ii quoque indirectè saltem ac per latus, Pœnitentiæ necessitatem impetebant; atque, ut conqueritur S. Cyprianus Epist. 40. apud Pamelium, in recenti verò editione Anglicana 43. *ruinam salutis & eversionem animarum inducebant*. Ità Felicissimus & alii quinque Presbyteri Felicissimo sociati, referente ibidem S. Cypriano. Ed. Rigalt. p. 55. Edit. Oxon. 1682. p. 81.

V. In idem vitium incurrere ii, qui non pœnitentia, sed exacto pretio dimittenda esse peccata garriebant, de quibus S. Maximus Taurinensis Episcopus Hom. 10. ex vulgatis à Mabillonio, Musæi Italici Tom. 1. An. 466.

Inter alios verò qui directè impugnavere auctoritatem Ecclesiæ in dimittendis peccatis, isti præcipui fuerunt.

### *Montanistæ.*

A Montano sectæ parente dicti Montanistæ; à Provincia Phrygiæ unde oriundus ille erat, Cataphryges; à Pepusa vico, ubi conventus suos celebrabant, Pepusiani. Ita Theodoretus L. 3. hæreticarum fabularum cap. 2. De variis Montani deliramentis, & ipsi addictis duabus vesano spiritu correptis mulieribus, Priscilla & Maximilla, lege fragmentum Apollinaris Hierapolitani apud Eusebium L. 5. Hist. c. 16. Ed. Vales. pag. 179.

Quoad præsens nostrum argumentum, Montanistæ docuerunt

I. Inter peccata alia esse quæ in proximum, & alia quæ in Deum committuntur: priora non tantùm remitti posse, sed etiam debere ab Ecclesia, fatebantur, teste Tertulliano in Libro de pudicitia, quem Montano addictus scripsit. *Mundantur*, inquit cap. 2. *delicta, quæ quis in fratrem, non in Deum admiserit*. A quo autem mundari seu remitti illa peccata censebant Montanistæ? ab Ecclesia sanè: neque enim illi contendebant aliquod esse tam grave peccatum, quod remitti à Deo non posset. Pagina 256. C.

II. Distinguebant peccata contra Deum, in ea quæ remissibilia, & quæ

A 4 irre-

ibid. irremissibilia vocabant. *Causas*, inquit ibid. Tertullianus, *pœnitentię*, *delicta condicimus*. *Hec dividimus in duos exitus : alia erunt remissibilia, alia*
Ibid. D. *irremissibilia .... secundùm hanc differentiam delictorum, pœnitentię quoque conditio discriminatur : alia erit, quę veniam consequi possit, in delicto scilicet remissibili; alia, quę consequi nullo modo possit, in delicto scilicet irremissibili.*

III. Peccata irremissibilia, in doctrina Montanistarum, non erant quælibet, ut nos appellamus, mortalia peccata, sed inter mortalia gravissima, nempè idololatria, homicidium, mœchia &c. *Sunt*, inquit idem
Pagina 572. B. Tertull. c. 19. *graviora & exitiosa quæ veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique & mœchia & fornicatio, & si qua alia violatio templi Dei*. Idem jam dixerat cap. 1. Inter illa verò peccata, quæ remissibilia vocat Tertullianus & mediocria, seu, ut ait, *quotidianæ incursionis*, sunt multa mortalia, quæ ideo remissibilia seu venia-
ibid. B. lia dicit, quòd sint leviora aliis gravissimis peccatis. *Joannes*, inquit c. 19. *commendavit quòd sint quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes sumus objecti. Cui enim non accidit, aut irasci iniquè & ultra solis occasum; aut & manum immittere, aut facilè maledicere, aut temerè jurare, aut fidem pacti destruere; aut verecundia, aut necessitate mentiri? In negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in anditu quanta tentamur? ut si nulla sit venia istorum, nemini salus competat*. Peccata hæc, ut dixi, non sunt illa levissima quæ nunc vocari solent absolutè venialia, sed plerumque mortalia, leviora tamen si comparentur aliis; quæ propterea remitti posse ab Ecclesia concedebant Montanistæ: aliis verò gravissimis, veniam à solo Deo, non ab Ecclesia indulgeri posse contendebant. Catholici è contra, nullum crimen excipiebant, quod ab Ecclesia remitti non posset.

Quòd verò his peccatis, quæ remissibilia vocabant, veniam ab Ecclesia indulgeri posse existimarent Montanistæ, patet ex eodem cap. 19. Lib. de
Pagina 571. A. pudicitia. *Pœnitentia*, inquit Tertull. *Dei clementiam ad se invitat, salva tamen illa pœnitentię specie, quę aut levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit, aut majoribus & irremissibilibus à solo Deo.*

IV. Pro gravissimis illis peccatis, quæ remitti ab Ecclesia non posse contendebant Montanistæ, pœnitentiam agendam esse non negabant, quamquam nullam ab Ecclesia veniam illa consecutura foret. Ità colligitur ex Tertulliano c. 3. citati jam Libri. Ibi quippè respondens huic objectioni Ca-
Pagina 556. tholicorum, *Frustra scilicet agi pœnitentiam, quæ caret venia*, ait : *Meritò utique ita opponunt, quoniam hujus quoque pœnitentiæ fructum, id est veniam, in sua potestate usurpaverunt,... Quantùm autem ad nos qui solùm Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non frustra agetur. Ad Dominum enim remissa, & illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quòd eam à solo Deo exorat, quòd delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quòd Ecclesię mavult erubescere, quàm communicare. Adsistit enim pro foribus ejus, & de notæ suæ exemplo ceteros admonet, & lachrymas fratrum sibi quoque advocat, & redit plùs utique negotiata, compassionem scilicet, quàm*
Pagina 571. B. *communicationem*. Et cap. 19. *Hec erit*, inquit, *pœnitentia, quam & nos deberi quidem agnoscimus multò magis, sed de venia Deo reservamus*. Ex his itaque patet, Montanistas gravissimorum criminum reis pœnitentiæ actionem coram Ecclesia non recusasse, nec illam omninò inutilem dixisse, imò potius necef-

necessariam ad veniam obtinendam, non quidem ab Ecclesia, sed à Deo. Ejusmodi autem pœnitentes intra fores Ecclesiæ consistebant: si qui verò adhuc magis horrenda perpetrassent, ii longiùs à foribus Ecclesiæ propellebantur. *Reliquas autem*, inquit idem Tertull. cap. 4. ejusdem Libri, *libidinum furias impias, & in corpora & in sexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* P. 557. B.

Quo ergo sensu, inquies, Tertullianus citati Libri cap. 21. concedit habere Ecclesiam facultatem dimittendi etiam gravia peccata?

Resp. Tertullianum eò loci nomine Ecclesiæ abusum fuisse, nec intellexisse visibilem Fidelium cœtum sub regimine Pastorum, sed ipsam invisibilem Trinitatem, à qua sola contendit obtineri posse illorum peccatorum veniam. *Ecclesia propriè & principaliter*, inquit ibidem, *est ipse spiritus in quo est Trinitas unius divinitatis . . . . Et ideo Ecclesia delicta donabit &c.* Nomine igitur Ecclesiæ intelligit ibi Tertullianus SS. Trinitatem. P. 574. C.

## *Novatiani.*

A Novato & Novatiano dicti sunt Novatiani; dicti quoque Cathari, id est, puri. Novatus Carthaginensis, Novatianus Romanus fuit Presbyter, duo planè distincti homines, sicut testantur Veteres, S. Cyprianus Epistola 43. & 49. Eusebius in Chronico, Cornelius S. Pontifex apud Eusebium Lib. 6. Hist. cap. 43. S. Pacianus Epistola 2. & 3. ad Sympronianum, S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, & alii. Sectæ auctor fuit Novatus, assertor & propagator Novatianus. Novati inquietam & turbulentam indolem, superbiam, fastum, sævitiam graphicè depingit sanctus Cyprianus Epistola 49. quæ est ad Cornelium: Novatiani verò mores ac vitia perstringit Cornelius S. P. in sua ad Fabium Epistola apud Eusebium L. 6. Hist. c. 43. & S. Cyprianus Epistola 57. ad Cornelium.

Novatus furtim Carthagine Romam se recepit, ubi Novatiano invidiæ stimulis agitato propter electionem Cornelii in summum Pontificem, sese adjunxit; atque cùm facto schismate se in Pseudoepiscopum Romanum ordinari à temulentis Episcopis curasset Novatianus, schismati errorem ambo addidere, nempe spem omnem veniæ ab Ecclesia obtinendæ lapsis auferendo.

*Novatus* (legi debet *Novatianus*) inquit Eusebius loco mox indicato, *Ecclesiæ Romanæ Presbyter, arrogantia adversùs eos elatus, quasi nulla spes salutis ipsis posthac superesset, tametsi omnia explerent quæ ad sinceram conversionem puramque confessionem pertinent, propriæ cujusdam sectæ eorum qui tumore mentis elati seipsos Catharos,* (idest, puros) *cognominant, auctor extitit.* P. 241. In eo igitur versabatur capitalis error Novatianorum, quòd negarent *Ecclesiam habere potestatem dimittendi peccata iis, qui in persecutione lapsi fuerant.* Quòd si qui Novatianum non erroris, sed nimiæ dumtaxat severitatis arguerunt, utimprimis Atticus quidam apud Socratem L. 7. Hist. cap. 25. ii errore facti laborarunt; rati Novatianum ex rigore & amore dumtaxat disciplinæ, non ex desperatione indulgentiæ per Ecclesiam obtinendæ, lapsos in persecutione ita rejecisse. Verùm ut penitùs cognoscatur Novatiana hæresis, tres veluti ipsius gradus sunt distinguendi.

I. Initio defectionis ab Ecclesia, cùm nondum Hæresiarchæ animo benè præ-

præconcepta ac præformata haberent erroris sui omnia capita, solis idololatris in persecutione lapsis veniam denegasse videntur, non aliis. Ita enim videtur colligi posse tùm ex Eusebio Lib. 6. c. 43. & Socrate Lib. 4. cap. 28. ubi occasionem & exordium erroris Novatiani non aliud fuisse significant, quàm quòd à Cornelio qui cum lapsis communicabat recessissent, & iisdem lapsis veniam ab Ecclesia dari non posse contenderent; tùm ex S. Cypriano Epistola 52. ad Antonianum versùs finem, ubi ex praxi ipsa & agendi ratione Novatianorum erga mœchos & adulteros, quos ad pacem admittebant, arguit & probat debere eos pari conditione idololatras excipere, ut nempe post pœnitentiam veniam obtineant; tùm ex testimonio Attici Episcopi Constantinopolitani apud Socratem Libro 7. Hist. cap. 25. *Ego*, inquit, *illum* ( Novatum ) *laudo, quòd cum iis qui sacrificaverant communicare noluerit. Idem enim & ipse fecissem. Novatianos verò minimè probo, qui ob levia delicta laicos à communione excludunt.*

P. 367. B.

Dissimulari tamen non debet, S. Ambrosium L. 1. de Pœnit. cap. 3. observare Novatianum existimasse omnia pariter peccata non posse ab Ecclesia remitti; atque distinctionem peccatorum remissibilium & irremissibilium à discipulis Novatiani postmodum excogitatam fuisse.

II. Cùm Novatiani intellexissent non satis cohærere dogma magistri sui cum praxi & disciplina quam erga mœchos & adulteros observabant, omnibus planè delictis post Baptismum commissis veniam non posse ab Ecclesia indulgeri apertè docuerunt. Testantur id innumeri ferè Scriptores: Eusebius loco citato, & apud ipsum L. 7. c. 8. Dionysius Alexandrinus, Atticus apud Socratem loco mox citato, S. Ambrosius L. 1. de Pœnitentia c. 1. & 2. S. Pacianus Epistola 3. ad Sympronianum, ubi sic loquitur: *Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propositionibus destinasti, hoc continet: Quòd post Baptismum pœnitere non liceat; quòd mortale peccatum Ecclesia donare non possit, imò quòd ipsa pereat recipiendo peccantes.* Idem prorsus testantur Philastrius Lib. de hæresibus c. 34. S. Epiphanius hæresi 59. Theodoretus L. 3. hæreticarum fabularum c. 5. S. Augustinus L. de Agone Christiano c. 31.

Biblioth. PP. T. 4. p. 309. C.

III. denique, nonnulli Novatiani magistri sui dogma paulò emolliendum ac temperandum sibi esse duxerunt, concedendo saltem Ecclesiæ potestatem dimittendi leviora peccata. Ita significat sanctus Ambrosius Lib. 1. de Pœnit. cap. 3: *Aiunt* ( Novatiani ) inquit, *se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus.... In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à nobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini.*

Edit. postr. T. 2. p. 393. B.

Quæres 1. an Novatiani negaverint peccatorum gravissimorum veniam à Deo posse concedi?

Resp. nusquam eos istud negasse: testis Socrates L. 4. Hist. c. 28. *Novatus*, inquit, *scripsit ad omnes ubique Ecclesias, ne eos qui dæmonibus immolaverunt, ad sacra mysteria admitterent; sed ut hortarentur quidem eos ad pœnitentiam, indulgentiam autem criminum relinquerent Deo, penes quem jus arbitriumque est crimina remittendi.* Testis S. Ambrosius Lib. 1. de Pœnit. c. 2. *Aiunt*, inquit, *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservant.*

P. 245. B.

T. 2. p. 391. D.

Quæ-

Quæres 2. utrum Novatiani lapsis in graviora crimina negarent pœnitentiæ actionem?

Resp. non negasse. Patet ex Socrate mox citato, ex S. Ambrosio citato Libro cap. 1. & ex sancto Cypriano Epistola 52. ubi respiciens ad illam Novatianorum praxim, exclamat: *O frustrandæ fraternitatis irrisio! ò miserorum lamentantium caduca deceptio! ò hæreticæ institutionis inefficax & vana traditio, hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam; dicere fratribus nostris, Plange & lacrymas funde, & diebus & noctibus ingemisce....sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris.* Edit. Rigalt. p.74.

*Massaliani, Meletiani, Apostolici, Luciferiani, Petrus de Osma.*

Massaliani, qui & *Euchytæ*, ab oratione dicuntur, ait S. Joannes Damascenus L. de hæresibus, tantam precibus vim tribuebant, ut per eas solas sine Baptismo & Pœnitentia homines à peccatis mundari affirmarent. *Tanta est eorum arrogantia*, ait S. Damascenus, *ut eos qui apud ipsos sensum illum Spiritus sancti perceperint, beatos prædicent, veluti perfectos, & ab omni culpa liberos, peccatoque superiores . . . Illos item qui variis criminibus obnoxii ad se confugiunt, nullo pœnitentiæ edito fructu, nulla Sacerdotum auctoritate muniti, nulla habita ratione graduum, quos Ecclesiastici Canones pœnitentibus præscribunt, omni se statim peccati labe mundaturos pollicentur.* εὐχῖται Edit. post T. 1. p. 91. D. p. 98. A.

Meletiani à Meletio dicti, ait S. Augustinus L. de hæresibus cap. 48. *nolentes orare cum conversis, id est, eis qui in persecutione ceciderunt, schisma fecerunt.* S. Epiphanius hæresi 68. Meletium excusare videtur, quasi protrahendam dumtaxat voluerit, non omnino negandam lapsis in persecutione pœnitentiam. T. 8. p. 17. G. T. 1. p. 718. A.

Apostolici, sic dicti, eo quòd, ait S. Augustinus L. de hæresibus cap. 40. *in suam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes. Nullam veniæ spem lapsis relinquebant*, teste S. Epiphanio hæresi 61. *Ideo sunt heretici*, pergit S. Augustinus, *quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent. Encratitis* ( id est, Continentibus ) *similes sunt, nam & Apotactitæ appellantur*, ( id est, Renuntiatores. ) T. 8. p. 11. E.

Luciferiani à Lucifero Caralitano Episcopo nomen duxerunt. Existimabant illi non esse in suis gradibus recipiendos Episcopos & Clericos qui Arianæ hæresi consenserant, & ea subinde damnata, ad Ecclesiæ fidem redierant; sed ad Laicorum dumtaxat sortem & communionem amandandos. Ita S. Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos; unde abstinebant illi à conventibus & communione eorum, qui tales Episcopos pœnitentes recipiebant.

Petrus de Osma Theologus Salmaticensis anno 1478. damnatus fuit à Sixto IV. S. Pontifice, ob multas, quas asseruerat propositiones, inter quas hæc erat, *Peccata mortalia quoad culpam & pœnam alterius seculi, sola cordis contritione sine confessione & ordine ad claves remittuntur.*

*Uvi-*

*Uvicleſitæ, Huſſitæ, Lutherani, Calviniſtæ, De Dominis.*

De variis illorum Hæreticorum calumniis & mendaciis quibus catholicum dogma deformant, atque Catholicis ab eorum planè mente alienas opiniones affingunt, lege Bellarminum L. 1. de Pœnit. c. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

Quantùm verò ad eorum ſententiam circa Sacramentum Pœnitentiæ.

I. Joannes Wiclef & Joannes Hus docuerunt, Sacerdotem verè non abſolvere; malum Sacerdotem nec abſolvere, nec alia Sacramenta verè conferre. Ita Thomas Valdenſis Tomo 2. de Sacramentis c. 141. Ita quoque colligitur ex Concilio Conſtantienſi.

II. Lutherus viſus eſt aliquando Pœnitentiam inter vera Sacramenta reponere. In Libro de Captivitate Babylonica, non procul ab initio, ait: *Principio neganda mihi ſunt ſeptem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda, Baptiſmus, Pœnitentia, Panis.* Verùm in fine ejuſdem Libri, hanc ſuam ſententiam revocare videtur. *Si rigidè,* inquit, *loqui velimus, tantùm duo ſunt in Eccleſia Sacramenta, nempe Baptiſmus & Panis . . . . Nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his duobus accenſui, ſigno viſibili & divinitùs inſtituto caret; & aliud non eſſe dixi, quàm viam ac reditum ad Baptiſmum.* Eandem Lutheri inconſtantiam ſecutus eſt Melancthon in locis communibus ann. 1543. editis. Nihilominus ſi ad Lutheranorum praxim attendamus, videntur illi Pœnitentiæ Sacramentum retinere: utuntur enim parvo
P. 165. Catechiſmo quem compoſuit Lutherus, in quo, referente bonæ memoriæ Illuſtriſſimo & doctiſſimo Meldenſium Epiſcopo Libro 3. Variationum cap. 48. Miniſter audita confeſſione omnium peccatorum quorum recordatur pœnitens, eum ſic interrogat: *Numquid credis remiſſionem quam tibi do, eſſe remiſſionem Dei? Reſpondet pœnitens: ita. Tùm Miniſter, Et ego ex Chriſti mandato remitto tibi peccata tua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Auſbourg. III. Qui in Apologiam Confeſſionis Auguſtanæ jurarunt, ii proculdubio Pœnitentiam inter Sacramenta reponere tenentur; apertè enim in illa Apologia dicitur: *Verè igitur ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Cœna Domini, Abſolutio quæ eſt Sacramentum Pœnitentiæ.*

IV. Multi inter Lutheranos è numero Sacramentorum Pœnitentiam expunxere, quam à memoria Baptiſmi non diſtingui voluerunt. Ita Melancthon loco citato, Kemnitius in examine Conc. Trid. ad Canonem decimum de Baptiſmo, & ad Canonem primum de Pœnitentia. Contendit ille primam originem Sacramenti Pęnitentiæ, quale fuit à Catholicis excogitatum, ductam eſſe ex ſpectaculis acerbæ ac publicæ pęnitentiæ, quam magna ſeveritate vetus Eccleſia in manifeſtis & atrocibus criminibus ſervabat.

Calviniſtæ poſt parentem ſuum Calvinum L. 4. Inſtitutionis cap. 19. paragr. 17. negant Pœnitentiam Sacramentum eſſe à Baptiſmo diſtinctum, cujus memoria, propter apprehenſionem fidei, peccata Baptiſmum ſubſequen-
P. 541. tia remittit. *Aptiſſimè dixeris,* ait Calvinus, *ſi Baptiſmum vocaveris, pœnitentiæ Sacramentum, cùm in confirmationem gratiæ & fiduciæ ſigillum iis datus ſit, qui pęnitentiam meditantur.* Inde duo inferunt maximè commoda: primum, eadem facilitate peccata remitti poſt Baptiſmum, ac in Baptiſmo. Alterum, nullas ſupereſſe pęnas luendas peccatis remiſſis poſt Baptiſmum,

utnul-

ut nullæ supersunt cùm peccata in Baptismo condonantur. Non negant quidem Calvinistæ cum Novatianis, quibus anathema dicunt, Ecclesiam habere potestatem dimittendi peccata post Baptismum; sed contendunt dumtaxat, potestatem hanc per verum Pęnitentiæ Sacramentum à Baptismo distinctum non exerceri.

Atque inde commune tùm Lutheranorum tùm Calvinistarum dogma fuit, Sacerdotis absolutionem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò credat se esse absolutum; quam doctrinam damnavit Conc. Trid. Sess. 14. c. 6. & Can. 9. Ista pariter Christi verba, *Quorum remiseritis peccata &c.* non intelligunt de potestate remittendi peccata in Sacramento Pęnitentiæ; sed de auctoritate prædicandi Evangelium, adversùs quam interpretationem editus est Canon 2. ejusdem Sessionis.

Marcus Antonius de Dominis Spalatensis Archiepiscopus & apostata Lib. 5. de Republica Ecclesiastica cap. 7. & 12. circa Pęnitentiam docet 1. sola peccata externa, publica, scandalosa & manifesta subjecta esse clavibus Ecclesiæ, quæ proinde ab ea solvi possunt vel retineri; peccata verò occulta, quæ solum Deum habent testem, sola interiori pęnitentia sanari & remitti à Deo. Ita cap. 12. n. 51. Ibidem n. 41. docet 2. peccata illa externa, quæ clavibus Ecclesiæ subjiciuntur, verè ac propriè tam quoad culpam, quàm quoad pęnam ab ea dimitti coram Deo, quia promisit Christus solvenda fore in Cœlis, quæ soluta sunt in terra. Numero verò 51. exponens modum quo Ecclesia peccata dimittit, ait, *non quidem directè, sed indirectè tantùm ea dimittere*, nempe ex divina promissione ac concessione, quatenùs scilicet, soluto per Ecclesiam exteriori vinculo anathematis & excommunicationis, in quo tota ejus consistit auctoritas, *clave*, inquit, *non errante, Deus peccata interiùs dimittit*. Numero verò sequenti, ait peccata, prout sunt offensa Ecclesiæ, *directè* sub eo respectu ab illa dimitti, *indirectè* verò prout sunt offensa Dei. Sic se putat ad concordiam adduci posse Novatores & Orthodoxos, circa quæstionem hanc, an Ecclesia verè dimittat peccata, aut dimissa tantùm esse à Deo declaret. 3. Eodem n. 52. docet auctoritatem Ecclesiæ in solvendis vel retinendis peccatis exterioribus & manifestis, sacramentalem non esse, seu verum Sacramentum; atque in eo discrimen statuit inter modum quo remittuntur peccata per Baptismum, & per reconciliationem, *quòd actio ministrantis Baptismum*, inquit, *fit sacramentalis & verum Sacramentum*; *actio autem reconciliantis*, *neque est sacramentalis propriè*, *nec verum Sacramentum*. His historicè narratis, ad probationem dogmatis Catholici deveniendum nobis est.

QUÆ-

# QUÆSTIO SECUNDA.

*De existentia, necessitate, & materia Sacramenti Pœnitentiæ.*

TRes erunt hujus Quæstionis Articuli.

Primus, de existentia & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ: an Christus Ecclesiæ suæ auctoritatem concesserit dimittendi peccata quælibet per verum & propriè dictum Pœnitentiæ Sacramentum, atque singulis Fidelibus necessitas incumbat subjiciendi se clavibus Ecclesiæ.

Secundus, de natura hujus auctoritatis: an scilicet sacramentalis absolutio verè & propriè coram Deo peccata dimittat, vel declaret solummodò ea esse dimissa.

Tertius, de materia Sacramenti Pœnitentiæ.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De existentia & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.*

*Utrum Christus Ecclesiæ suæ auctoritatem concesserit dimittendi qualibet peccata per verum & propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ.*

DUplex hìc oppugnandus error, & opposita veritas orthodoxa confirmanda: Novatianorum scilicet; qui ab Ecclesia auferunt remittendorum saltem graviorum peccatorum auctoritatem; & Lutheranorum ac Calvinistarum, qui negant auctoritatem hanc exerceri per verum & propriè dictum Sacramentum omnibus post Baptismum necessarium.

*Probatur adversùs Novatianos, Christum Ecclesiæ auctoritatem dedisse remittendi omnia peccata, nullumque esse hac in vita crimen irremissibile.*

### CONCLUSIO.

Christus Ecclesiæ suæ concessit auctoritatem dimittendi peccata, nullumque est hac in vita crimen irremissibile.

Probatur 1. ex Scripturæ testimoniis, tùm iis quibus potestatem hanc se daturum promittit Christus, tùm iis quibus eam de facto concedit, tùm iis denique quibus constat Apostolos tradita sibi auctoritate usos fuisse.

I. Matthæi 16. v. 19. Christus sancto Petro ait: *Tibi dabo claves regni Cælorum; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum.* Sub metaphora clavium, remittendi vel retinendi peccata, aperiendi vel claudendi Cœlum potestas promittitur sancto Petro, & in ejus persona toti Ecclesiæ. Ita locum hunc intellexit Tertullianus in Scorpiaco cap. 10. *Si adhuc*, inquit, *clausum*
P. 496. A. *putas Cœlum, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.* Ita quoque exponunt innumeri alii Scriptores Catholici, quos laudat

laudat Launojus Theologus Parisiensis T.7.Epistolarum,Epistola quę est ad Fromentinum. Non immeritò cum Maldonato in Tractatu de Pęnitentia Thesi prima observari potest, citatis verbis Christum, singularem aliquam S. Petri prærogativam, seu primatum supra cæteros Apostolos designasse, cùm nempe auctoritas dimittendi peccata, quæ omnibus communis futura erat, omnibus in persona S. Petri tanquam primatum obtinentis, promittitur.

Cap. 18. ejusdem S. Matthæi v. 18. eandem potestatem omnibus Apostolis distinctè promittit. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.* Quo testimonio usi sunt olim Patres Africani anno 252. in Epistola Synodica inter Epistolas S. Cypriani 54. ut decernerent nulli lapso pęnitentiam agenti pacem & communicationem denegandam esse. P. 76.

II. Apud S. Joannem cap. 20. v. 21. quam promiserat, de facto confert Apostolis dimittendi peccata auctoritatem. *Sicut*, inquit, *misit me Pater, & ego mitto vos .... Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto*, ait Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. de Pęnitentia, *& verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit: & Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit.* T. 14. Conc. p. 816. A.

III. Concessa sibi à Christo dimittendi peccata auctoritate, usi sunt Apostoli,

Usus est S. Paulus, qui 2. ad Corinth. 2. incestuosum quem satanæ tradiderat in carnis interitum, post duram pęnitentiam, benignè suscipit & Ecclesiæ restituit, *ne fortè*, inquit v. 7. *abundantiori tristitia absorbeatur. Propter quod*, pergit Apostolus, *obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem*, ac statim declarat, se in persona Christi hanc incestuoso veniam indulsisse. *Nam & ego*, inquit, *quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Quem locum contra Novatianos urgebat S. Ambrosius L. 1. de Pęnit. cap. 7. his verbis: *Jus sibi vindicavit Paulus acceptum, non usurpavit indebitum.* Et cap. 16. *Cùm igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos auctoritate dimittendum negatis? Quis reverentior Christi, Novatianus, an Paulus? Sed noverat Paulus Dominum misericordem, noverat Dominum Jesum severitate magis Discipulorum offensum, quàm misericordia.* Eo exemplo adeo se urgeri & premi sensit Tertullianus Montanista factus, ut c. 14. Lib. de pudicitia, coactus fuerit negare unum & eundem hominem esse, cui S. Paulus 1. Corinth. 5. pęnitentiam injunxit, & cui 2. Corinth. 2. veniam concessit. T. 2. p. 399. D. Ibid. p. 413. B. P. 565. D.

Eadem auctoritate dimittendi peccata usus est S. Joannes erga juvenem illum, quem è perditissima vita quam inter Latrones, quorum dux factus erat, degebat, revocatum, ac pęnitentiæ lachrymis purgatum Ecclesiæ reddidit. Hanc historiam ex Clemente Alexandrino referunt Eusebius L. 3. Hist. c. 23. S. Chrysostomus L. 1. ad Theodorum lapsum c. 11. Baronius ad ann. Christi 98. n. 18. & alii.

In his

In his porrò testimoniis nulla fit peccatorum levium aut graviorum discretio, sed omnia pariter clavibus Ecclesiæ subjiciuntur: omnia pariter ligari & solvi possunt: nullum quoque discrimen peccati publici vel occulti, quantùm ad necessitatem illud subjiciendi Ecclesiæ clavibus, sicut somniavit antea citatus Spalatensis. *Nemo*, inquit S. Augustinus Sermone 392. aliàs Homilia 49. inter 50. *sibi dicat*, *Occultè ago*, *apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscat*, *quia in corde ago* ( penitentiam ). *Ergo sine causa dictum est, Quæ solveritis in terra, soluta erunt in Cælo? Ergò sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.*

T. 5. p. 1104. E.

Ad hæc accedunt infinita propemodum paternæ Dei erga nos clementiæ ac misericordiæ argumenta, quibus significat, nolle se ut quisquam pereat, nullum esse tam grave ac enorme crimen, cujus verè penitentibus veniam & indulgentiam non concedat.

Isaiæ 1. v. 16. *Lavamini, mundi estote.... quiescite agere perversè, discite benefacere .... & venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Ezechielis 18. v. 21. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est .... vita vivet & non morietur: omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Rationem subjicit, cur tam amanter eos invitat ad penitentiam. *Numquid*, ait v. 23. *voluntatis meæ est mors impii ...... & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Quibus verbis consonat S. Petrus Epistolæ 2. c. 3. v. 9. *Nolens*, inquit, *aliquos perire, sed omnes ad pænitentiam reverti*. Fluit hæc immensa Dei erga nos benignitas, velut rivulus à fonte, à vera & sincera, non ficta, non externa tantùm Dei pro salute omnium voluntate.

S. Pacianus Epistola 1. ad Sympronianum illustriora collegit ac complexus est hujus divinæ erga nos indulgentiæ ac clementiæ exempla. *Quid illa*, inquit, *tot similitudinum Dominicanarum argumenta respondent? Quòd dracbmam invenit mulier, & gratulatur inventam. Quòd pastor ovem reportat erraticam. Quòd filio revertenti post prodacta omnia bona, & cum meretricibus & fornicariis epotata, pater blandus occurrit, & invidum fratrem ostensa ratione castigat? Filius ( inquiens ) meus hic mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus est. Quid ille in via vulneratus, à Levita & Sacerdos præteritus? Nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat Ecclesiis. Ephesios desertæ dilectionis accusat; stuprum Tiathyrenis imputat; Sardos in opere cessantes; Pergamenos docentes diversa reprehendit; Laodicenorum divitias inurit; & tamen omnes ad penitentiam satisfactionis invitat.* His exemplis & aliud adjungitur, immane scilicet & execrabile facinus Judæorum, qui Christum Dominum crucifixerunt: at non tantùm pro iis oravit Christus, sed & Petrus Act. 2. ubi eis exprobravit, quòd *hunc per manus iniquorum affigentes interemissent*; ne tamen desperarent v. 38. addit: *Penitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; & accipietis donum Spiritus sancti.*

To. 4. Biblioth. PP. p. 306. G.

Eò referendæ tam frequentes comminationes Scripturæ in eos qui penitentiam non agunt. Lucæ 13. v. 3. *Nisi pænitentiam habueritis, omnes simul peribitis*. At, ut rectè arguit Tertullianus L. de penit. cap. 8. *non comminaretur* ( Deus ) *non penitenti, si non ignosceret pœnitenti.*

P. 116. C.

Com-

Communis ac trita hæc est SS. Patrum doctrina.

S. Hilarius in caput 118. Matth. n. 10. *Neque fas est*, inquit, *nos ex præscripto* P. 701.
*legis, dandæ veniæ numero concludi; cùm per Evangelii gratiam sine modo fuerit* D.
*nobis à Deo indulta.*

S. Ambrosius L. 2. de Pœnit. c. 4. n. 26. *Omnibus conversis*, inquit, *pollicetur* T. 1. p.
*veniam, quia scriptum est, Omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus* 412. B.
*erit*. Et L. 1. cap. 2. dixerat: *Dominus nullum crimen excepit, qui peccata dona-* ibid. p.
*vit omnia.* 391. B.

S. Hieronymus Epistola ad Oceanum de Bigamia. *Frustra*, inquit, *mortuus*
*est Christus, si aliquos vivificare non potest. Mentitur Joannes Baptista, & di-* T. 4. p.
*gito Christum & voce demonstrans*, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mun- 646.
di, *si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit.*

Denique S. Augustinus cùm L. 1. de Sermone Domini in monte dixisset, esse T. 3. p.
aliquod peccatum ad mortem, quod remitti non potest, Lib. Retractationum 1. p. 197.
1. c. 19. n. 7. ait, *Addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finie-* T. 1. p.
*rit hanc vitam. Quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto, non est uti-* 31. A.
*que desperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.*

Clarissima hæc Scripturæ ac Traditionis testimonia ut infirmarent ac eluderent Hæretici, multa absurda & ridicula confinxerunt, quæ à SS. Patribus, Ambrosio imprimis & Paciano, invictè confutata ac penitus contrita sunt.

Dicebant 1. peccata illa à Deo remitti, cui soli jus illud competit; atque Deo injuriosos esse, qui jus ipsius alteri tribuunt.

Respondebat S. Ambrosius, ipsosmet Novatianos, non verò Catholicos, T. 2. p.
Deo injuriosos esse: *Nulli enim*, inquit L. 1. de Pœnit. c. 2. *majorem injuriam fa-* 391. D.
*ciunt, quàm qui ejus volunt mandata rescindere.... Nam cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. quis est qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit?*

Respondebat S. Pacianus Epistola 1. ad Sympronianum: *Quod per suos* Bibliot.
*Sacerdotes facit Christus, sua potestas est*. Et Epistola 3. *Quod ego facio*, in- PP. T.
quit, *id non meo jure, sed Domini: Dei enim sumus adjutores*. Quasi diceret, 4. p. 306. H.
Christum esse causam principalem remissionis peccatorum, Sacerdotes verò ibid. p.
ministerialem seu instrumentalem. *Quare*, pergit ibidem, *sive baptisamus, si-* 310. H.
*ve ad pœnitentiam cogimus, seu veniam petentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus*. Ibidem premit Novatianos à paritate & exemplo Baptismi quem ipsi conferebant, nec tamen se Deo injuriosos esse propterea fatebantur, quòd in Baptismo peccata dimitterent. Quare igitur injuriam Deo inferre dici possunt, qui per Pœnitentiam peccata remittunt, cùm utrobique eadem sit auctoritas à Deo accepta? Eodem Baptismi exemplo Hæreticos pre-
mebat S. Ambrosius Lib. 1. de Pœnit. c. 8. aliàs 7. *Cur baptisatis*, inquiebat, *si per* To. 2. p.
*hominem remitti peccata non licet? In Baptismo enim utique remissio peccatorum* 400. B.
*omnium est: quid interest utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi*
*datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est*. Et c. 3. aliàs 2. ibid. p.
*Distinctionem*, inquit, *peccatorum facitis quæ solvenda à nobis putetis, & quæ sine* 393. C.
*remedio esse arbitremini: sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.*

Dicebant 2. citata Scripturæ testimonia intelligenda esse de levioribus peccatis in proximum, non de gravioribus in Deum ipsum commissis.

*Ibid. p. 393. C.* Respondebat S. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 3. *Deum nullam fecisse distinctionem, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.*

Dicebant 3. testimonia Scripturæ laudata Ecclesiæ judicio & auctoritati subjicere quidem peccata quæ præcedunt, non verò quæ sequuntur Baptismum.

Respondebat S. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 8. Ecclesiam per Pœnitentiam relaxare peccata post Baptismum commissa, sicut per Baptismum relaxat ea quæ præcesserunt. *In Baptismo*, inquit, *utique remissio peccatorum omnium*
*Ibid. p. 400. B.* *est. Quid interest, utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. Sed dicis* (pergit sanctus Doctor) *quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo: Ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam; ubi vultis, repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiæ, non sancti timoris est, ut fastidio vobis sint, qui volunt agere Pœnitentiam.*

Dicebant 4. Apostolis quidem concessam esse à Christo potestatem dimittendi peccata, non aliis.

Respondebat S. Pacianus Epistola 1. jam citata, *Ergo & baptisare solis li-*
*Bibliot. PP. To. 4. pag. 307. A.* *cet Apostolis, & Spiritum sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quàm Apostolis imperatum est? .... Si ergo & lavacri, & chrismatis potestas majorum longè charismatum ad Episcopos inde descendit; & ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi.*

Dicebant 5. se non denegare Ecclesiæ auctoritatem ligandi, quæ potest imponere pœnarum vincula; sed denegare auctoritatem solvendi, quam Deus sibi soli reservavit.

Respondebat S. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 2. ad eandem pertinere pote-
*To. 2. p. 391. A.* statem, ligare & solvere. *Dominus*, inquit, *par jus esse voluit solvendi & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit.* Deinde ostendit solvendi magis, quàm ligandi facultatem in Ecclesia agnoscendam, quia Deus ad misericordiam promptior est, quàm ad severitatem.

Inutilem porrò esse Pœnitentiam quæ caret spe veniæ, demonstrant SS. Patres contra Novatianorum crudelitatem. *Nemo potest benè agere Pœni-*
*Ibid. p. 390. C.* *tentiam*, ait S. Ambrosius cap. 1. *nisi qui speraverit indulgentiam*. Et c. 16. *Fru-*
*Ibid. p. 413. C. D.* *stra dicitis vos* (Novatiani) *prædicare Pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ. Homines enim ad aliquod studium aut præmiis, aut fructibus incitantur; omne autem studium torpescit dilatione.*

Probatur 2. Conclusio ex constanti ac perpetua Ecclesiæ universæ praxi atque Traditione, quæ his certissimis momentis demonstrari facilè potest.

I. Ex communi Ecclesiarum omnium conspiratione in proscribendo impio ac crudeli Montanistarum & Novatianorum dogmate, quod statim ac caput extulit, ubique pari zelo ac studio compressum fuit. Sic, Eusebio teste L. 5. Hist. c. 16. 17. 18. & 19. adversùs Montanistas insurrexere, Apollinaris Hierapolitanus, Miltiades, Apollonius, Serapio Antiochenus, Martyres Lugdunenses, (c. 3.) Africæ & Phrygiæ Episcopi; uno verbo, omnes Ecclesiæ, sicut ipsemet testatur Apollinaris in Opere quod adversùs illos con-

conscripsit. Inde est quòd Tertullianus post suam ab Ecclesia Catholica ad Montanistas defectionem, sibi inconstantiam & novitatem opinionis objiciendam esse non dissimulet, *Erit*, inquit cap. 1. Lib. de pudicitia, *hic adversùs Psychicos titulus, adversùs meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mibi in notam levitatis objectent*. Et reipsa verè scripserat idem Tertullianus Orthodoxus in Libro de Pęnit. cap. 4. *Omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui penam per judicium destinavit, idem etiam & veniam per pœnitentiam spopondit*. Narrat idem auctor L. de pudicitia c. 1. Romanum Pontificem (haud dubiè Zephirinum) edictum emisisse contra Montanistas, quo jussit mœchis pœnitentia functis venia concederetur. P. 55. B. P. 122. D. P. 555. A.

Non minori studio damnati ac proscripti sunt Novatiani. Romæ, à sexaginta Episcopis, quorum Decreto post serium examen lato Judicio acquievere cęteri per Orbem sparsi Episcopi, referente Eusebio L. 6. Hist. cap. 43. In Cappadocia, teste Firmiliano hujus Provinciæ Metropolitano, in sua ad S. Cyprianum Epistola. In Africa, teste Epistola Synodica quæ extat inter Cyprianicas 54. teste vel ipso S. Cypriano, qui Scriptis suis, præsertim toto Tractatu de lapsis, errorem Novatianum impugnat. Alexandriæ quoque damnatus ille error fuit, teste Dionysio Alexandrino, apud Euseb. L. 7. Hist. c. 8. Mitto alios innumeros, Ambrosium, & Pacianum imprimis, qui data opera Scriptis suis omnia hujus hæreseos capita, effugia, diverticula, egregiè confutarunt ac represserunt.

II. Eadem Ecclesiæ Traditio elucet maximè in praxi perpetua Ecclesiæ, quæ semper pęnitentes ad pacem & veniam admisit, ut innumeris momentis promptum esset ostendere, si res in dubio posset adhuc reponi.

III. Ex communi SS. Patrum sententia in explicandis sensu orthodoxo Scripturæ testimoniis à nobis adductis, sicut observat Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. Ab illis SS. Patrum sigillatim recensendis testimoniis hìc supersedemus, quia recurret sæpius in decursu hujus Tractatus eorum laudandorum occasio.

IV. Traditionis hujus & constantis Ecclesiæ fidei tot sunt argumenta invicta, quot extant Decreta Conciliorum, Patrum statuta, Librorum Pęnitentialium sanctiones, quibus certus pęnitentiæ agendæ modus, ratio, mensura, & tempus, definitur pro diversa peccatorum specie & gravitate. Infinita autem ejusmodi sunt monumenta, tùm vetera, tùm recentiora, quæ cùm omnibus obvia sint, hìc prætermittimus, ut ad solvendas Hæreticorum objectiones citiùs properemus.

*Solvuntur Objectiones Hæreticorum ex Scripturis.*

Objicies 1. L. 1. Regum c. 2. v. 25. dicitur: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Ita Novatiani apud S. Ambrosium L. 1. de Pœnit. c. 9.

Resp. 1. cum S. Ambrosio, *scriptum non esse, Nullus orabit pro eo: sed, Quis orabit? Hoc est*, inquit sanctus Doctor, *quis sit ille, qui in tali causa orare possit, queritur, non excluditur*. . . Quia nempe *singularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccavit in Dominum: quò enim major culpa, eò majora sunt quærenda suffragia*. Ita S. Ambrosius. T. 2. p. 401. B. C. Ib. B. C.

Resp. 2. ex illo testimonio plùs inferri posse, quàm ipsimet contenderent Novatiani, si ad litteræ apices urgeatur: nempe in gravissimis peccatis, ne quidem orandum esse Deum ut ea dimittat; & consequenter omnino desperatos jacere, & sine ulla pœnitentia deserendos, qui horum criminum rei sunt, quod tamen ipsimet non concedebant Hæretici.

Resp. 3. non absolutè, sed hypotheticè, & in facto singulari de quo agitur, Scripturam pronuntiare, nullum esse qui pro peccatis contra Deum commissis, exorare illum possit per visibile sacrificium. Scilicet eò loci increpat Heli filios suos Ophni & Phinees, de quibus dicitur v. 17. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini*, per suam nimirum ingluviem, rapacitatem & incontinentiam. In ea igitur hypothesi, quòd nullus sit, aut Sacerdos qui offerat sacrificium, aut peccator qui postulet offerri pro se, si pollutum sit Tabernaculum, si cessant sacrificia, si ab iis retrahantur homines, ut de facto retrahebantur per filios Heli, nullum supererat visibile remedium, quo placari posset divina justitia; *Quis ergo orabit Deum pro peccatis?* En litteralis hujus loci sensus.

Objicies 2. hanc S. Joannis sententiam ex c. 5. v. 16. primæ ipsius Epistolæ. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Ergo, concludunt Novatiani apud SS. Ambrosium & Pacianum, omne peccatum mortale est irremissibile.

*Ibid. p. 402.* Respondet 1. S. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 10. S. Joannem absolutè non excludere deprecantem; sed assignare quis ille debeat esse, qui pro gravi & ad mortem peccato Deum exorare possit, nempe non vulgaris, sed singularis virtutis homo. Coincidit hæc responsio cum priori jam adducta.

*T. 4. p. 2. p. 222.* Respondet 2. S. Hieronymus Lib. 2. adversùs Jovinianum, hunc S. Joannis locum versans, pro peccatis gravioribus, non quidem impossibilem, sed difficilem esse veniæ impetrationem. *Cernis*, inquit, *quòd si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam; si pro majoribus, difficilis impetratio sit.*

*T. 3. p. 2. p. 197.* Respondet 3. S. Augustinus Lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 22. peccatum ad mortem dici illud, cujus veniam, reus ea qua par est humilitate, nunquam deprecatur; pro quo frustra quis oraret, cùm obduratio & impœnitentia peccatoris irritas efficiat Sanctorum pro ejus conversione orationes: atque in exemplum peccati ad mortem, adducit peccatum Judæ proditoris; in exemplum verò peccati, quod non est ad mortem, peccatum S. Petri. Hæc tamen adjecta conditione mitigat sanctus Doctor L. 1. Retract. cap. 16. Verba paulò antea laudavimus.

*T. 10. p. 770. B.* Respondent 4. S. Pacianus Epist. 3. ad Sympronianum, S. Hieronymus Commentario in Jeremiam, ad ista verba capitis 14. *Noli orare pro populo isto;* S. Augustinus Lib. 1. Retractationum cap. 19. & Lib. de correptione & gratia cap. 12. peccatum ad mortem esse illud, in quo quis cum impœnitentia finali moritur, quod certè post hanc vitam non dimittitur; in inferno enim nulla redemptio. *Ego dico*, inquit S. Augustinus citato Lib. de correptione & gratia, *peccatum ad mortem esse, fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem.* Et S. Hieronymus loco citato: *Jejunia*, inquit, *& preces, & victimæ,*

*stimæ, & holocausta tunc proficiunt, cùm recedimus à vitiis, & flemus antiqua peccata. Sin autem in sceleribus permanentes, putaverimus votis atque sacrificiis redimere nos, vehementer erramus.*

Objicies 3. verba Christi apud S. Matth. c. 12. v. 31. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Verba hæc objiciunt Novatiani apud S. Ambrosium L. 2. de Pœnit. c. 4. & S. Pacianum Epistola 3. ad Sympronianum.

Respondet S. Augustinus Sermone 71. de verbis Domini aliàs 11. cap. 12. & Epistola 185. aliàs 50. ad Bonifacium, & in Enchiridio cap. 82. blasphemiam in Spiritum sanctum esse finalem impenitentiam, quæ certè nusquam remittitur. Verùm videtur Christus aliquid discriminis statuere inter peccatum in filium hominis, & peccatum in Spiritum sanctum; quòd nempe istud non remittitur, aliud verò remittitur: at si de impœnitentia finali textus ille deberet intelligi, par esset conditio peccati utriusque; neque enim magis remittitur peccatum in filium hominis, cum quo quis moritur nulla prævia pœnitentia, quàm peccatum in Spiritum sanctum. Itaque

Resp. cum multis è SS. Patribus, blasphemiam in Spiritum sanctum eam esse, per quam cognita & manifesta veritas impugnatur, ac evidentia Christi miracula dæmoni tribuuntur, qualis blasphemiæ rei erant Judæi illi qui apud S. Marcum c. 3. v. 29. de Christo dicebant, *Quoniam dæmonium habet*; & apud S. Matth. cap. 12. v. 24. *Non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Blasphemia in Spiritum sanctum*, inquit S. Hieronymus ad citatum S. Matthæi locum, *ea est, per quam qui manifestè intelligit opera Dei, neque potest virtutem Dei negare, stimulatus tamen invidia calumniatur, & Christum, & opera Spiritus sancti, dicit esse Beelzebub*. Seu, ut loquitur S. Pacianus Epistola 3. citata, *blasphemare in Spiritum sanctum, est non videre quod videas, & sancti Spiritus opera diabolo deputare; eamque gloriam Domini, qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem*. Similia docet S. Ambrosius L. 2. de Pœnit. c. 4.

T. 4. p. 1. p. 50.

Bibliot. PP. T. 4. p. 311. F.

T. 2. p. 421.

Dicitur illa blasphemia singulari quadam ratione peccatum in Spiritum sanctum; quia nempe per quamdam appropriationem, ut vocant Theologi, operatio miraculorum, & animorum illustratio Spiritui sancto tribuitur, *qui docet omnem veritatem*, Joannis capite 16. & *qui dividit singulis prout vult*, 1. Corinth. 12.

Blasphemia autem illa dicitur non remitti, non quidem absolutè, quasi, si de ipsa agatur, ut par est, pœnitentia, non remittatur; sed quòd difficile sit eam remitti multis de causis. 1. propter apertum impedimentum quod gratiæ objicitur. Non enim potest obtineri gratia, nisi cognita & admissa veritate per fidem in Christum mediatorem; qui autem veritatem illam negat, qui Christum rejicit, ille sibi unicam præcludit viam ad veritatem & ad gratiam: quemadmodum si ægrotus unicum, quo sanari potest, remedium repellat, desperatus non immeritò dicitur, qui difficilè admodum deperditam sanitatem recuperare potest. 2. quia spreta & directè rejecta veritate, nihil aliud quàm error & impietas relinquitur. 3. quia, ut ait S. Pacianus citata Epistola 3. *in cæteris peccatis aut errore labimur, aut frangimur metu*, aut

Bibliot. PP. T. 4. p. 312. F.





*aut carnis infirmitate superamur*. Hinc Apostolus 1. ad Timoth. 1. ait se misericordiam consecutum, quia ignorans fecerat in incredulitate: at in ea, de qua loquimur, blasphemia, nihil est quod ejus gravitatem elevare possit. Unde S. Athanasius exponens adducta in Objectione verba Christi, in Epistola 4. de Serapionem n. 15. docet peccatum in filium hominis condonari, quia excusationem habet, ex infirmitate scilicet & abjectione naturæ humanæ Christi, ad quam attendentes Judæi, pronum erat ut eum purum hominem suspicarentur: at peccatum in Spiritum sanctum non remittitur, quia excusationem non admittit. Igitur blasphemia in Spiritum sanctum dicitur irremissibilis, comparatè ad alia peccata quæ facilius condonantur.

Edit. postr. T. 1. p. 705. n. 15.

Ita nodum hunc dissolvit S. Joannes Chrysostomus Hom. 42. in Matth. ubi sic loquitur: *Spiritus ne, inquies, blasphemia non dimittetur pœnitentibus? quod omnino falsum esse patet. Nam & hoc peccatum dimissum scimus, cùm multis eorum qui talia in Spiritum sanctum dixerant, ignotum esse constet. Quid igitur est quod dicit? significare voluit multò minùs cæteris hoc esse ignoscibile ac veniale. Quamnam ob rem? Quia videlicet, quisnam esset Christus ignorabant: Spiritus autem sancti gratia multis & magnis signis se ipsam manifestaverat.*

Edit. Cammel p. 391. A.

Observant verò Scripturæ Interpretes, istam loquendi rationem, *Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro*, hebraismum esse, quo rem difficilè fieri significatur. Sic cùm Christus apud S. Lucam cap. 21. v. 33. dixit: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*: sensus est, facilius esse Cœlum & terram perire, quàm verba Dei, sicut exponit ipse S. Lucas c. 16. v. 17. *Facilius est*, inquit, *Cælum & terram præterire, quàm de Lege unum apicem cadere*. Pariter quando dicebat Christus Matth. 19. *facilius esse ut camelus intret per foramen acus, quàm dives ingrediatur in Regnum Cælorum*; sensus non est, impossibile omnino esse divitem salvum fieri, sicut impossibile est camelum transire per foramen acus; statim quippe Christus addit, *Quod impossibile est apud homines, apud Deum possibile est*: sed his & similibus loquendi modis rei difficultatem expressit Scriptura, non impossibilitatem.

Objicies 4. celebrem hanc Apostoli sententiam Hebræorum 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Dei Filium, & ostentui habentes*. Ex quibus verbis inferebant Novatiani, nullum post Baptismum superesse lapsis remedium. Suspicantur nonnulli, propter hæc verba quæ Novatianum errorem videntur prima fronte redolere, tardiùs inter Canonicas Scripturas receptam esse hanc ad Hebræos S. Pauli Epistolam.

Respondent multi recentiores, impossibile eò loci idem esse ac difficile. Verùm responsionem hanc improbat Estius: tùm quia res quæ frequenter contingit, qualis est pœnitentia post lapsum, simpliciter impossibilis non solet appellari: tùm quia in eadem Epistola, quoties vocem hanc, *impossibile*, usurpat Apostolus, ut cap. 6. *Impossibile est mentiri Deum*; cap. 10. *Impossibile est sanguine hircorum & taurorum auferri peccata*; c. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*, veram impossibilitatem significare intendit.

P. 953. col. 1.

Resp.

Resp. Apostolum non negare possibilem post Baptismum pœnitentiam, sed ipsius Baptismatis repetitionem, quasi breviter dicat: Impossibile est semel baptisatos iterum baptisari; & Baptismatis gratiam, quatenus est gratia regenerationis & renovationis, quam per Baptismum ac pœnitentiam antebaptismalem assecuti fuerant, iterum recuperare per eam pęnitentiam quæ sequitur Baptismum: tùm quia sicut homo semel nascitur, ita semel renascitur, & regeneratur; tùm quia Baptismus perfectè remittit omnem culpam & pęnam temporalem, non ita pęnitentia quæ sequitur Baptismum, quæ, remissa culpa, temporalem pęnam luendam relinquit; tùm quia facilè & absque labore in Baptismo conceditur gratia perfectè renovans & regenerans: non ita gratia reconciliationis, quæ nonnisi lachrymis, gemitibus, ac multo labore obtineri potest post Baptismum. Inde multi è SS. Patribus remissionem quæ fit in Baptismo, puram esse Dei gratiam dixere; remissionem verò quæ fit per pęnitentiam, *esse meritum confitentis*, ut loquitur S. Pacianus Epistola 3. ad Sympronianum. Non quòd posterior hæc remissio ex gratia non sit; sed quòd, ut dictum est, nonnisi præviis lachrymis ac exanthlatis laboribus concedatur. Atque hinc nata veterum Christianorum nonnullorum consuetudo, improbanda quidem, qui Baptismum suum ad finem vitæ protrahebant, ut nempe perfectè purgati statim à morte ad Cęlos evolarent, nec duris pęnitentiæ laboribus, si fortè lapsi fuissent, subjici tenerentur. Hæc itaque Apostoli propositio, *impossibile est renovari ad pœnitentiam*, distinguenda: id est, impossibile est eos recuperare Baptismatis gratiam, quatenus est gratia regenerationis & renovationis, concedo: id est, obtinere veniam peccatorum per pęnitentiam, & justificari per gratiam sanationis & reconciliationis, nego. *Biblior. PP. 4. p. 310. H.*

Quòd autem Apostolus loquatur eò loci de non iterando Baptismo semel percepto, probant, tùm verba quibus utitur, *illuminationis*, *degustati doni cœlestis*, *participationis Spiritus sancti &c.* quæ Baptismo apprimè congruunt; tùm multi è sanctis Patribus Græcis & Latinis. Ita quippe S. Athanasius Epistola 4. ad Serapionem, S. Ambrosius L. 2. de Pęnit. c. 2. S. Chrysostomus Hom. 9. in Epistolam ad Hebræos, S. Epiphanius hæresi 59. S. Augustinus in Expositione inchoata Epistolæ ad Romanos, S. Joannes Damascenus L. 4. orthodoxæ fidei c. 10.

Sed, inquies cum Estio in hunc locum, *quorsum Apostolus tam sollicitè doceret Hebræos, non posse semel baptisatos iterum baptisari, cùm nulla historia testetur aliquos fuisse tempore Apostolorum, qui Baptismi Sacramentum semel acceptum, repeterent, aut repetendum esse docerent?* Hac ratione motus Estius, reponit ibidem textum Apostoli non tam de Baptismi ceremonia, quàm de ejus effectu intelligendum esse. *P. 953. col. 2. L.*

Verùm S. Athanasius Epistola 4. ad Serapionem, & post eum S. Ambrosius Lib. 2. de Pęnit. cap. 2. docent non sine consilio S. Paulum scribentem ad Hebræos loqui de non iterando Christi Baptismate, & ejus effectu, ut occurreret falsæ illorum opinioni, Baptisma Christi, sicut legale, sæpius iterari posse. Audiatur S. Athanasius. *Quod in Epistola ad Hæbreos dictum est*, inquit, *non excludit à pœnitentia peccatores; sed ostendit unicum, & non duplex esse Ecclesiæ Catholicæ Baptisma. Hebræis enim hæc scripsit; & ne illi pœnitentiæ obtentu existimarent, juxta Legis consuetudinem, multa esse &* *T. 1. p. 705. A.*

*quotidie baptiſmata, ideo eos ad pœnitentiam hortatur; unamque eſſe per Baptiſma renovationem, nec ſecundam ſupereſſe, affirmat, ut & in alia dicit Epiſtola, Una fides, unum Baptiſma. Neque enim, ait, impoſſibile eſt pœnitere; ſed impoſſibile eſt obtentu penitentiæ nos renovare. Eſt autem ingens inter hæc dicta, diſcrimen. Is enim quem penitet, peccare quidem deſinit, retinet tamen vulnerum cicatrices: qui autem baptiſatur, veterem exuit hominem, & renovatur ſupernè genitus Spiritus gratia.* Quibus verbis ſanctus Doctor noſtram expreſſit & confirmavit reſponſionem.

Inſtabis: Ejuſdem Epiſtolæ cap. 10. v. 26. Apoſtolus ait: *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia: terribilis autem quædam expectatio Judicii, & ignis æmulatio.* Cenſet igitur Apoſtolus, peccata poſt Baptiſmum commiſſa remitti non poſſe.

Reſp. 1. diſt. ant. Non relinquitur hoſtia pro peccatis, iis nempe qui per apoſtaſiam Chriſto, cui nomen dederant, renuntiant, & in ea perſeverant, concedo; cùm enim Chriſtus ſit hoſtia pro peccatis noſtris Deo Patri oblata, qui Chriſtum rejiciunt, nullum aliud habent ſalutis ſuæ perfugium: iis qui de priori ſua apoſtaſia pœnitentiam agunt, nego. Loqui verò Apoſtolum eò loci de peccato apoſtaſiæ, innuunt verba verſus 25. *Non deſerentes*, inquit Apoſtolus, *collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam.*

Reſp. 2. appoſitè ad ſolutionem jam adductam, hoſtiam illam, quæ voluntariè peccantibus non relinquitur, eſſe ſecundum Baptiſmum, aut potius mortem & paſſionem Chriſti, quatenus in Baptiſmo repræſentatur & operatur; quia nempe, ut dictum eſt, non eadem facilitate, nec eadem omnino gratia reſtituitur per pœnitentiam, quæ data fuerat per Baptiſmum. Ut enim egregiè dicit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 8. *Divinæ juſtitiæ ratio exi-*
T. 14. Conc. p. 810. E. *gere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui ſancto in graviora labamur.*

Objicies 5. exempla Antiochi & Eſau, qui peccatorum veniam obtinere non potuerunt, quamquam cum lachrymis & pœnitentia eam exorarent. De priori dicitur 2. Machabæorum 9. v. 13. *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* De poſteriori verò, Hebræorum. 12. v. 17. *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam eum lachrymis inquiſiiſſet eam.*

Reſp. falſam & mendacem fuiſſe tùm Antiochi, tùm Eſau pœnitentiam, nec proinde mirum, ſi veniam peccatorum non obtinuit. Antiochus etenim non à culpa per ſinceram converſionem cordis liberari poſtulabat, ſed à crudeliſſimo morbo quo vexabatur. Eſau quidem flebat hæreditatem quam amiſerat, non verò peccata, eo enim ipſo tempore quo ſimulabat ſe pœnitere, invidiæ ſtimulis agitatus, fratris ſui occidendi conſilium animo volvebat. *Venient*, inquiebat ille Gen. 27. v. 41. *dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum.* Quòd ſi pœnitentiam illam, de qua loquitur Apoſtolus,

stolus, non ad Esau, sed ad Isaac referre cum aliquibus Interpretibus malueris, evanescet omninò difficultas: sensus enim erit, Non potuit Esau impetrare etiam lachrymis pęnitentiam Isaac patris sui; hoc est, ut suam revocaret sententiam, qua benedixerat Jacob præ Esau. Responsionem hanc insinuare videtur id quod ipse dicebat Isaac loquens de Jacob: *Benedixi ei: & erit benedictus*: id est, ratum habeo quod feci; approbo benedictionem datam, quidquid obloquatur Esau.

Objicies 6. Proverbiorum 1. v.24. & 28. Sapientia sic loquitur: *Quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret . . . . . Tunc invocabunt me, & non exaudiam; manè consurgent, & non invenient me*. Pariter Jeremiæ 14. v.12. *Cùm jejunaverint, non exaudiam preces eorum*.

Resp. ad primum, sermonem hìc esse de iis qui post hanc vitam inutilem agunt pęnitentiam: v. enim 26. *Ego quoque*, inquit Deus, *in interitu vestro ridebo & subsannabo vos*. Et cap. 5. Sapientiæ v. 3. *Dicentes intra se Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum*. Quibus concinit parabola divitis illius, qui in inferno positus auxilium Abrahami implorabat, nec impetrabat, Lucæ 16. Vel si laudata Proverbiorum verba intelligere placeat de iis qui in fine dumtaxat vitæ ad Deum confugiunt; sensus erit, non quidem esse impossibile, sed difficile admodum, ut flectatur Deus Pęnitentia eorum qui toto vitæ tempore sua abusi sunt benignitate ac misericordia.

Ad secundum, dicendum est, vel jejunia illa ficta fuisse, absque sincera animi conversione, quæ procul dubio Deus non exaudit; vel eo tantùm fine & consilio suscepta, ut aliquæ temporales molestiæ averterentur: de invocatione quippè Dei vera & sincera, verum est quod dixit Joel cap. 2. v. 32. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*.

*Solvuntur Objectiones ex dictis nonnullorum SS. Patrum, qui videntur agnovisse aliquod esse irremissibile peccatum.*

Morinus L. 9. de Pęnit. cap. 28. scribit, antiquos Patres crimen unicum adeo execrabile judicasse, ut nunquam veniam à Deo & Ecclesia possit obtinere: crimen verò illud suspicatur esse blasphemiam in Spiritum sanctum, seu fidei negationem & apostasiam. Verùm in censura seu recognitione sui Operis initio præfixa, Auctor emollire & explicitare tentat quod dixerat citato capite 28. *Non fuit*, inquit, *à me dictum de certa quadam specie peccati, quæ sit ex natura sua irremissibilis, cùm nulla sit ejusmodi; sed de nonnullis gravium peccatorum circumstantiis, propter quas Deus impiis istis auxilia pœnitendi subtrahit*. P. 687.

At frigida profectò videtur expositio hæc, & merum effugium: perinde enim est peccatum aliquod ex se irremissibile esse, ac peccatum tam grave esse, ut nunquam pęnitentiæ gratiam Deus propter illud largiatur, cùm impossibile sit peccatum sine Pęnitentia dimitti; quod agnovit ipse Morinus eodem citato capite 28. n. 16. ubi scribit, *ea reciprocatione quadam inter se connecti, nempè Deum peccato veniam denegare, & Deum gratiam pœnitendi non inspirare, sine qua non potest à tanto crimine ad pietatem converti.* Pagina 690. D.

Objicies

Objicies 1. auctoritatem Origenis & Theognosti apud S. Athanasium Epist. 4. ad Serapionem, ubi de duobus illis Scriptoribus hæc habet S. Athanasius: *Prisci certè viri, Origenes, eruditissimus & laboriosus Scriptor, & Theognostus admirandus ille & studiosus homo . . . . aiunt illam esse in Spiritum sanctum blasphemiam, cùm ii, quibus in Baptismate donum Spiritus sancti tribuitur, ad peccata recidunt; ideoque illos remissionem non consecuturos aiunt, quemadmodum & Paulus in Epistola ad Hebræos ait: Impossibile est &c. Idipsum ambo dicunt.* Deinde profert S. Doctor utriusque verba & momenta. Ergo Origenes & Theognostus existimarunt peccatum quodlibet mortale post Baptismum, esse blasphemiam in Spiritum sanctum, & quidem irremissibilem.

To. 1. p. 702. C.

Resp. in hac Origenis & Theognosti sententia, qualis refertur à S. Athanasio, duo esse: primum, quodlibet peccatum mortale, quod post Baptismum committitur, esse blasphemiam in Spiritum sanctum; alterum, peccata illa, quæ sequuntur Baptismum, esse irremissibilia.

Primum non obscurè videntur citati Auctores innuere, atque ea in parte refelluntur à S. Athanasio, qui docet blasphemiam in Spiritum sanctum non esse quodcunque baptisati peccatum, sed singulare crimen quo divinitas impugnatur, & miracula Christi diabolo deputantur. Tota igitur difficultas est, quo sensu dixerint Origenes & Theognostus, baptisatorum peccata, quæ placet ipsis appellare blasphemiam in Spiritum sanctum, esse irremissibilia: an absolutè & simpliciter, an comparatè dumtaxat ad peccata Ethnicorum.

Dico igitur omninò verisimile esse, eos irremissibilia dixisse baptisatorum peccata, non absolutè, sed comparatè dumtaxat ad peccata Ethnicorum, quia nempè difficiliùs, ut exposuimus antea, peccata relaxantur, quæ post acceptam veritatis cognitionem & Spiritus sancti gratiam, nulla excusatione imminui possunt & elevari. Sensum hunc indigitare videtur Theognostus apud S. Athanasium citato loco n. 11. *Imperfectis*, inquit, *datur venia; iis verò qui gustaverunt cæleste donum & initiati sunt, nulla veniæ relinquitur excusatio vel deprecatio.* Idest, Ethnici aliquam possent peccatis suis obtendere causam excusationis, quam non possunt baptisati; ac fortè *occultior ac profundior iste sensus est*, quem S. Athanasius ait latere in verbis Origenis & Theognosti, *quique observatione & inquisitione opus habet*, ait idem S. Doctor.

Ibid. p. 703. D.

Ibid. n.

Quòd verò Origenes in communi fuerit Catholicorum sententia, peccata scilicet post Baptismum dimitti per Pœnitentiam; certo certiùs colligitur ex innumeris ipsius testimoniis. Unum hic sufficiat ex L. 3. contra Celsum. *Jam erga peccantes*, inquit, *quàm severa est disciplina, præcipuè contaminatos libidine, quos è sua republica eiiciunt nostri... resipiscentes haud secus quàm redivivos recipiunt tandem post longiorem melioris mentis approbationem.*

Pagina 454. G.

Instabis: Atqui Origenes & Theognostus peccata post Baptismum dixere irremissibilia & absolutè & simpliciter in se, non verò comparatè. Probatur ex S. Athanasio, qui ex ista Origenis & Theognosti opinione, *Omne baptisatorum peccatum est blasphemia in Spiritum sanctum*, directè sequi ostendit, omne baptisatorum peccatum veniam non posse obtinere, quod certè falsum esse demonstrat S. Doctor n. 13. ubi sic loquitur: *Si eorum causa qui post lavacrum pec-*

To. 1. p. 704. D.

*peccant dictum idfuisset, & illi veniam peccatorum obtinere non possent*; *cur* (ergo) *hominem apud Corinthios pœnitentem, in charitate confirmat Paulus, Galatas verò retrorsum abeuntes parturit, donec formetur iterùm in eis Christus? Cùm autem dicit, iterùm, pristinam eorum in spiritu perfectionem declarat. Cur verò Novatum culpamus Pœnitentiam tollentem, ac dicentem nullam superesse iis veniam, qui post lavacrum peccaverint, si hæc verba de illis qui post lavacrum peccaverint, dicta fuere?* Non ita porrò arguisset S. Athanasius, nisi persuasum habuisset, in mente Origenis & Theognosti quodcunque peccatum mortale post Baptismum veram esse blasphemiam irremissibilem. Si enim conjicere potuisset, Auctores illos irremissibilem appellare dumtaxat blasphemiam, quia difficile remittitur, in vanum ac frustra & Apostoli praxim objecisset, & Novati hæresim immeritò improbari dixisset; iste enim dimittendorum peccatorum facultatem Ecclesiæ omninò detrahebat.

Resp. Cùm verba Origenis & Theognosti obscura forent, & à multis in eum sensum trahi possent, quem judicat S. Athanasius, meritò sensum illum rejicit ac refellit, ne cui sit offensioni: an verò hìc revera sit eorum sensus, certò non affirmat S. Doctor, sed dubitanter tantùm proponit. *Ego*, inquit n. 12. *ex iis quæ didici, arbitror utriusque sententiam, mediocri quadam inquisitione & observatione indigere, ne fortè profundior quædam in ipsis illorum dictis mens lateat.* In alium autem benigniorem sensum inflecti posse eorum verba, ostendunt quæ ex ipsismet laudavimus. *Ibid. p. 703. D.*

Objicies 2. S. Athanasius blasphemiam in Spiritum sanctum verè irremissibilem esse putavit; & quod Origenes & Theognostus de omni peccato post Baptismum affirmabant, hoc saltem de singulari peccato blasphemiæ in Spiritum sanctum concessit S. Doctor, nempè illud venia donari non posse.

Probatur verbis S. Athanasii in citata Epistola 4. ad Serapionem n. 12. *Cùm autem*, inquit, *illos* (Pharisæos) *de multis criminibus priùs accusaret Salvator, quòd scilicet legem de parentibus latam propter pecuniam transgrederentur, & Prophetarum dicta respuerent &c. . . . , attamen hortabatur eos ut pœnitentiam agerent. Verùm ubi ipsum dicerent in Beelzebub ejicere dæmonia, non hoc ultra peccatum simpliciter, sed blasphemiam dixit esse tantam, ut qui talia proferre ausi essent, nec penam effugere, nec veniam obtinere possent.* Et n. 15. postquam exposuit quid sit peccatum in Filium hominis, de peccato in Spiritum sanctum hæc addit: *Verùm postquàm in insaniam versi fuerunt* (Pharisæi), *& quod in corpore est Verbum, omninò negaverunt, aut divinitatis opera diabolo ejusque dæmonibus attribuerunt, meritò pro tali impietate indeprecabili sunt supplicio obnoxii. Nam & diabolum pro Deo habuerunt; eumque qui verè & reipsa Deus est, existimarunt nihilo plùs in operibus posse quàm dæmones.* In decursu illius Epistolæ, ter aut quater blasphemiam hanc vocat *inveniabilem, indeprecabilem &c.* *Ibid. p. 704. C.* *Ibid. p. 706. D.*

Resp. 1. dist. ant. S. Athanasius existimavit blasphemiam in Spiritum sanctum esse verè irremissibilem, quando juncta est cum finali impœnitentia, concedo: si de illa sincera, ut par est, agatur Pœnitentia, nego. Seipsum exponit S. Doctor in Tractatu de communi essentia Patris, Filii, & Spiritus sancti, n. 49. ubi explicat quid sit peccatum in Filium hominis, quid verò in Spiritum sanctum. *Sunt alii*, inquit, *qui in Spiritum sanctum impingunt, qui scilicet in Christi deitatem blasphemias dicunt, aiuntque, In Beelzebu-* *To. 2. p. 26. D.*

*zebule, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia. De istis intelligendum est, quod ait: Non remittetur, neque in præsenti sæculo, neque in futuro. Quin & hoc observandum est, non dixisse Christum, blasphemanti & Pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse; sed blasphemanti, id est in blasphemia perseveranti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum, illis qui verè ex animo, & ut par est, Pœnitentiam agunt*. Nihil expressius dicere potuit S. Doctor, tùm ut seipsum exponeret, tùm ut communem Ecclesiæ doctrinam confirmaret.

At, inquies, commune istud est cuilibet mortali peccato in quo quis moritur, ut veniam post mortem non obtineat: attamen S. Athanasius singulare aliquid & proprium blasphemiæ in Spiritum sanctum designare voluit, cùm eam distinguens contra peccatum in Filium hominis, dixit esse irremissibilem.

Resp. reipsa voluisse S. Doctorem proprium aliquem blasphemiæ characterem, ac singularem ejus gravitatem præ aliis peccatis indicare; qui character proprius in eo positus non est, quòd nusquam remittatur blasphemiæ peccatum, si de ipso, ut par est, agatur Pœnitentia, sed in eo quòd difficilius sit Pœnitentiam de illo agere, & consequenter difficiliùs remittatur, propter causas quas in secunda responsione exponemus.

Resp. 2. dist. ant. S Athanasius existimavit blasphemiam in Spiritum sanctum esse irremissibilem, comparatè ad peccatum in Filium hominis, hoc est, difficiliùs remitti, concedo: esse irremissibilem absolutè in se, nego. Itaque S. Doctor in citata Epistola n. 15. comparat inter se peccatum in Filium hominis, & peccatum in Spiritum sanctum; ac contendit istud posterius præ alio longè gravius esse ac difficiliùs remitti, duplici de causa, tùm quia nulla excusatio potest obtendi, seu ex parte ignorantiæ, seu ex parte infirmitatis; tùm quia longè deterior est dispositio blasphemantis in Spiritum sanctum, quàm peccantis in Filium hominis.

I. Qui peccant in Filium hominis, sive eum purum hominem existiment, sive phantasticum ei corpus affingant, excusationis causam utcunque habere possunt, tùm ex parte infirmitatis naturæ humanæ Christi, quem cùm viderent sitientem, laborantem, vel patientem, uno verbo omnibus nostris infirmitatibus subjacentem, eum purum esse hominem suspicari utcunque poterant, quamquam immeritò, nec sine gravi peccato; tùm ex parte divinitatis Christi, seu prodigiorum quæ operabatur, ad quæ attendentes Pharisæi, conjicere poterant, eum purum esse Deum, ac phantasticum dumtaxat & umbratile corpus gestare. *Inde est*, inquit S.

To. 1. p. 706. E. Athanasius, *quòd etsi magnoperè peccent, possunt tamen celeriter Pœnitentiam agendo veniam consequi, cùm habeant*, pergit ille, *pro excusatione imbecillitatem corporis ex una parte, & magnitudinem operum hominis potestatem excedentium ex altera*. At nulla talis excusatio locum habet in iis qui rei sunt blasphemiæ in Spiritum sanctum, sicut ostendit S. Athanasius ibid. n. 20. p. 711. Non igitur tam *celeriter*, ut ait, hoc est, tam facilè possunt illi veniam & indulgentiam obtinere.

Secunda ratio cur blasphemia in Spiritum sanctum difficiliùs remittatur, desumitur ex parte pravæ dispositionis illius, qui sciens & volens Christum rejicit, ejusque opera diabolo tribuit. *Qui enim negat Filium hominis*,

Ibid. p. 713. E.

ait

ait ibidem S. Athanasius n. 23. *quam rogans obtinere poterit propitiationem? aut quæ vita vel requies ei expectanda, qui repulit eum, qui dicit, Ego sum vita ... Venite ad me omnes &c.* Qui igitur Christo, qui est unica salutis via, nuntium mittit, ille omnem sibi ad pœnitentiam & salutem aditum præcludit: quòd si in tam deplorando statu perseveret, in æternum certissimè peribit; potest tamen absolutè, quamquam rarò ac difficilè, de illo peccato Pœnitentiam agere, Deo gratiam liberaliter largiente.

Instabis: Eo ipso sensu S. Athanasius contendit singulare blasphemiæ peccatum esse irremissibile, quo Origenes & Theognostus, quos refellit, dicebant omne peccatum baptisatorum esse blasphemiam in Spiritum sanctum, quæ remitti non potest: atqui Origenes & Theognostus dicebant illud omne peccatum absolutè & in se, non comparatè tantùm, esse irremissibile; ergo S. Athanasius singulare peccatum blasphemiæ planè & absolutè irremissibile esse contendit.

Resp. 1. nego maj. Quamquam enim constaret, Origenem & Theognostum reipsa existimasse omne peccatum baptisatorum non posse remitti, consequens non foret S. Athanasium istud concessisse de singulari peccato blasphemiæ, cùm expressè seipsum exponat sensu planè catholico.

Resp. 2. nego min. Constat enim ex antedictis, verba Origenis & Theognosti, quamquam obscura, posse benignè in sensum orthodoxum inflecti. Ideo autem S. Athanasius erroneum eorum sensum impugnavit, quòd, ut diximus, in hunc sensum perversum propter obscuritatem assumi poterant ab aliquibus, quorum offensioni occurrere voluit S. Doctor.

Objicies 3. Firmilianus Episcopus Cæsareæ in Cappadocia, in Epistola ad S. Cyprianum inter Cyprianicas 75. loquens de lapsis quibus pœnitentia fuerat imposita, *Non quasi*, inquit, *à nobis remissionem peccatorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur, & Domino plenius satisfacere cogantur.* Igitur, Firmiliano fatente, Ecclesia remissionem peccatorum non confert. An. 256. Pag. 14.

Resp. nego conseq. Sensus enim Firmiliani non alius est, quàm ut ostendat Episcopos & Sacerdotes propria suæ auctoritate non dimittere peccata, sed eos certis regulis ac legibus adstrictos à Christo fuisse, à quo auctoritatem hanc accepere, quam erga dignos dumtaxat & ex animo pœnitentes exercere debent. Esse verò in Ecclesia potestatem dimittendi peccata, conceptis verbis in eadem Epistola agnoscit Firmilianus. *Potestas ergo*, inquit, *peccatorum remittendorum Apostolis data est, & Ecclesiis quas illi à Christo missi constituerunt, & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt.* P. 148.

Objicies 4. S. Pacianus in Epistola tertia ad Sympronianum, Novatiano probanti ex cap. 12. S. Matthæi, omnia peccata baptisatorum esse blasphemiam in Spiritum sanctum, adeoque verè irremissibilia; reponit, verba ista Scripturæ, *Non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, de sola blasphemia in Spiritum sanctum, quæ singulare peccatum est, idque gravissimum, esse intelligenda: *Hoc est ergo*, inquit, *quod non dimittetur; reliqua bonis pœnitentibus, frater Semproniane, donantur.* Hoc ergo de blasphemia concedebat, quod Novatianus de omni peccato. Bibliot. PP. To. 4. pag. 312. G.

Resp. ut suprà ad Origenem, nempè duo fuisse in sententia Novatiani: primum, omne baptisatorum peccatum esse blasphemiam in Spiritum sanctum:

ctum: secundum, blasphemiam hanc verè esse irremissibilem. Utrumque ex professo refellit S. Pacianus, præsertim prius in loco qui objicitur, ubi probat blasphemiam in Spiritum sanctum esse singulare aliquod, non quodcunque baptisatorum peccatum: quod ergo Novatiani de omni peccato affirmabant, S. Doctor ad unam restringit blasphemiam in Spiritum sanctum; eamque veniæ seu indulgentiæ capacem pariter esse, probat adversùs eosdem Hæreticos Epistola jam citata: *Cùm enim*, inquit, *Christus dixit: Quæcunque solveritis erunt soluta, nihil excepit, non magna, non modica peccata*. Igitur non existimavit S. Doctor, blasphemiam hanc absolutè irremissibilem esse; sed comparatè dumtaxat, hoc est, non tam facilè remitti ac cætera peccata, in quibus, ait ipse Pacianus, *aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamur*.

Ibid. A.

Ibid. F.

Objicies 5. S. Ambrosius L. 2. de Pœnit. c. 4. de Pharisæis opera Christi diabolo tribuentibus, ait: *Hos ergo qui hæc loquuntur, negat ad veniam pertinere*. Et paulò post: *Responsum est igitur à Domino blasphemiæ Pharisæorum; & ideo his, potestatis suæ gratiam negat, quæ in remissionem peccatorum est, qui cœlestem ejus potestatem diabolico fultam suffragio vindicarunt*.

To 2. p. 421. B. C.

Ibid. D.

Resp. hoc sensu S. Ambrosium affirmare blasphemiam in Spiritum sanctum ad veniam non pertinere, quia rarò ac difficilè de illo peccato pœnitentia, ut par est, agitur: absolutè tamen de illo posse quemcunque hac in vita pœnitere, nec consequenter esse simpliciter irremissibile, ipsemet docet S. Ambrosius in eo ipso loco qui objicitur, ubi hujus peccati reos ad Pœnitentiam, proposita spe veniæ, invitat & hortatur.

Ibid. p. 421. B.

Instabis 1. Si putasset S. Ambrosius blasphemiam in Spiritum sanctum dimitti posse, quare Novatianis contendentibus omne peccatum esse irremissibile, solam excepisset blasphemiam in Spiritum sanctum, de qua dictum est, *Non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro?*

Resp. S. Doctorem solam excepisse blasphemiam in Spiritum sanctum, ut directè & ad hominem, ut dicitur, impugnaret Novatianos, qui contendebant omne generatim peccatum post Baptismum relaxari non posse ab Ecclesia. Quod figmentum ut directè impugnet S. Ambrosius, ait blasphemiam in Spiritum sanctum esse singulare peccatum, non verò quodlibet peccatum baptisatorum; adeoque immeritò affirmare Novatianos, omne ac quodlibet peccatum post Baptismum commissum ab Ecclesia dimitti non posse: quæ arguendi ratio eò unicè tendebat, ut probaret quodlibet baptisati hominis peccatum non esse blasphemiam in Spiritum sanctum. Alterum verò, nempe utrùm blasphemia hæc verè & absolutè sit irremissibilis, enucleatiùs ibi non expendit S. Doctor: sed dato & non concesso, quod volebant Novatiani, blasphemiam hanc esse irremissibilem, rectè ac directè concludit inde non sequi, quòd omne peccatum sit irremissibile, quia non omne peccatum blasphemia est in Spiritum sanctum. Ex aliis autem S. Doctoris testimoniis apertè constat, eum nullum agnovisse verè & absolutè irremissibile peccatum.

Instabis 2. Idem S. Ambrosius L. 1. de Spiritu sancto cap. 3. hoc ipsum S. Matthæi testimonium expendens, ait: *Quòd si quis corporis specie deceptus humani, remissius aliquid sensit de carne Christi quàm dignum est, habet culpam: non est tamen exclusus à venia. Si quis verò sancti Spiritus dignitatem, majestatem & potestatem abneget; non potest ibi exoratio esse veniæ.*

Ibid. p. 611. C.

*niæ, ubi facrilegii plenitudo eſt, quia qui Spiritum negavit, Deum Patrem negavit & Filium.*

Reſp. diſt. ant. Nulla poteſt eſſe veniæ exoratio, ratione pravæ diſpoſitionis, & propter majus impedimentum quod gratiæ opponitur, & propter defectum excuſationis, denique loquendo comparatè ad alia peccata, concedo: abſolutè, nego. Et verò Macedonianos, qui divinitatem Spiritus ſancti impugnabant, nuſquam à ſpe veniæ conſequendæ rejecit S. Ambroſius, ſi ad Eccleſiam animo pœnitenti rediiſſent.

Inſtabis 3. Idem S. Doctor Libro de lapſu Virginis conſecratæ cap. 8. *Inhære, inquit, pœnitentiæ uſque ad exitum vitæ, nec tibi præſumas ab humana die veniam dari; quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit? Quæ enim propriè in Dominum peccaſti, ab illo ſolo te convenit in die Judicii expectare remedium.* *Ibid. p. 315. D.*

Reſp. mentem S. Ambroſii hanc eſſe, virginem illam, quæ ſtupri ac necati fœtus convicta fuerat, de conceſſa ſibi venia ſecuram eſſe non debere, niſi poſt actam ad finem uſque vitæ ſuæ, pro more hujus temporis, luctuoſam Pœnitentiam: hanc autem veniam & à Deo & ab Eccleſia ſperandam eſſe, expreſsè adversùs Novatianos probat S. Doctor Libris quos de Pœnitentia ſcripſit.

Objicies 6. S. Hieronymus Epiſt. 149. ad Marcellam, exponit quid ſit blaſphemia in Spiritum ſanctum, ac probat adversùs Novatianum, peccatum quo quis in tormentis Chriſtum abnegat, non eſſe veram blaſphemiam, quæ non poſſit remitti; ipſam tamen blaſphemiam in Spiritum ſanctum eo ipſo ſenſu concedit dimitti non poſſe, quo Novatianus contendebat quodlibet peccatum poſt Baptiſmum eſſe irremiſſibile. *Manifeſtum eſt*, ait S. Doctor, *peccatum in Spiritum ſanctum ideò non poſſe dimitti, quòd habeat blaſphemiam; ut cùm videas in virtutibus Deum, Beelzebub calumnieris infectis. Doceat igitur* (Novatianus) *aliquem negatorem Beelzebub vocaſſe Chriſtum, & ultro referam gradum, negatorem non poſſe veniam conſequi poſt ruinam.* *To. 4. p. 1. p. 164*

Reſp. ut ſuprà ad SS. Pacianum & Ambroſium, hoc unum velle Hieronymum, dato & non conceſſo quòd blaſphemia in Spiritum ſanctum ſit irremiſſibilis, malè omninò inferre Novatianos, omne peccatum eſſe irremiſſibile, cùm peccatum quodlibet non ſit, ſicut falsò illi Hæretici ſupponebant, vera in Spiritum ſanctum blaſphemia. Unum igitur gratis & per figuram conceſſionis, ut dicitur, ſupponit S. Doctor, nempè blaſphemiam in Spiritum ſanctum dimitti non poſſe; alterum verò, de quo præſertim interrogatus fuerat à Marcella, & quod pugnaciter defendebant Novatiani, prorsùs negat, ſcilicet omne baptiſatorum peccatum eſſe illam blaſphemiam in Spiritum ſanctum; ex quo directè concludit adversùs illos Hæreticos, non omne peccatum poſt Baptiſmum eſſe irremiſſibile, quidquid tandem ſit de alia quæſtione, an blaſphemia in Spiritum ſanctum verè non poſſit dimitti, quam quæſtionem cur ea in Epiſtola non expendat S. Doctor, rationem reddit in fine: *Fuerat*, inquit, *prolixiùs diſſerendum; ſed quoniam amicis, & qui ad noſtrum hoſpitiolum convenerunt, præſentiam noſtram negare non poſſumus, & tibi non ſtatim reſpondere viſum eſt arrogantis, latam diſputationem brevi ſermone comprehendimus.* *Ib. p. 165*

Objicies

Objicies denique: Romana, Hispanica & Carthaginensis Ecclesia quibusdam criminibus pacem seu veniam & absolutionem aliquando denegarunt, ut colligitur ex Tertull. L. de pudicitia cap. 1. & ex S. Cypriano Epist. 55.

Resp. dato & non concesso antecedente, de quo suo loco inferiùs, pacem & absolutionem denegatam non fuisse sensu Montanistarum & Novatianorum, nempè ex *desperatione indulgentiæ*, & defectu potestatis in Ecclesia; sed ex *rigore dumtaxat disciplinæ*.

*Probatur adversùs Lutheranos & Calvinistas, Pœnitentiam esse verum Sacramentum à Baptismi memoria distinctum, & omnibus post Baptismum lapsis necessarium.*

## PRIMA CONCLUSIO.

Pœnitentia verum est & propriè dictum Sacramentum, lapsis post Baptismum absolutè necessarium.

Prima pars probatur

I. Testimoniis Scripturæ & SS. Patrum adversùs Novatianos antea laudatis, ex quibus certò constat datam esse à Christo Ecclesiæ potestatem dimittendi peccata: Ecclesia verò quæ societas est visibilis, potestatem hanc exercere non potest nisi per visibile ministerium, cui, ut mox dicemus, omnes veri Sacramenti dotes & conditiones apprimè conveniunt. Inde est quòd Ecclesiastici Scriptores, de Pœnitentia & Baptismo, tanquam de duobus distinctis Sacramentis, loquantur.

Tertullianus L. de Præscriptionibus cap. 40. loquens de Sacramentis novæ
P. 216. Legis quæ diabolus æmulatur, *Tingit*, inquit, *& ipse quosdam utique credentes & fideles suos: expositionem delictorum de lavacro repromittit .... Mithra signat illic in frontibus milites suos, celebrat & panis oblationem &c.* En quatuor Sacramenta non obscurè à Tertulliano distincta, nempè Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, & Eucharistia.

S. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 8. *Quid interest*, inquit, *utrùm per Pœnitentiam*
To. 2. p. *an per Lavacrum hoc jus* (dimittendi peccata) *sibi datum Sacerdotes vindicent?*
400. B. *Unum in utroque mysterium est. Sed dicis quia in Lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur?* Idem argumentum sæpiùs inculcat S. Pacianus Epist. 1. ad Sympronianum.

Eodem Libro cap. 16. illustre suppeditat testimonium S. Ambrosius, quo directè ostenditur adversùs sententiam Spalatensis antea expositam; peccata etiam occulta Ecclesiæ clavibus esse subjicienda, & per exteriorem
Ibid. p. Pœnitentiam expianda. *Si quis igitur*, inquit, *occulta crimina habens, pro-*
414. A. *pter Christum tamen studiosè Pœnitentiam egerit; quomodo ista recipis, si ei communio non refunditur? Volo veniam reus speret: petat eam lachrymis, petat gemitibus &c.*

S. Hieronymus in Epistola prima ad Heliodorum, comparat Pœniten-
T. 4. p. 2. tiam cum Baptismo & Eucharistia. *Absit*, inquit, *ut de his quidquam sini-*
pag. 10. *strum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt; per quos & nos Christiani sumus, qui claves Regni Cælorum habentes, quodammodo ante diem Judicii judicant.*

S. de-

S. denique Augustinus L. 1. de adulterinis conjugiis cap. 28. *Quæ Baptismatis*, inquit, *eadem reconciliationis est causa*. *To.6.p. 404. B.*

Inde meritò Conc. Trid. Seff. 14. Can. 1. sic decernit: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* *To. 14. Conc. p. 813. C.*

II. Probatur: Quia omnes conditiones requisitæ ad verum & propriè dictum novæ Legis Sacramentum, Pœnitentiæ conveniunt. Namque 1. est signum externum & sensibile, tùm ex parte pœnitentis peccata sua declarantis, & internum animi dolorem significantis; tùm ex parte Sacerdotis absolventis per certa & determinata verba. Et verò, ut jam dictum est, Ecclesiæ ministerium, pro ipsa conditione hominum quibus constat, debet esse sensibile: aliàs nec judex in tribunali Pœnitentiæ posset dignoscere peccata, nisi reus ea declararet exteriùs; nec reus ipse posset esse certus de dimissis sibi peccatis, nisi Sacerdos verbis absolutionis sententiam pronuntiaret. Necessitatem & utilitatem maximam hujus ritus seu ministerii exterioris in dimittendis peccatis, ipsa veritatis evidentia superatus agnovit Calvinus L. 3. Institutionis cap. 12. paragr. 14. 2. Est signum perpetuum: quia cùm Christus concessit Ecclesiæ auctoritatem dimittendi peccata, eam certo temporis spatio non circumscripsit. 3. Signum illud est à Christo institutum, *Cùm nempè*, ait Concilium Tridentinum Seff. 14. cap. 1. *à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. 4. Signum illud non est sterile, sed efficax, quod habet annexam gratiæ promissionem, nempè remissionem peccatorum. *Ibid. p. 816. A.*

Secunda Conclusionis pars probatur ex iisdem Scripturæ ac SS. Patrum testimoniis, quibus certum est Ecclesiæ datas esse claves Regni Cœlorum, hoc est, potestatem dimittendi peccata. Ista quippè reciproca sunt, Ecclesiæ nimirum datas esse claves Regni Cœlorum, & unicuique injunctam esse legem subjiciendi se clavibus Ecclesiæ, si fores Regni Cœlorum sibi reserari exoptet; aliàs frustra & incassum datæ essent claves Ecclesiæ, si nulla lege teneremur ad eas confugere. *Nemo*, ait S. Augustinus Sermone 392. aliàs Hom. 49. inter 50. *sibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago; novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde ago* (pœnitentiam.) *Ergo*, concludit S. Doctor, *sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra &c. Ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ. Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi.* *To.5.p. 1504. E*

Idem est argumentum Haymonis Hom. in Dominica 15. post Pentecosten, ubi confutans eorum errorem, qui sufficere putabant interiorem pœnitentiam quæ fit coram Deo: *Si vera esset*, inquit, *eorum opinio, nequaquam Dominus leprosos quos per semetipsum mundaverat, ad Sacerdotes mitteret*. Et infrà: *Ut ostenderet ad judicium Sacerdotum peccata esse liganda aut solvenda, Lazarum quem per semetipsum à mortuis suscitaverat, non priùs abire permisit, quàm à discipulis solveretur.* *An. 853.*

Inde S. Leo (ut alios innumeros omittam) Epistola 82. aliàs 91. ad Theodorum sic scribit: *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam* *To. 1. p. 605.*

*spes vitæ reparetur æternæ...sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Denique constans est doctrina totius Traditionis, Pœnitentiam tam esse lapsis post Baptismum necessariam, ad peccata subsequentia, quàm Baptismum ad expungenda peccata præcedentia: unde secunda post naufragium tabula dicta est Pœnitentia. Vide Conc. Trid. Sess. 14. cap. 2. & Can. 6. & 7.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Pœnitentiæ Sacramentum distinctum est à Baptismo ejusque memoria.

Probatur 1. ex Scripturis, in quibus Baptismus & Pœnitentia exponuntur & proponuntur tanquam duo distincta remedia peccatorum.

Baptismi & Pœnitentiæ distinctum est mandatum. Baptismi quidem, Matth. 28. v. 20. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris &c.* Pœnitentiæ verò, Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*

Ipse S. Joannes Epistolæ 1. cap. 1. loquens de remedio peccatorum in quæ baptisati prolabuntur, non remittit ad memoriam Baptismi, ut eorum venia obtineatur, sed *si confiteamur peccata nostra*, inquit v. 9. *fidelis est & justus Deus, ut remittat nobis peccata nostra.*

Ipse quoque S. Petrus Act. 8. v. 22. Simonem magum non revocat ad memoriam Baptismi; sed, *Pœnitentiam age*, inquit, *ab hac nequitia tua, & roga Deum.*

Sanctus etiam Paulus non remisit Corinthium incestuosum aut ad Baptismum, aut ad ejus memoriam, 1. Corinth. 5. v. 5. sed *illum tradidit satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus esset in die Domini nostri Jesu Christi.* En quomodo ligavit incestuosum; tum posteà 2. Corinth. 2. v. 7. eundem solvit.

Denique disertè Apostolus Hebr. 6. v. 4. negat eos qui baptisati sunt posse iterum renovari per Baptismum. *Impossibile est*, inquit, *eos qui semel sunt illuminati .... & prolapsi sunt, rursus renovari*: quem textum de Baptismo non iterando communiter interpretantur SS. Patres; ergo nec Baptismus, nec ipsius memoria quidquam conferunt ad dimittenda peccata quæ sunt post Baptismum commissa. Nullum igitur in Scripturis fundamentum habet figmentum quod hìc impugnamus: deberent tamen Novatores, si sibi constare vellent, expressum aliquod Scripturæ testimonium proferre, quo dicatur, Baptismi memoriam sufficere ad expungenda peccata Baptismum subsequentia; profitentur enim illi, se nullum approbare dogma, nisi quod expresè & clarè continetur in sacris Litteris.

Probatur 2. Patrum testimoniis.

I. Docent Baptismum & Pœnitentiam duo esse distincta peccatorum remedia.

Pagina 126. B. Tertullianus L. de Pœnit. c. 7. *Hæc igitur*, inquit, *venena providens Deus, clau-*

*clausa licèt ignoscentiæ janua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc patere permisit. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Cap.4. Pœnitentiam vocat, *secundam post naufragium tabulam*. Cap.7. *secundam spem*. Pagina 123.A. Pagina 125.D.

SS.Ambrosius & Pacianus locis antea citatis ex professo refellunt Novatianos, qui concessam à Christo Ecclesiæ auctoritatem in dimittendis peccatis, ad solum Baptismum limitabant; atque ostendunt Ecclesiam æquali jure & auctoritate peccata relaxare, sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam.

S.Augustinus Epistola 98. aliàs 23. ad Bonifacium n.2. *Semel*, inquit, *perceptam Christi gratiam parvulus non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit. Tunc etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur*. Et in Enchiridio ad Laurentium c.46. *Ideo*, inquit, *quisque renascitur, ut solvatur in eo, quidquid peccati est cum quo nascitur. Nam peccata quæ malè agendo postea committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post Baptismum fieri videmus*. To.2.p. 264.E. To.6.p. 214.B.

II. Docent peccata post Baptismum commissa longè difficiliùs condonari, quàm peccata quæ Baptismum præcedunt. Ita communiter SS. Patres quos longo ordine appellat Morinus Lib. 3.de Pœnit.c.3.4.5.&6.Unus hic sufficiat S.Augustinus Sermone de diversis 351. aliàs Hom. 50. inter 50. cap.5. *Non sufficit*, inquit loquens de peccatis baptisatorum, *mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis*. Et Conc. Trid. Sess. 14. cap.2. loquens ex professo de discrimine Baptismi & Pœnitentiæ, *Per Baptismum*, inquit, *Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ut meritò Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à SS.Patribus dictus fuerit*. To.5.p. 1162.D. To. 14. Conc.p. 816.D.

III. Docent lapsos post Baptismum remittendos esse ut resurgant & sanentur, non ad Baptismum ejusque memoriam, sed ad labores Pœnitentiæ, ad Ecclesiæ claves, ad Sacerdotum auctoritatem. Totus est eam in rem S.Cyprianus in Tractatu de lapsis, & passim in suis Epistolis, cujus verba, ut & aliorum plurimorum, referemus in decursu hujus Tractatus.

Inde meritò Conc. Trid. Sess. 14. Can. 2. Novatorum errorem his verbis proscribit: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit*. Ibid. p. 823.D.

Probatur 3. ratione Theologica ducta ex discrimine quod est inter Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ, quod doctè & eleganter exponit Conc. Trid. Sess. 14. cap.2. Scilicet, Sacramentum Pœnitentiæ habet subjectum, ministrum, formam, materiam, & effectum omninò diversum & distinctum à Baptismo. Subjectum Pœnitentiæ, est homo baptisatus; Baptismi verò capax est homo quilibet. Minister Pœnitentiæ est solus Sacer- Ibid. p. 813.

C. 2. dos;

dos; Baptismi homo quilibet. Peccatum originale, & omnia actualia per Baptismum delentur; sola verò actualia quæ Baptismum sequuntur, per Pœnitentiæ Sacramentum. Materia autem Baptismi est aqua, sicut forma ista, *Ego te baptiso &c.* materia verò Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis; forma, verba quibus Sacerdos absolvit. Igitur Baptismus & Pœnitentia duo sunt planè distincta Sacramenta.

### *Solvuntur Objectiones Novatorum.*

Objicies 1. Eadem est pœnitentia tùm in nova, tùm in veteri Lege; eadem ipsius vis & efficacia in dimittendis peccatis: atqui pœnitentia veteris Legis non fuit verum Sacramentum; ergo &c.

Resp. 1. dist. primam majoris partem. Eadem est in nova & veteri Lege pœnitentia, ratione virtutis, concedo: ratione Sacramenti, nego. *Omni* [To. 14. Conc. p. 815. E.] *tempore*, ait Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. *ad gratiam & justitiam assequendam pœnitentia necessaria fuit, iis qui se mortali aliquo peccato inquinassent .....sed nec ante adventum Christi pœnitentia fuit Sacramentum, nec post adventum illis est qui baptisati non sunt.* Pœnitentia igitur ante Christum fuit simpliciter virtus: at post Christum virtus est simul & Sacramentum. Non enim dixit Deus Sacerdotibus veteris Legis, sicut novis, *Quæcunque solveritis, erunt soluta*: nulli dixit, *Tibi dabo claves regni Cœlorum &c.* Unde quando Propheta Nathan Davidi pœnitenti ac confitenti suum peccatum dixit 2. Regum 12. v. 13. *Dominus transtulit peccatum tuum*; verè peccatum ille non dimisit; sed à Deo dimissum esse declaravit: Christi verò Sacerdotes, non tantùm declarandi, sed verè dimittendi peccata facultatem habent.

Resp. 2. ad secundam partem, nego eandem esse vim & efficaciam pœnitentiæ veteris & novæ: pœnitentia enim in nova Lege, quatenùs Sacramentum est, agit ex opere operato; in veteri autem Lege, quatenus simpliciter virtus, ex opere dumtaxat operantis veniam peccatorum impetrabat.

Objicies 2. Multi è SS. Patribus istud S. Joan. testimonium, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* interpretantur non de remissione quæ fiat per modum judicii in tribunali Pœnitentiæ; sed de remissione quæ fit vel per Evangelii prædicationem, quatenus scilicet illa prædicatione homines à vitiis retrahuntur, & ad virtutem excitantur, vel per administrationem Baptismi. Ita S. Cyrillus Commentario in citatum S. Joannis locum, S. Hieronymus in caput 44. Isaiæ. *Solvunt eos*, inquit, *Apostoli sermone Dei, & testimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum.* S. [To. 3. p. 2. pag. 808. G.] etiam Augustinus Tractatu 121. in Joan. ubi ait, *charitatem Ecclesiæ, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum peccata dimittere; eorum autem qui non sunt participes, retinere.*

Resp. nonnullos quidem è SS. Patribus, sensu mox adducto citatum S. Joannis locum interpretari; sed nullus eorum est, qui aliam expositionem rejiciat, nullus qui auctoritatem Ecclesiæ in dimittendis peccatis non confirmet hoc ipso S. Joannis testimonio. Nihil ergo periculi habet apud SS. illos Doctores prior expositio, qui aliam expressè laudant & confirmant sæpius: [To. 14. Conc. p. 823. D. E.] at in Novatoribus, qui priori admissa, alteram repudiant, meritò damnata est & proscripta prior expositio à Conc. Trid. Sess. 14. Can. 3. his verbis:

Si

*Si quis dixerit, verba illa Domini salvatoris, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.* Qui Canon, ut rectè observat Estius in 4. dist. 14. paragr. 6. *non adversatur quibusdam SS. Patrum expositionibus, etsi minùs propriis; sed in eos pronuntiatur, qui verba Domini Joan. 20. commentitiis interpretationibus ad auctoritatem prædicandi Evangelium, contra institutionem Sacramenti Pœnitentiæ detorquent, quod faciunt Novatores, & à SS. Patribus citatis nusquam factum legimus.* Quæ verò sit mens SS. Hieronymi & Augustini, patet ex testimoniis antea citatis; S. verò Cyrillus expressè L. 12. in Joannem agnoscit duplicem distinctum modum quo Sacerdotes peccata dimittunt, nempè per Baptismum, & Pœnitentiam. *Remittunt*, inquit, *peccata vel retinent Spiritu afflati homines, duobus ut arbitror modis. Vel enim dignos ad Baptismum vocant.... vel cùm filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoscunt, sicuti Paulus erga fornicarium Corinthium.*

*Tom. 2. pa. 173. col. 2. B. C.*

*To. 4. p. 1101. D*

Objicies 3. Omne Sacramentum novæ Legis debet constare rebus & verbis, juxta effatum S. Augustini Tractatu 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Atqui in Pœnitentia nihil tale occurrit; ergo &c.

Resp. nego min. Constabit enim ex dicendis posteà, actus pœnitentis esse partes veluti materiales hujus Sacramenti; absolutionem verò Sacerdotis verbis exteriùs pronuntiatam, esse formam.

Instabis: In quolibet Sacramento tria hæc distingui possunt, scilicet, Sacramentum tantùm, res Sacramenti, & Sacramentum simul & res Sacramenti; atqui in Pœnitentia tria hæc distingui non possunt; ergo &c.

Resp. 1. Scholæ quidem Doctores tria hæc in Sacramentis distinguere: verùm Ecclesia circa quæstionem hanc nihil unquam pronuntiavit; & quamquam non possemus tria hæc in Sacramento Pœnitentiæ distinctè secernere, non idcircò tamen nutaret hujus Sacramenti fides, quæ ab illis Scholæ subtilioribus quæstionibus non dependet.

Resp. 2. nego min. Namque confessio & absolutio dici possunt Sacramentum tantùm, quæ cùm sensibiles sint, gratiam & significant, & producunt; res verò Sacramenti, est gratia, seu remissio peccatorum, quæ significatur, & non significat; contritio verò est Sacramentum simul, & res Sacramenti: est Sacramentum, quatenus sensibilis fit per confessionem; & aliquo sensu res est Sacramenti, quatenus ex se non cadit sub sensum, sed per confessionem exprimitur.

Objicies 4. Si ex citatis verbis Matth. 18. *Quæcunque solveritis &c.* colligi possit potestatem solvendi à peccatis esse Sacramentum, pariter ex istis, *Quæcunque alligaveritis &c.* colligetur potestatem ligandi verum esse Sacramentum: atqui istud postremum planè absurdum est, Sacramentum quippè gratiam confert; qui verò ligant peccata vinculo excommunicationis, an gratiam censentur conferre?

Resp. solvendi & ligandi facultatem duas esse ejusdem auctoritatis partes sacramentales, quarum una, nempè solvendi, verum est Sacramentum cui annexa est gratiæ seu remissionis peccatorum promissio: altera verò,

nempè ligandi potestas, sacramentalis quidem est, quia ordinatur ad Sacramentum, non enim ligatur quis, nisi ut solvatur, & pęna, quam Ecclesia imponit, medicinalis est, ad veniam & indulgentiam destinata; non tamen verum est Sacramentum, quia per se gratiam non confert.

Objicies 5. contra secundam primæ Conclusionis partem. 1. Scripturæ veniam peccatorum tribuunt sinceræ conversioni seu contritioni cordis. Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet & non morietur*. 2. eandem vim assignant charitati, & operibus misericordiæ. 3. Christus sine Sacramento Pęnitentiæ Lucæ 7. peccatricem, & Joan. 8. adulteram dimisit: pariter S. Petrus Act. 8. Simonem magum gravissimi post Baptismum criminis reum, non remittit ad aliquod Ecclesiæ Sacramentum. 4. Lex gratiæ nihil detrahit de virtute pęnitentiæ ac fidei; sed ante Christum sola fides & Pœnitentia sufficiebat ad consequendam peccatorum veniam.

Resp. ad primum, Scripturam, quæ peccatorum veniam tribuit sinceræ contritioni ac pœnitentiæ, non negare, imò potius confirmare necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ, unum enim aliud non excludit: aliàs nequidem Baptismum in nova Lege necessarium esse inferre quis posset ex iisdem Scripturæ testimoniis, quod tamen non concedunt Novatores Lutherani & Calvinistæ. Meritò igitur commendatur contritionis & sinceræ conversionis virtus, cùm semper necessaria sit: at non idcircò excluditur efficacia & necessitas Sacramenti Pœnitentiæ.

Eadem est responsio ad secundum.

Ad tertium. 1. Institutum non fuit Sacramentum Pœnitentiæ ante Christi passionem. 2. Licèt institutum fuisset, nonne potuisset Christus per potestatem excellentiæ sine illo peccata dimittere? virtus enim ipsius signis sensibilibus non est necessariò alligata: S. verò Petrus Simonem magum non tantùm ad Pœnitentiam ut virtus est, sed etiam ut Sacramentum, remisisse meritò conjici potest, cùm ipsi dixit, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*.

Ad quartum. Nihil detractum fuit de vi & efficacia fidei, charitatis aliarumque virtutum per Pœnitentiæ Sacramentum; aliàs & detractum fuisset per Baptismum, quod non admittunt adversarii: sed solummodo præceptum novum additum est, nempè subjiciendi se clavibus Ecclesiæ.

Objicies 6. adversùs secundam Conclusionem.

I. Baptismo omnis mundatio tribuitur Ephes. 5. v. 26.

II. Joannes prædicavit Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; ergo pęnitentiæ Sacramentum non distinguitur à Baptismo.

III. S. Augustinus L. 2. de Gratia & peccato originali cap. 39. & 40. L. 3. ad Bonifacium c. 3. L. 6. contra Julianum c. 13. & 18. & L. 1. de nuptiis & concupiscentia c. 33. docet omnia peccata, etiam post Baptismum, dimitti per ipsum Baptismum.

Resp. ad primum, omnem mundationem respectu peccatorum antecedentium tribui Baptismo verè ac effectivè; respectu verò peccatorum subsequentium, tribui eidem Baptismo fundamentaliter, præsuppositivè, dispositivè, quia nemo per Sacramentum Pœnitentiæ mundari potest, nisi qui fuerit baptisatus; Baptismus enim janua est omnium Sacramentorum.

Ad

Ad secundum: Cùm tota vis Baptismatis Joannis esset à Pœnitentia, meritò vocatur Baptismus pœnitentiæ: at longè superior est virtus Baptismatis Christi, quàm Joannis, ut docuimus in Tractatu de Baptismo.

Ad tertium; S. Augustinus remissionem peccatorum quæ sequuntur Baptismum non alio sensu Baptismo adscribit, quàm quòd sit dispositio quædam seu fundamentum præsuppositum ad obtinendam peccatorum veniam ministerio clavium Ecclesiæ. Seipsum sic exponit sanctus Doctor citato c. 33. L. 1. de nuptiis & concupiscentia. *Peccata*, inquit, *quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, in Baptismo remittuntur: non ut Baptisma, quoties peccatur, toties repetatur; sed quia eo ipso quòd semel datur, fit, ut non solùm antea, verùm etiam posteà quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel posteà, nisi præcederet? In ipsa quoque oratione Dominica, quæ quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur, Dimitte nobis debita nostra, nisi ab eis qui baptisati sunt, diceretur?* P. 10 p. 293. A.

Instabis. S. Fulgentius L. de fide ad Petrum c. 30. appellat Baptismum Sacramentum fidei & pœnitentiæ.

Resp. dist. ant. appellat Sacramentum fidei & pœnitentiæ, respectu Infidelium adultorum, qui ad Baptismum non admittuntur nisi præmissa de peccatis pœnitentia, ut ibidem testatur S. Fulgentius, concedo: respectu lapsorum post Baptismum, nego.

## ARTICULUS II.

### *An sacramentalis absolutio verè & propriè coram Deo peccata dimittat; vel declaret solummodo ea esse dimissa.*

PRæcedenti affinis est ista quæstio, de qua continuo spiritu hic agendum esse duximus. Quippè si Ecclesia potestatem habeat dimittendi peccata per verum & propriè dictum Pœnitentiæ Sacramentum, consequens illud esse videtur, ut decretoriè peccata illa dimittat, non verò declaret tantùm esse à Deo dimissa. Inde est quòd Novatores Lutherani & Calvinistæ principium seu fundamentum ipsum negantes, hoc est, Ecclesiam dimittere peccata per verum Pœnitentiæ Sacramentum, consequenter affirmant Ecclesiam hanc habere dumtaxat facultatem, ut declaret dimissa esse à Deo peccata, non ut ea verè ac juridicè dimittat.

Multi Scholæ Theologi, ipso præeunte Scholasticorum principe Magistro Sententiarum L. 4. dist. 18. docuere sacerdotalem absolutionem declarativum dumtaxat esse peccati à Deo jam dimissi. *Sacerdotibus*, inquit Magister citato loco littera E, *potestatem concessit Christus solvendi & ligandi; id est, ostendendi homines ligatos vel solutos.* Et postea: *Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa à Deo vel retenta judicant & ostendunt.* Magistrum sequuti sunt S. Bonaventura, Gabriel, Major, Alensis & alii non pauci.

Immeritò tamen Novatores hac Scholasticorum opinione, quasi errori suo consona foret, gloriantur, à quo multùm sanè discrepat. Novatores quippè idcircò docent absolutionem nudum esse ministerium declarandi peccata esse dimissa, quia illis nec Pœnitentia verum est Sacramentum, nec con-

fessio peccatorum necessaria, nec absolutio actus judicii, qui coram Deo animam à peccatis mundet; sed ad unum pœnitentis solatium, & cæterorum exemplum dumtaxat inservit: ipsa denique solvendi & ligandi potestas à Christo Ecclesiæ concessa, in sententia Novatorum, posita est solummodo vel in prædicatione Evangelii, vel in imponendis, aut relaxandis pœnis exterioribus. At ab his erroribus longè absunt Scholæ Doctores, qui omnes votis conspirantibus docent, Pœnitentiam verum esse & propriè dictum Sacramentum, confessionem sacramentalem planè necessariam esse, absolutionem Sacerdotis esse actum judicii, potestatem denique solvendi & ligandi non exteriùs tantùm, sed intus operari. Longè itaque dispari ac diversa ratione ad hanc opinionem ducti sunt Scholastici, & Novatores: isti ex erroneo principio, illi ex certa quadam Scholæ opinione.

Scilicet in ea versabantur illi opinione, contritionem ex charitate perfecta, necessariò prærequiri in pœnitente, ut à Sacerdote validè possit absolvi, ex quo sequitur, pœnitentem jam justificatum esse per contritionem perfectam, cùm ad Sacerdotem absolvendus accedit, adeoque non alias Sacerdotis esse partes, quàm ut juridicè declaret peccata esse à Deo dimissa. *Nemo quippè verè compungitur de peccato*, ait Magister ibid. litt. D. *habens cor contritum & humiliatum, nisi in charitate: qui autem charitatem habet, dignus est vita æterna.*

Cùm verò ea Scholæ opinio quæ charitatem perfectam prærequirit ad absolutionem, damnata non fuerit à Concilio Tridentino; nec consequenter damnata censeri debet altera quæ ex ista nascitur, absolutionem scilicet declarativam esse remissionis peccatorum jam à Deo concessæ sensu exposito. Ita de sententia Magistri & aliorum Scholasticorum sensit Andreas Vega, qui Concilio Tridentino interfuit, Lib. 13. in Decretum hujus Concilii de justificatione cap. 33. *Existimandum non est*, inquit, *eos cum illis* (Novatoribus) *sensisse, qui absolutionem Sacerdotum inanem credunt. Nam & ad augmentum gratiæ, & ad remissionem pœnæ debitæ pro peccatis omnibus, ritè sua peccata confessis utilem eam esse tradiderunt; & hac ratione tueri eos possumus, ne videantur adversari definitionibus Ecclesiæ.* Inde est quòd & Dominicus Soto in 4. dist. 20. q. 2. & Salmeron tomo 11. tractatu 18. qui eidem Concilio adfuere, eam opinionem refellunt quidem, verùm à Concilio damnatam nusquam affirmant; & Pallavicinus L. 12. Hist. Conc. Trid. c. 12. ait, *Concilium eorum tantùm errorem damnavisse, qui dicebant absolutionem esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata.* Aliunde verò sæpiùs inculcat idem Historicus, solemne fuisse Patribus Tridentinis, opiniones Scholæ utrimque disputatas, illæsas relinquere. Adde quòd multi gravesque Theologi, quos appellat Launojus Dissertatione de mente Concilii Tridentini circa contritionem & attritionem, parte 2. cap. 2. & 3. Magistri sententiam circa necessitatem charitatis perfectæ præviæ ad absolutionem sacramentalem, propugnaverint etiam post Concilium Tridentinum, quam haud dubiè non propugnassent, si vel damnata illa fuisset; vel ex ea sequeretur nexu necessario, absolutionem merè declaratoriam esse peccati jam condonati, adeoque otiosam & inanem: quas consecutiones nunquam admisere, imò expressè rejecerunt, qui Magistri sententiam amplexi sunt; neque æquitas patitur, ut consecutiones illæ, quas rejiciunt, ipsis imputentur, quam-

[Margin notes: P. 634. col. 1. — Tom. 2. pa. 341. n. 5.]

quamquam ex eorum sententia directè fluere nobis videantur: non itaque violatæ fidei, sed ratiocinii non satis directi & accurati argui illi possunt. Ita opinionem Magistri & aliorum nonnullorum Theologorum multi benignè interpretantur & excusant.

Sunt tamen non pauci, qui, quamquam fateantur opinionem hanc differre ab errore Wiclefi & aliorum Novatorum, eam tamen erroneam appellare non dubitant, & à Concilio Tridentino proscriptam, qua parte scilicet affirmat, absolutionem Sacerdotis non remittere culpam, sed declarare à Deo remissam. Ita Vasques q. 84. de Penitentia dubio 2. Suares in 3. partem disputatione 19. sectione 2. Estius in 4. dist. 18. paragrapho 3. & alii benè multi recentiores, quibus suffragari videtur sacra Facultas Parisiensis in Censura qua anno 1638. die 1. Julii notavit doctrinam Libri de Virginitate, auctore Patre Seguenotio Oratoriano Presbytero: Censuræ verba paulò post referemus. His de sententia Magistri historicè præmissis, communis Theologorum doctrina probanda & confirmanda nobis superest.

## CONCLUSIO.

Absolutio sacramentalis verè & propriè dimittit coram Deo peccata, non verò declarat tantùm esse dimissa.

Probatur Scripturæ testimoniis adversùs Montanistas & Novatianos Articulo 1. hujus secundæ Quæstionis citatis, ex quibus exploratum ac certum est

I. Ecclesiæ datas esse in persona S. Petri claves regni Cœlorum. Matth. 16. v. 19. Atqui claves non dantur ut declaretur ostium esse apertum, sed ut reipsa aperiatur.

II. datam esse Apostolis facultatem remittendi peccata. Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Non dixit Christus, Quorum declaraveritis dimissa esse peccata, sed, quorum remiseritis, vera scilicet & juridica potestate. Sic esse verba Christi sensu proprio & naturali intelligenda, suadent invictè hæc momenta. 1. Quia testatur Christus se eam Apostolis conferre auctoritatem, quam ipse à Patre acceperat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, inquit. At Christus verè & propriè peccata remittebat, non declarabat dumtaxat esse remissa. 2. Ipsi Pharisæi cùm audierunt Christum dicentem paralytico, *Remittuntur tibi peccata tua*; statim ex verbi hujus, *remittuntur*, significatione obvia & naturali, intellexerunt Christum sibi arrogare auctoritatem verè dimittendi peccata; atque inde eorum querimonia & expostulatio apud S. Lucam cap. 5. v. 21. *Quis est hic* ( dicebant ) *qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* De sola declaratione remissi peccati à Christo facta conqueri illi & obmurmurare non potuissent, cùm olim à Propheta Nathan talem Davidi declarationem factam fuisse non ignorarent; eorum igitur scandalum & obmurmuratio locum & occasionem habuit ex nativa & omnibus cognita verbi hujus, *remittere*, significatione, quæ, cùm de peccatis agitur, indicat veram, propriam & decretoriam peccatorum remittendorum auctoritatem; quam significationem tantùm abest ut correxerit Chri-

Christus, quinimò potius confirmavit restituta per miraculum paralytico sanitate. *Quid est facilius*, inquit v. 23. *dicere, Dimittuntur peccata tua ; an dicere, Surge & ambula?* 3. Si liceat Lutheranis & Calvinistis, verba hæc, *remittere peccata*, sic interpretari, *declarare esse dimissa*; quidni pariter licitum erit Socinianis, ( quos tamen illi refellere omni studio nituntur, sed quibus sua licentia vel inviti arma subministrant, ) Lutheranis & Calvinistis Christi divinitatem probantibus ex eo quòd peccata remittat, respondere, verbum, *remittere*, simplicem in Christo designare potestatem declarandi peccata esse à Deo remissa ; quemadmodum ipsi Lutherani & Calvinistæ Catholicis, hoc ipsum verbum in præsenti argumento urgentibus, respondent? Videtur ex utraque parte par licentia, aut potius par impietas & temeritas. 4. Quia testatur Christus, eo ipso modo dimittenda esse peccata in Cœlis, quo remittuntur in terris: at in Cœlis non tantùm declarantur esse remissa, sed verè & propriè remissa habentur.

III. Eadem est auctoritas solvendi, & ligandi, Matth. 18. v. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo ; & quæcunque solveritis, erunt soluta.*

At, ut optimè ratiocinatur Estius in 4. dist. 18. parag. 3. ligare, idem non T. 2. p. 237. col. 1. B. est quod annuntiare, vel ostendere ligatum; sed plùs aliquid significat, nempe sententiam Ecclesiæ, qua pronuntiat hominem vinculo excommunicationis innodandum, pœnis castigandum ; ac, si contumax fuerit, eum habendum tanquam Ethnicum & publicanum. Christus igitur concessit Sacerdotibus potestatem veram dimittendi peccata; non quidem absolutam, principalem & independentem, qualem ipse habet, sed ministerialem, quæ non tantùm ad pœnas peccatis debitas se extendit, sed ad culpam ipsam, unde pœnæ debitum contrahitur: peccati enim nomine, magis ipsa culpa, quàm pœnæ reatus solet intelligi.

Probatur 2. constanti SS. Patrum Traditione.

Biblioт. PP. T. 4 p. 306. H. Docent enim 1. Christum ipsum Sacerdotum ministerio delere peccata, sicut ipse est qui baptisat. Ita S. Pacianus Epistola 1. ad Sympronianum : *Quod per Sacerdotes suos facit Christus*, inquit, *sua potestas est*. Et Epistola 3. *Quod ego facio, id non meo iure, sed Domini ; Dei enim adjutores sumus*. S. Ibid. p. 310. H. Leo Epist. 82. al. 91. *Huic operi*, inquit, *incessabiliter ipse Salvator intervenit*, T. 2. p. 605. c. *nec unquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit*. S. Eligius Hom. 4. *Quos Christus*, inquit, *invisibiliter absolvendo dignos sua reconci-* 2. Bibliot. PP. T. 12. pag. 305. D. *liatione judicat ; nos, visibiliter reconciliando, per officium nostri ministerii absolvimus*. Ex his sic arguimus: Idem faciunt ministri exteriùs absolvendo, quod Christus invisibiliter seu interiùs : at Christus non declarat tantùm dimissa peccata, sed ea verè dimittit auctoritate primaria, suprema & independente; ergo ministri non tantùm declarant, sed remittunt peccata auctoritate secundaria & ministeriali.

Docent 2. Sacerdotes veros sedere judices in tribunali Pœnitentiæ, qui pronuntiandi auctoritatem habent in cœlestibus negotiis. Ita SS. Hilarius Commentario in caput 18. S. Matth. Chrysostomus Hom. 5. de verbis Isaiæ, S. Hieronymus Epistola 1. S. Aug. Lib. 2. de Civit. Dei cap. 9. Gregorius Magnus Hom. 26. Verba inferiùs referemus, ubi de Confessione. Inde sic arguimus: Qui verè sunt judices, non declarant tantùm aliquem damnatum

esse,

esse, vel absolutum: sed damnant, vel absolvunt: at Sacerdotes veri sunt judices; ergo non tantùm declarant esse homini pœnitenti dimissa peccata, sed verè dimittunt. Conclusio hæc ipsius est S. Chrysostomi L. 3. de Sacerdotio cap. 6. *Corporis lepram*, inquit, *purgare*; *imò potius nullatenus purgare*, *sed purgatos probare tantùm*, *Judæorum Sacerdotibus licebat* . . . . *Hi verò* ( Sacerdotes novæ Legis ) *non lepram corporis*, *sed immunditiam animæ*, *non purgatam probandi*, *sed prorsus purgandi potestatem acceperunt*. *Ed. postr T. 1. p. 384. B*

Docent 3. à Sacerdotibus solvi peccatorum nostrorum vincula. Ita S. Athanasius istud Evangelii, *Profecti in pagum invenietis pullum alligatum. Si nondum*, inquit, *soluta sunt vincula tua*, *trade te ipsum discipulis Jesu*. *Adsunt enim qui nos solvant*, *accepta ea à Salvatore potestate*, *Quodcunque ligaveritis super terram &c.* Ita S. Ambrosius L. 2. de Pœnit. c. 2. *Impossibile*, inquit, *videbatur per pœnitentiam peccata dimitti*: *concessit hoc Christus Apostolis*, *quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est*. Ita pariter S. Leo Epist. 82. al. 91. cap. 3. & alii quamplurimi. At solvere alicujus vincula, plùs aliquid profectò importat, quàm declarare esse soluta. *To. 2. p. 791. B.* *To. 2. p. 419. A.*

Docent 4. priùs dimitti debere peccata in terris, Sacerdotum ministerio, quàm dimittantur in Cœlis, juxta Christi verba, *Quæcunque solveritis in terris*, *erunt soluta & in Cœlis*. Ita S. Hilarius in caput 16. S. Math. *O beatus Cœli janitor*, exclamat, *cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur*, *cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in Cœlo*; *ut quæ in terris aut ligata sint aut soluta*, *statuti ejusdem conditionem obtineant & in Cœlo*. Ita S. Chrysostomus Hom. 5. de verbis Isaiæ. *A terra*, inquit, *judicandi principalem auctoritatem sumit Cœlum*. *Nam judex sedet in terra*, *Dominus sequitur servum*. Ita S. Leo Sermone de Transfiguratione Domini, & S. Bernardus Sermone 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli. *Sententia Petri*, inquit, *præcedit sententiam Cœli*. Ex his sic arguimus: Illa peccata verè & propriè dimittuntur à Sacerdotibus, non verò declarantur tantùm esse dimissa, quæ ante Sacerdotum sententiam non sunt à Deo dimissa: atqui peccata non dimittuntur à Deo, juxta doctrinam SS. Patrum, ante sententiam Sacerdotum; ergo peccata verè & propriè dimittuntur à Sacerdotibus. *Ed. postr. pa. 690. E.* *Ed. postr. To. 6. p. 132 D. E.* *To. 1. p. 370.* *To. 1. p. 989. C.*

Docent 5. eadem auctoritate à Christo accepta Sacerdotes remittere peccata per Pœnitentiam & per Baptismum. Argumentum hoc urgent adversùs Novatianos SS. Ambrosius & Pacianus citati Articulo 1. At in Baptismo non declarant tantùm dimitti peccata, sed verè dimittunt: sicut enim verè baptisant, ita verè per Baptismum animam mundant à peccatis; ergo similiter verè à peccatis absolvunt in Sacramento Pœnitentiæ, non verò tantùm declarant datam à Deo absolutionem.

Docent 6. absolutionis sacerdotalis tantam esse necessitatem, ut ejus defectu perire animas affirmare non dubitaverint. Atque hinc graves illæ querimoniæ & expostulationes tùm S. Celestini & S. Leonis SS. Pontificum, adversùs nonnullorum severitatem, qui etiam in fine vitæ certis peccatoribus absolutionis beneficium denegabant; tùm SS. Patrum adversùs ignavos illos & timidos Pastores, qui persecutionis tempore fugiunt, ac sibi commissas oves omni ope spiritali & Sacramentorum subsidio destitutas derelinquunt, quod malum, quàm grave sit & luctuosum ostendunt S. Augustinus Epistola 228. aliàs 180. ad Honoratum, & Victor Vitensis L. 2. de Perse-

Persecutione Vandalica. An verò de illa sacerdotali absolutione tam solliciti fuissent Veteres? An ejus defectu periclitari hominis salutem asseruissent, si persuasum ipsis fuisset, eam meram esse declarationem peccati à Deo jam dimissi?

Probatur 3. ex Decretis Conciliorum.

Quotquot adversùs Montanistas & Novatianos insurrexere Concilia, Conclusionem nostram apertè confirmant. Neque enim inter illos Hæreticos & Orthodoxos quæstio erat, an haberet Ecclesia auctoritatem declarandi remissa esse peccata, sed an revera ea remitteret.

In Concilio Constantiensi damnati sunt plures articuli Joannis Wiclef,
& Joannis Hus, inter quos isti erant: *Quòd Sacerdos non possit peccato-*
*rem confessum & contritum absolvere. Quòd malus Sacerdos verè non absol-*
T. 12. *vat, nec conferat alia Sacramenta.* Unde in Bulla Martini V. præscribitur in-
Conc.p. terrogandos esse qui suspecti sunt, utrum credant, *quòd Sacerdos possit pecca-*
279.E. *torem confessum & contritum absolvere.* Et rursus, *utrum credant quòd malus*
*Sacerdos verè absolvat, & verè conferat alia Sacramenta.*

Concilium Florentinum definit, *quòd sicut per Baptismum spiritualiter re-*
T. 13. *nascimur, ita per Pœnitentiæ Sacramentum spiritualiter sanamur*; atque *hujus*
Conc.p. *Sacramenti effectum*, ait esse *absolutionem à peccatis.*
535 A. Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 6. & Can. 9. suprà memoratum Lu-
Ibid. p. 538. B. theranorum & Calvinistarum errorem proscribit. Cap. 6. doctrinam Eccle-
siæ his verbis declarat & exponit: *Quamvis absolutio Sacerdotis alieni bene-*
T. 14. *ficii sit dispensatio, tamen non est solùm nudum ministerium vel annuntiandi*
Conc.p. *Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicia-*
819.E. *lis, quo ab ipso, velut à judice, sententia pronuntiatur.* Canone verò 9. sic
definit: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum*
Ibid. p. 825. A. *judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse*
*peccata . . . anathema sit.* Lutheranos & Calvinistas ferit ille Canon.

Capite verò 4. videtur Concilium omnino evertere fundamentum opi-
nionis Magistri & aliorum nonnullorum Scholasticorum: ait quippe, *con-*
Ibid. p. *tingere aliquando contritionem esse charitate perfectam, eamque Deo hominem*
817. D. *reconciliare priùs quàm Sacramentum Pœnitentiæ actu percipiat.* Quæ particula, *aliquando*, apertè insinuat, contritionem perfectam non esse ordinariam dispositionem necessariò requisitam ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut oportet, percipiendum; adeoque necesse non esse, hominem priùs justum esse ac Deo per charitatem perfectam reconciliatum, quàm se clavibus Ecclesiæ subjiciat; ex quo directè sequitur adversùs Magistrum ejusque sequaces, absolutionem non declarare peccata jam dimissa, sed reipsa ea dimittere.

His accedit sacra Facultas Parisiensis, quæ die 1. Julii anni 1638. Censura sua confixit Librum Patris Seguenotii Presbyteri Oratoriani *De virginitate*, in quo contritionis ex charitate perfecta tantam esse necessitatem in Sacramento Pœnitentiæ ille contendebat, ut absolutio sacramentalis nihil aliud esset quàm juridica peccati jam condonati declaratio. *Quæ tradit auctor*, ait Censura, *de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, & quæ addit & approbat de absolutione, quòd nihil aliud sit, quàm declaratio juri-*

dica

*dica peccati jam remissi, damnavit quoque Facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficacia Sacramenti Pœnitentiæ imminutivas, & insuper temerarias & erroneas.*

Probatur denique rationibus Theologicis.

I. Quia Sacramentum Pœnitentiæ, ut & alia novæ Legis, gratiam producit ex opere operato, ut definit Conc. Trid. Sess. 7. Can. 8. At si sacramentalis absolutio vim haberet declarandi dumtaxat peccata esse dimissa, & ea verè non remitteret, Sacramentum gratiam vi sua non produceret, sed jam supponeret concessam; gratia enim propria Sacramenti Pœnitentiæ consistit in remissione peccatorum, & reconciliatione pœnitentis cum Deo: at gratiam ejusmodi non efficeret nec conferret, sed collatam solummodò declararet per Sacramentum Pœnitentiæ; ergo gratiam vi sua non produceret; sententia ergo Magistri & aliorum imminuit vim & efficaciam Sacraměti Pœnitentiæ.

Neque est quòd respondeant, nihil detrahi efficaciæ Sacramenti, cùm & pœnam deleat, & augmentum conferat gratiæ. Namque 1. pœnæ æternæ remissio non sejungitur à remissione culpæ; si igitur Sacramentum culpam non remittit, nec etiam æternam pœnam: temporalis autem pœnæ relaxatio, non est præcipuus Sacramenti effectus, de quo loquuntur SS. Patres; nec etiam de solo augmento gratiæ loquuntur iidem SS. Doctores, sed de ipsa simpliciter gratia, qua solvuntur peccatorum vincula, qua peccatores Deo reconciliantur, ait Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. Igitur sententia Magistri multùm detrahit virtuti & efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ.

II. Clavium potestas & usus in eo non reponitur, ut ostendat apertum esse ostium, sed ut verè aperiat.

III. Eadem auctoritate peccata dimittit Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ, cùm ait, *Ego te absolvo*, qua in Sacramento Baptismi, cùm dicit, *Ego te baptiso*: sed in Baptismo verè ministeriali auctoritate dimittit peccata, non ostendit tantùm esse dimissa; ergo & in Sacramento Pœnitentiæ.

IV. *Si Sacerdos*, inquit Estius in 4. dist. 18. paragrapho 3. *confitentem verè non absolvit, jam profectò plùs oneris, quàm utilitatis habebit præceptum confessionis. Nam præcipua ejus utilitas ex institutione Christi, juxta doctrinam quam hic refellimus, erit nuda absolutionis declaratio; qua utilitate gravitas illius præcepti minimè videtur compensari.* T. 2. p. 237. & 238.

V. *Quia*, pergit idem Theologus, *hæc absolutionis ostensio seu declaratio, vel nullum, vel exiguum usum habet. Non enim fit Deo, qui omnia novit, quique, ut illa opinio vult, pœnitentem jam antea absolvit: neque fit Ecclesiæ, quia non est hoc forum exterius; neque ipsi Sacerdoti, quia declaratio fieri debet ad alium: at neque etiam pœnitenti, nam cæteris paribus, ipse multò meliùs videt in corde suo veram contritionem, per quam jam antè æstimatur absolutus, quàm possit ex ejus confessione & signis extorioribus Sacerdos cognoscere; & proinde hac declaratione Sacerdotis non opus habet.* Ita Estius. Ibid.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. Solus Deus peccata dimittit. Isaiæ 43. v. 25. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas.* Lucæ 5. v. 21. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

Resp.

Resp. dist. ant. Solus Deus, ut causa primaria & independens, dimittit peccata, concedo: per exclusionem causæ instrumentalis, secundariæ & ministerialis, nego. *Quod enim per suos Sacerdotes*, ait S. Pacianus jam citatus Epistola 1. ad Sympronianum, *ipsemet facit Christus*. Quod refertur ex cap. 5. S. Lucæ, à Pharisæis dictum quidem fuit, sed falsò; Apostolis quippe concessam esse dimittendi peccata auctoritatem ministerialem, ipse declarat Christus, Matth. 16. v. 19. Joan. 20. v. 21.

Instabis 1. Solus Deus potest actione sua animam attingere.

Resp. dist. ant. Actione sua immediata & directa, quæ nullis sensibilibus signis est alligata, concedo. Solus Deus actione sua potest animam attingere, per exclusionem actionis & Sacramenti, & ministri Sacramentum conferentis, nego. Eadem enim actione qua Sacramentum gratiam producit, ut instrumentum à Christo institutum, eadem & minister ut causa conficiens & conferens Sacramentum.

Instabis 2. Verbum istud, *remittere*, significat aliquando meram peccati dimissi declarationem, ut Lucæ 7. v. 48. cùm Christus dixit Magdalenæ, *Remittuntur tibi peccata tua*; jam enim dimissa fuerant cùm v. 47. dixerat Christus, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*.

Resp. 1. in hoc utroque citato versu unam & eandem exprimi remissionem peccatorum Magdalenæ; adeoque utrobique verbum, *remittere*, in propria & nativa significatione usurpari. Versu enim 47. Simoni declarat Christus, Magdalenæ dimitti peccata; & versu sequenti idem declarat & confirmat ipsi Magdalenæ.

Resp. 2. quòd etsi verbum, *remittere*, significaret aliquando, *declarare peccata esse dimissa*, malè tamen inferri, in adductis Scripturæ testimoniis non alium habere sensum. Loci circumstantiæ, subjecta materia, loquentis mens atque consilium expendi maximè debent; at ea omnia invictè demonstrant, verbum illud, cùm Christus dedit Apostolis ligandi atque solvendi potestatem, non meram declarationem, sed veram auctoritatem dimittendi peccata significare. Eodem ratiocinio probarent Sociniani, Christum impropriè & metaphoricè Deum in Scripturis appellare, quia Scriptura sensu metaphorico & improprio Dei nomen aliquando usurpat; ut cùm Judices deos appellat; cùm Moysen vocant Pharaonis Deum: at eos non ferunt, & meritò quidem, Lutherani & Calvinistæ; nec nos pariter Lutheranos & Calvinistas eodem ratiocinandi vitio hic laborantes audire possumus.

Objicies 2. Absolutio quæ supponit pœnitentem jam vita gratiæ viventem, & peccatis absolutum per contritionem & confessionem, verè non dimittit peccata, sed declarat dimissa: atqui talis est Sacerdotis absolutio.

Minor ostenditur duplici exemplo quo frequenter utuntur SS. Patres, nempe leprosi, qui priùs à Christo fuit mundatus, & deinde missus ad Sacerdotes ut ab illis mundus declararetur; & Lazari, quem priùs à morte ad vitam Christus suscitavit, quàm Discipulis solvendum à vinculis tradiderit. Multa hanc in rem adducit SS. Patrum testimonia Launojus, in Dissertatione de mente Concilii Trid. circa contritionem cap. 8. primæ partis & 2. partis secundæ. Duo hìc sufficient:

Unum S. Augustini Sermone 67. de verbis Evangelii Matth. 11. aliàs 8. de vet-

de verbis Domini. *Quis eum*, inquit loquens de peccatore, *suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit, dicens, Lazare prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur, foras prodit: foras prodire non posset, nisi viveret: vivere non poßet, nisi resuscitatus eßet.* T. 5. p. 374. F.

Alterum testimonium est S. Gregorii Magni Hom. 26. in Evangelia. *Tunc*, inquit, *vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur judicis. Quod benè quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia priùs mortuum Dominus vocavit & vivificavit, dicens, Lazare veni foras; & postmodum is qui vivens egreßus fuerat, à discipulis est solutus.... Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum.* Ex his sequitur, ajunt Novatores, absolutionem, in mente Patrum, versari dumtaxat circa externa vincula excommunicationis, & pœnarum, quæ Ecclesia solvit, postquam pœnitens interiùs à morte ad vitam spiritualem à Deo revocatus est. Edit. poster. T. 1. pag. 1555. E. Ibid. p. 1556. A.

Resp. 1. nego absolutionem sacramentalem supponere pœnitentem jam à peccatis absolutum.

Resp. 2. distinguo alteram minoris partem: Absolutio supponit pœnitentem viventem vita gratiæ inchoata & imperfecta, quæ perficitur per Sacramentum, concedo: vita perfecta, cui nihil addat Sacramentum, nego. Eò igitur unicè tendit exemplum Lazari, quod sæpius à SS. Patribus laudatur, ut ostendat, prævias quasdam in pœnitente necessarias esse dispositiones vitæ, seu, ut loquitur S. Augustinus, quasdam *fidei & charitatis inchoationes*, quibus moveatur ad odium peccati, melioris vitæ propositum, ac peccatorum sinceram & humilem declarationem; quæ certè nec sine aliquo saltem inchoatæ & imperfectæ vitæ spiritualis sensu fieri possunt, nec inutile etiam ac otiosum reddunt Sacramentum, quo nimirum accedente, fit ut pœnitens, qui tantùm semivivus erat & adhuc peccatorum vinculis constrictus, pleniore fruatur vita, vinculis solvatur, omnesque perfectæ vitæ spiritualis motus exercere possit; quemadmodum Lazarus, etsi à Christo suscitatus, deambulare tamen liberiùs & viventis hominis functiones obire priùs non potuit, quàm à fasciis, quibus erat involutus, fuerit à Discipulis Christi expeditus.

Non aliam esse S. Augustini mentem, patet ex loco ipso qui nobis objicitur, ubi post adducta verba præoccupat objectionem, quæ cuilibet statim occurrit, nempe, Si peccator vivit priusquam à Sacerdote solvatur, quid ergo iste operatur? *Quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce dominica resuscitatus prodit?* Cui objectioni sic respondet: *Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in Cœlo? Ipsum Lazarum attende: cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia cui dictum est, Quæ solveritis &c? nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos, Solvite illum & sinite abire.* T. 5. p. 374. F. G. Ibid.

Et Concione 2. in Psal. 101. dilucidè rem totam rursus exponit. *Remissio peccatorum*, inquit, *solutio est. Quid prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur, Solvite eum & sinite abire? Ipse quidem voce de sepulcro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem sepulcro impositam vicit, & processit ille vinctus: non ergo pedibus propriis, sed* T. 4. p. 1103. B.

virtu-

*virtute producentis. Fit hoc in corde pœnitentis: cùm audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit: cùm audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? A quibus solvitur? Quæ solveritis in terra, inquit, erunt soluta & in Cælo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest; suscitari autem mortuus, nonnisi intus clamante Domino potest: hæc enim Dominus interiùs agit.* Inde patet duo hìc docere sanctum Augustinum: primum, gratiam, per quam peccator excitatur ad odium peccati & pœnitentiam, atque vitæ cujusdam inchoatæ & imperfectæ motus exercet, esse à solo Deo intus operante: alterum, remissionem peccatorum, seu plenam & perfectam spiritualem vitam, esse & ab Ecclesia exteriùs ministrante, cui dictum est, *Quæ solveritis &c.* & à Deo ipso qui ratam habet Ecclesiæ sententiam.

Non aliam pariter esse mentem S. Gregorii, manifestum est ex citata
T. 1. p. Homilia, ubi ait: *Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi pote-*
1555. D. *stas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat.* Quibus verbis significat sanctus Doctor, non alios esse absolvendos, quàm qui digni videntur eo beneficio, qui nempe divina gratia excitati, sinceri doloris ac veræ pœnitentiæ signa dederint.

Objicies 3. Non est penes Sacerdotes potestas solvendi vel ligandi quos voluerint, sed ad solum Deum illa pertinet.

Ita SS. Patres.

S. Cyprianus Tractatu de lapsis. *Solus Dominus*, inquit, *misereri potest:*
P. 173. *Veniam peccatis quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri.*

S. Hieronymus Commentario in caput 16. S. Matthæi exponens ista verba, *Tibi dabo claves regni Cælorum &c.* sic loquitur: *Locum istum Episcopi &*
T. 4. p. *Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio;*
1. p. 75. *ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis; ubi jubentur, ut ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: non quòd Sacerdotes leprosos faciant, & immundos, sed quòd habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere qui mundus quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat vel solvit Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii; sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.*

Duo sunt in hoc S. Hieronymi testimonio notatu digna. Primum, non sententiam Sacerdotum, sed reorum vitam apud Deum quæri; alterum, Sacerdotes novæ Legis non aliud efficere erga peccatores, quàm quod faciebant Sacerdotes Levitici erga leprosos, quos à lepra non mundabant, sed vel mundos, vel immundos solummodo declarabant.

S. Ambrosius L. 3. de Spiritu sancto c. 18. *Per Spiritum sanctum*, inquit, *pec-*
T. 2. p. 693. F. *cata donantur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent.*

S. Chrysostomus Homil. 15. in cap. 5. S. Matthæi, ubi ait Apostolos à corruptione peccatorum liberare non posse. *Liberare*, inquit, *à putredine pecca-*

*peccatorum*, *Christi profectò virtutis est*; *ut autem non ad illa iterum revertantur*, *Apostolorum curæ est ac laboris*. Ed. Commel. p. 143. B.

S. Augustinus Serm. 99. de verbis Evangelii S. Lucæ, aliàs 23. ex Hom. 50. explicans ista verba, *Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei*. *Hoc est*, inquit, *Spiritus dimittit*, *non vos*. Ibidem reprehendit eos qui arroganter dicunt, *Ego dimitto*, *ego mundo*, *ego sanctifico*. *Respondeat illi*, ait Aug. *non ego*, *sed Christus*. Et Tract. 3. in Joan. *Servus*, inquit, *agere secundum Legem potest*, *solvere à reatu Legis non potest*. To. 5. p. 525. D. Ibid. A. To. 3. p. 2. pag. 310. A.

Resp. dist. ant. Non est penes Sacerdotes potestas solvendi vel ligandi quos voluerint, absoluta nullisque astricta legibus, quasi pro arbitrio suo indignos solvere possint, vel innoxios ligare; concedo: ministerialis dependens, certisque legibus à Christo præscriptis astricta, nego. Non alia profectò est mens SS. Patrum.

S. Cyprianus Tractatu de lapsis insurgit adversùs eos Sacerdotes qui intempestiva indulgentia, contra mandatum Christi, lapsis pacem restituunt, *ante expiata delicta*, inquit, *ante exomologesim factam criminis*, *ante purgatam conscientiam*: quam pacem vocat *falsam*, *periculosam dantibus*, *& accipientibus nihil profuturam*. Nusquam verò negavit sanctus Cyprianus legitimum usum potestatis traditæ Sacerdotibus ad solvendum vel ligandum. P. 173. Ibid.

S. Hieronymus eorum Sacerdotum supercilium & arrogantiam redarguit, qui putant tradita ligandi & solvendi potestate uti se posse ad arbitrium, nulla facta consideratione meriti vel demeriti, seu præviæ dispositionis pœnitentis. Hoc sensu meritò ait, *audiendas esse peccatorum varietates*, ut cognoscantur qui ligandi sint, quive solvendi; *sententiam Sacerdotum apud Deum non quæri*, *sed reorum vitam*: quia nempè nulla est illa sententia, prorsus inutilis & otiosa, nisi sit legibus à Christo præscriptis accommodata. *Tunc enim vera est absolutio præsidentis*, ait S. Gregorius Magnus Hom. 26. in Evangelia, *cùm æterni arbitrium sequitur judicis*. Hoc etiam sensu meritò dixit, Sacerdotes novæ Legis, perinde ac veteres, non *ligare insontes*, *nec solvere noxios*, quia nempè priùs cognoscere & discernere debent qui solvendi sunt vel ligandi, quàm ut eos solvant vel ligent; sicut Levitici Sacerdotes cognoscere priùs debebant lepram, quàm declarare talem esse leprosum vel non. Comparatio verò hæc claudicat, nec omni ex parte æqua videtur: neque etiam eum in finem eam adducit sanctus Doctor, ut probet Sacerdotes Evangelicos habere duntaxat potestatem declarandi dimissa esse peccata, sicut veteres declarabant tantùm qui nam leprosi forent, vel non; sed ut probet, non debere Sacerdotes quemquam solvere vel ligare, nisi priùs cognita peccatorum varietate, natura, conditione. To. 1. p. 1555. B

S. Ambrosius citato loco hoc unum vult, nempè Spiritum sanctum, tanquam primam & independentem causam, dimittere peccata; unde concludit, illum esse verum Deum, quod sibi probandum susceperat.

Non alius quoque est S. Augustini sensus Tractatu 3. in Joan. Citata verò Hom. perstringit arrogantiam Donatistarum, qui virtutem & efficaciam Sacramentorum ex sua personali pietate pendere arbitrabantur; quasi nullum foret Sacramentum, quod ab hæretico vel malo ministro conficitur.

S. porrò Chrysostomus non loquitur de potestate quam habent Apostoli

eorumque successores in Sacramento Pœnitentiæ, sed extra Sacramentum ; quæ potestas exercetur per prædicationem & laudabilem vitæ conversationem, non per sacramentalem absolutionem. Namque Episcopi & Sacerdotes per lucem bonorum operum, per exhortationem Scripturarum, possunt equidem deterrere à vitiis, & ad virtutem impellere eos quos Deus sua gratia vocavit ad justitiam: at verò profligatos & obduratos homines à peccatorum fæcibus non ità facilè educere possunt, quia nempè talis conversio est opus dexteræ Excelsi: innocentes autem homines, vel à malo ad bonum conversos, possunt suis monitis, consiliis & exemplis conservare in adepto justitiæ gradu; nam justitiam partam tueri longè facilius est, quàm amissam reparare.

Objicies 4. Contingit sæpius absolutionem suo effectu frustrari, cùm nempè sufficienter & debitè, ut oportet, præparatus non est, qui ad Pœnitentiam accedit.

Resp. dist. ant. per accidens & ex parte subjecti, concedo: per se & defectu virtutis in Sacramento, nego. Forma quippè Pœnitentiæ, ut & Baptismi, necessariò non exprimit effectum quasi actu positum, sed tantùm virtutem & efficaciam ad illum producendum, si adsint in percipiente Sacramentum idoneæ dispositiones.

Objicies 5. Qui accedit ad tribunal Pœnitentiæ, vel perfectam habet contritionem, vel imperfectam : si perfectam , priùs reconciliatur cum Deo quàm Sacramentum actu percipiat; adeoque absolutio merè declaratoria est peccati jam dimissi: si imperfectam, nullatenus reconciliatur; ergo absolutio sacramentalis propriè & verè nusquam peccata dimittit.

Resp. 1. falsò supponi absolutionem sacramentalem non dimittere peccata illius, qui imperfectam habens contritionem ex amore Dei saltem inchoato & initiali, accedit ad tribunal Pœnitentiæ, sicut ex dicendis suo loco patebit.

2. Nego absolutionem merè declaratoriam esse , etiam cùm peccata per contritionem perfectam priùs remissa sunt, quàm actu percipiatur Sacramentum.

Rationem reddit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. quia in illâ contritione includitur votum Sacramenti, cum obligatione peccata clavibus Ecclesiæ subjiciendi. *Etsi*, ait Synodus , *contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsa nihilominus reconciliatio ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non est ascribenda.*

*To. 14. Conc. p. 817. D.*

Addit Andreas Vega, etiam eo in casu absolutionem sacerdotalem utilem esse, & ad gratiæ augmentum, & ad remissionem pœnæ pro peccatis omnibus ritè confessis. Verùm de hoc argumento iterùm dicemus, ubi de necessitate contritionis.

## ARTICULUS III.

### *De materia Sacramenti Pœnitentiæ.*

MAteriam & formam in Sacramentis distinguunt Theologi, per analogiam ad res physicas , sicut ostendimus in Tractatu de Sacramentis in genere.

Dupli-

Duplicem quoque distinguunt materiam : unam remotam, alteram proximam: unam quam vocant materiam *circa quam*, hoc est, objectum vel subjectum circa quod occupatur Sacramentum ; sic peccata sunt materia *circa quam* occupatur efficacia Sacramenti Pœnitentiæ: alteram vocant materiam *ex qua*, id est, partes ex quibus Sacramentum conficitur ; sic contritio , confessio & satisfactio sunt materia *ex qua* constat Sacramentum Pœnitentiæ . Inter illas autem partes, aliæ dicuntur essentiales , sine quibus nullum est Sacramentum; aliæ verò integrantes dumtaxat, quæ ad integritatem pertinent, non ad essentiam.

In aliquibus Sacramentis materia remota est aliquod elementum, vel substantia quædam sensibilis, ut in Baptismo aqua, in Confirmatione oleum: in Pœnitentia verò nulla talis occurrit substantia, sed actus pœnitentis sunt materia ; unde Concilium Florentinum in Decreto , & Tridentinum Sess.14.cap. 3. ejusmodi actus appellant *quasi materiam* Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio igitur hic movetur de materia, tùm remota tùm proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

I. An peccata sint materia remota Sacramenti Pœnitentiæ , & qualia : an originale, an actuale dumtaxat: an veniale sit materia sufficiens aut etiam necessaria.

II. Quænam sit materia proxima: an actus pœnitentis, an manus impositio ex parte ministri, an quidlibet aliud.

III. Quænam ex his partibus sint essentiales , quæ verò integrantes tantùm.

*Quæ sit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.*

## CONCLUSIO.

Peccatum originale non est materia remota seu *circa quam* Sacramenti Pœnitentiæ, sed actuale dumtaxat quod sequitur Baptismum: mortale quidem, necessaria ; veniale autem, libera & sufficiens.

Probatur prima pars. Tùm quia ex dictis antea, Sacramentum Pœnitentiæ distinguitur à Baptismo ; Baptismus autem ordinatur ex institutione Christi, ad delendum originale peccatum . Tùm quia Pœnitentia instituta est ad instar actus judicialis, ait Concilium Tridentinum Sess.14.cap.6. qui proinde erga illos exerceri dumtaxat potest , qui sunt Ecclesiæ subditi : at tales non sunt Infideles nondum baptisati . *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* ait Apostolus primæ 3. part.
Corinth.5.v.12. Tùm quia , inquit hic S.Thomas art. 2. ad 3. propriè non est q.84.
pœnitentia, nisi de iis quæ voluntate nostra commisimus : peccatum verò originale naturæ peccatum est, non propriæ uniuscujusque voluntatis . Si tamen improprio & latiori sensu sumatur pœnitentia, nempè pro quacunque rei præteritæ malæ detestatione seu displicentia, *Potest*, inquit S. Doctor ibidem, *dici pœnitentia de peccato originali*.

Probatur secunda pars. 1. Quia illud est materia remota Pœnitentiæ, circà quod occupatur materia ejusdem proxima : atqui materia proxima pœnitentiæ , nempè contritio , confessio & satisfactio, occupatur circa pec-

cata post Baptismum commissa delenda. 2. Quia potestas clavium Ecclesiæ à Christo concessa, eos dumtaxat spectat qui post Baptismum solvendi sunt vel ligandi. 3. Quia Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 1. expressè ait Christum instituisse Sacramentum Pœnitentiæ pro iis qui post Baptismum lapsi sunt. Unde meritò proscripta fuit à sacra Facultate Parisiensi anno 1665. ista propositio: *Confessio valida est, deficientibus peccatis: potuit ergo beatissima Virgo, licèt nec contritionem habuerit, nec ullum vel levissimum peccatum commiserit, beato Joanni confiteri.*

Probatur tertia pars.

1. Quia peccatum mortale non alia via dimitti potest post Baptismum, quàm per Pœnitentiam; ergo est materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Inde Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. & Can. 7. declarat omnia peccata mortalia necessariò in confessione esse declaranda.

2. Peccata venialia sufficientem esse pœnitentiæ materiam constat: tùm quia sunt peccata vera, quæ clavibus Ecclesiæ possunt subjici: tùm quia sine ulla peccatorum distinctione Christus dixit: *Quorum remiseritis peccata &c.* tùm quia solent viri pii & sancti sola venialia peccata confiteri, cùm se nullius lethalis noxæ reos esse intelligunt, quem morem Concilium Tri-
To. 14. dentinum Sess. 14. cap. 5. & Can. 7. approbat *tanquam rectum & utilem*, &
Conc. p. *& qui citra omnem præsumptionem potest retineri.*
818. & 3. Peccata venialia esse materiam liberam, non autem necessariam Sa-
824. ibid. cramenti Pœnitentiæ, docet ibidem Concilium Tridentinum. *Venialia*, inquit, *peccata, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra cul-*
To. 6. p. *pam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Præsertim verò oratione Domini-
823. E. ca quam S. Aug. appellat *quotidianam pœnitentiam & satisfactionem.* Enchir. c. 79.

## *Quæ sit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.*

### *Novatorum error. Scholasticorum opiniones variæ.*

Inter articulos Lutheri à Patribus Tridentinis proscriptos hunc numero secundum refert Pallavicinus Lib. 12. Hist. Conc. Trid. cap. 10. scilicet, *Non sunt*
To. 1. p. *tres pœnitentiæ partes, contritio, confessio & satisfactio: sed duæ tantùm, ter-*
314. *rores scilicet incussi conscientiis agnito peccato, & fides concepta ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum esse remissa peccata.*

Calvinus L. 3. Institutionis cap. 3. paragr. 8. duas assignat Pœnitentiæ partes, nempè mortificationem, & vivificationem; sed longè alio sensu à Lutheranis: namque per mortificationem non intelligit terrores incussos, sed mortificationem vitiorum, sive abnegationem sui, & spoliationem
p. 812. totius veteris hominis, *Proinde non parvo aliquo tempore*, ait, *sed tota vi-*
n. 9. *ta pœnitentia agenda est.* Per vivificationem verò non intelligit fidem vel fiduciam, aut consolationem ex Evangelio conceptam, ut Lutherani; sed pium benè vivendi studium atque affectum ad bona opera, quæ dicit esse non partem, sed fructus Pœnitentiæ.

Errorem hunc damnavit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. & Can. 4.

Inter

**Inter Scholæ Theologos variæ sunt de præsenti argumento opiniones.**

Scotus in 4. dist. 14. q. 4. & dist. 16. q. 1. docet, totam Sacramenti Pœnitentiæ rationem seu essentiam in una Sacerdotis absolutione repositam esse; contritionem verò, confessionem & satisfactionem necessarias quidem ad effectum Sacramenti, non tamen propriè illius esse partes. Rationem hanc reddit loco posteriori indicato n. 7. *Hujus*, inquit, *nulla pars est contritio; quæ est quoddam spirituale in anima*, (id est non sensibile) *neque confessio, quia nihil est ipsius sententiæ Sacerdotis, sed actus rei accusantis se, neque satisfactio, quæ sequitur illam absolutionem sacramentalem .... Hæc tamen tria ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad hoc ut dignè recipiatur, requiruntur, vel prævia vel sequentia.* Quibus postremis verbis apertè declarat, opinionem suam multùm distare ab errore Novatorum mox dicto, atque in sola nominis controversia & Scholæ ludo eam totam versari, salva fidei veritate, cui hic satis est, si agnoscatur necessitas ex jure divino contritionis, confessionis & satisfactionis ad effectum Sacramenti percipiendum, qualem disertè agnoscit Scotus. To. 9. p. 247.

Unde rectè observat Andreas Vega Franciscanus, qui Concilio Tridentino interfuit, Lib. 13. de Justificatione c. 15. *Scotum ea in re à fide non aberrasse*; atque Patres Tridentinos, paci & concordiæ inter Scholæ Theologos fovendæ semper consulentes, sic Decretum efformasse suum, ut solos feriat Novatores. Et ipse Pallavicinus L. 12. Hist. Concilii Tridentini cap. 10. narrat *non parum in Concilio disceptatum fuisse, qua ratione actus pœnitentis declarandi forent partes Sacramenti; nihil ob id*, inquit, *perstricta Scoti sententia, cui neque pariter officere voluerat Synodus Florentina*. Et cap. 12. observat 1. Concilium de industria pœnitentis actus appellasse *quasi materiam*, non simpliciter *materiam* Pœnitentiæ, ne rem inter Scholasticos controversam dirimeret ac definiret. 2. Concilium cap. 3. & Can. 4. illos actus appellasse partes, non quidem Sacramenti, sed simpliciter pœnitentiæ; atque eo sensu partes videri, quòd *ex divina institutione necessarii sint illi actus ad integritatem Sacramenti, & ad plenam absolutamque peccatorum remissionem*. Quo certè sensu agnoscit Scotus, actus illos ad Sacramentum Pœnitentiæ necessariò pertinere. Ed. Aschaff. 1621. p. 578. & seq. To. 2. p. 322. n. 27. Ibid. p. 339. n. 1 Ibid. p. 340. n. 1

Inter Recentiores, Maldonatus (ut alios sileam) de Pęnitentia parte tertia, thesi septima, Scoti opinionem tanquam veriorem propugnat: objicienti verò, ex ea sequi nihil assignari posse in Sacramento Pœnitentiæ quod habeat rationem materiæ, cùm absolutio, in qua, juxta Scotum, tota Sacramenti ratio consistit, forma sit, non materia Pęnitentiæ, respondet 1. *nunquam fuisse Ecclesiæ sensum, ut decerneret in omni Sacramento debere esse res duas distinctas, quarum altera materia esset, altera forma. Hoc enim*, inquit, *non potest in omni Sacramento reperiri, v.g. in Matrimonio: sed tantùm voluit dicere, in omni Sacramento esse quiddam externum, quod habeat vicem materiæ, & quiddam quod habeat vicem formæ, etiamsi non sit distinctum. Ego verò jam docui*, pergit ille, *non tantùm aquam in Baptismo esse materiam, sed etiam verba; quia quidquid sensibus percipitur, vocatur materia in Sacramento: significationem autem esse formam.* Respondet 2. *in Pœnitentia absolutionem, quatenus est externa quædam cæremonia, esse materiam; eamdem verò, quatenus habet vim significandi, esse formam.* Ita Maldonatus. Pagina 261. B. Ibid. C.

Durandus in 4. dist. 16. q. 1. docet solam pœnitentis confessionem esse partem materialem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ; contritionem verò esse dispositionem, & satisfactionem esse fructum Pœnitentiæ.

Paludanus in 4. dist. 16. q. 4. tres illos actus ex æquo essentiales esse partes pęnitentiæ contendit.

Huic sententiæ videtur accedere Petrus de Osma, qui volebat absolutionem datam ante satisfactionem, nullam esse.

Melchior Canus parte sexta de Pœnitentia, docet contritionem non esse partem essentialem pęnitentiæ, sed integralem dumtaxat.

Denique fuere qui manuum impositionem assignarunt pro materia proxima & essentiali Sacramenti Pœnitentiæ. Ita nonnulli tempore S. Thomæ, quos refellit Opusculo vigesimo secundo cap. 4. Ita Marianus Victorius in Libro de Sacramento Confessionis cap. 13. in fine, & in Libello de pœnitentiis publicis, versùs finem.

Communis Theologorum sententia post Concilium Tridentinum assignat tres actus pœnitentis, nempè contritionem, confessionem & satisfactionem, pro materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ: duos quidem priores pro materia essentiali; tertium verò, nempè satisfactionem, pro materia integrante. Itaque sit

## PRIMA CONCLUSIO.

Neque terrores conscientiæ incussi, & fides ex Evangelio vel absolutione concepta, sensu Lutheri; neque mortificatio & vivificatio, sensu Calvini, sunt materia proxima, seu partes Sacramenti Pęnitentiæ. Conclusio est de fide.

To. 14. Conc. p. 817. B. Probatur ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 3. *Sancta Synodus damnat eorum sententias, qui pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt.*

Ibid. p. 824. A. Et Canone 4. ejusdem Sessionis. *Si quis dixerit duas tantùm esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa esse peccata, anathema sit.*

To. 3. p. 403. Lutheri & Calvini errorem optimis rationibus refellit Bellarminus L. 1. de Pœnit. cap. 19.

I. Adversùs Lutherum sic arguit: Illæ censeri debent partes Sacramenti Pœnitentiæ, quæ à virtute ipsa pęnitentiæ promanant: atqui terrores illi conscientiæ incussi, & fides seu fiducia obtentæ remissionis peccatorum, non promanant ex virtute pœnitentiæ, sed eam antecedunt; ad eam quidem excitandam prosunt, eam inchoant aut inducunt, non tamen verè constituunt. Pariter vana est illa Hæreticorum fiducia, siquidem de remissione peccatorum obtenta non constat: si verò fiducia illa pro spe certa consequendæ per Christum salutis habeatur, hæc quoque antecedit vel sequitur pœnitentiam. Præterea, qui ejusmodi terroribus concutiuntur, non ideo tamen semper pęnitentia ducuntur; igitur etsi terrores illi & fides aliquando excitent pœnitentiam, non tamen eam constituunt, sed præterea requiruntur tres actus à Concilio enumerati.

II. Ad-

II. Adversùs Calvini sententiam sic disputat idem Theologus. Vel confundit ille pęnitentiam cum justificatione, vel posteriorem ipsa justificatione eam esse contendit; dicit enim pœnitentiam esse fructum fidei justificantis, & per mortificationem & vivificationem intelligit refrænationem vitiosarum affectionum, & pium studium benè operandi, quæ in reconciliatione inchoantur, ac deinde tota vita perficiuntur. Atqui tamen Scripturæ divinæ passim docent, pœnitentiam viam esse ad justificationem, & proinde priorem. Act. 11. *Pœnitentiam & Gentibus dedit, & vitam.* Jeremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo, agam & ego pœnitentiam.* Quòd si Pœnitentia via est ad remissionem peccatorum, & prior justificatione, multò majori ratione mortificationem illam & vivificationem præcedet, quæ, in opinione adversariorum, fructus est fidei justificantis, & justificationem ipsam consequitur. Quare Lutherani & Calvinistæ in extremas abeunt partes; & sicut errant Lutherani, quia pœnitentiam in his motibus constituunt, qui veram pœnitentiam antecedunt; ita quoque errant Calvinistæ, qui eam in his actionibus ponunt, quæ veram pœnitentiam consequuntur. Ita Bellarminus. *Ibid. p. 404. D.*

## SECUNDA CONCLUSIO.

Manus impositio non est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

Probatur 1. ex silentio Scripturæ, quæ ubi refert datam Apostolis ligandi & solvendi auctoritatem, de impositione manuum facienda ne verbum quidem: imò & ipsummet Concilium Tridentinum, à quo, post accuratum examen antiquæ Traditionis Ecclesiasticæ, enucleatiùs partes necessariæ hujus Sacramenti expositæ sunt, de necessitate imponendi manus pęnitentibus prorsùs silet; & in cap. 3. Sess. 14. ubi ex professo de partibus Sacramenti Pęnitentiæ disserit, & in cap. 6. ubi de ministro & absolutione.

2. Licèt certum sit, primis Ecclesiæ sæculis frequenter manus imponi solitas fuisse pœnitentibus, ut probat Morinus L. 8. de Pœnitentia cap. 8. & 15. Licèt posteriores aliqui Scriptores eam usurpandam esse contendant; nihil tamen est unde meritò possit inferri, manuum impositionem partem esse materialem & essentialem Sacramenti Pœnitentiæ. 1. Quia sæpiùs in decursu ejusdem pęnitentiæ manus imponebantur pęnitentibus, sicut multis testimoniis ostendit Morinus L. 6. de Pęnitentia cap. 8. At quis credat illam manus impositionem tanto temporis intervallo à reconciliatione aliquando sejunctam, sacramentalem propriè fuisse? 2. Non tantùm Episcopi & Presbyteri, sed & Clerus ipse inferior manus imponebant pęnitentibus, teste S. Cypriano Epist. 10. At quo jure inferiores Clerici sacramentalem illam impositionem manuum usurpassent? 3. Manus imponebantur pœnitentibus, etiam postquam percepissent sacram Eucharistiam, ut constat ex Conciliis Carthaginensi IV. cap. 78. & Arausicano cap. 3. quorum verba suo loco inferiùs exscribemus. At Sacramenti Pęnitentiæ pars haud dubiè non fuit hujusmodi manus impositio posterior perceptioni Eucharistiæ. *Pag. 23.*

3. Juxta S. Augustinum Lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. manus impositio nihil aliud est quàm *Oratio supra hominem*: at nemo di- *To. 9. p. 117. B.*

xerit orationem esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ; siquidem circa materiam Sacramenti forma ejusdem versatur & occupatur: sed forma Sacramenti Pœnitentiæ quæ his verbis exprimitur, *Ego te absolvo* &c.non versatur nec occupatur circa manus impositionem, sed circa peccata quæ delet & expungit.

Dices: Morinus, qui subita vi morbi oppressus planè obmutescit, nec ullo signo confiteri potest aut suum de peccatis dolorem testari, danda est absolutio ex usu Ecclesiæ recepto, ut inferiùs ostendemus; at eo in casu nulla alia potest assignari sensibilis materia Sacramenti, præter impositionem manus.

Resp. 1. cum Melchiorre Cano part. 6. Relectione de Pœnitentia, in praxi Sacramenti Pœnitentiæ potiùs habendam esse rationem eorum quæ ad mores & salutem animarum pertinent, quàm eorum quæ spectant ad Metaphysicam sive speculativas quæstiones. In casu igitur adducto gravissimæ necessitatis, impendi quidem debet absolutio, nec sollicitè quærendum, quænam sit sensibilis materia Sacramenti: cùm hæc quæstio, Scholasticorum sensu agitata, nec fidem spectet, ut jam diximus, nec debeat propter illud Scholæ dissidium, animarum salûs in discrimen adduci.

Resp. 2. in casu adducto, christianam hominis moribundi vitam & professionem, de qua constare priùs debet quàm absolvatur, materiæ locum & vices tenere.

## TERTIA CONCLUSIO.

**Tres actus pœnitentis, nempè contritio, confessio & satisfactio, sunt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, seu partes ex quibus componitur.**

Probatur ex Concilio Florentino in Decreto. *Quartum Sacramentum*, inquit, *est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero; secunda est oris confessio, ad quam pertinet ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter; tertia, satisfactio pro peccato, secundùm arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium & eleemosynam.* (To. 13. Conc. p. 538. A.)

Concilium pariter Tridentinum Sess. 14. c. 3. ait: *Sunt quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio & satisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.* (To. 14. Conc. p. 817. A.)

Et Canone quarto ejusdem Sessionis. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem & satisfactionem; quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur....anathema sit.* (Ibid. p. 823. E.)

Quo anathemate, quamquam certum sit, ut antea fuit observatum, non percelli sententiam Scoti, sed unum Novatorum errorem negantium tres illos actus jure divino necessarios esse ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, & perfectam peccatorum remissionem, nihilominus ad mentem & loquen-

loquendi rationem Ecclesiæ longè magis accedit sententia in Conclusione expressa. 1. Quia tres illos actus appellat *quasi materiam* Pœnitentiæ ; nihilque aliud assignat quod materiæ vices & locum tenere possit. Quod enim ait Maldonatus, absolutionem, prout est externa cæremonia, materiam esse; prout verò vim habet significandi, esse formam, non placet : quia nempe in Sacramentis tam forma debet esse sensibilis, quàm materia : at illa significatio absolutionis sensibilis non est; ergo ratio formæ consistit dumtaxat in verbis absolutionis, quatenus sensibiliter proferuntur: non igitur eo respectu absolutio potest habere rationem materiæ. 2. Quia actus illos appellat *partes Pœnitentiæ* ; at partes componunt totum: unde meritò Concilium ait eos actus *partes* appellari, quatenus requiruntur ad integritatem Sacramenti. Non igitur partes eo tantùm sensu dicuntur, ut volunt Scotistæ, quòd sint requisitæ ad integritatem effectus sacramentalis ; aliàs pari jure actus fidei, spei & charitatis, qui debent in adultis præire Baptismatis perceptioni, dici quoque possent Baptismatis partes. 3. Quia Concilium eodem modo actus pœnitentis appellat materiam, vel partes Sacramenti, quo verba absolutionis appellat formam : sed verba illa veram habent formæ Sacramenti Pœnitentiæ rationem; ergo &c.

Nec te moveat quòd Concilium actus illos pœnitentis dicat esse *quasi* materiam, non simpliciter materiam. Hac enim particula innuere voluit, non esse aliquid physicum ac substantiale, sicut aqua in Baptismo, oleum in Confirmatione, sed esse aliquid morale. Ita Catechismus Romanus de Sacramento Pœnitentiæ n. 17. *Hi actus*, inquit, *quasi materia à sancta Synodo appellantur, non quia veræ materiæ rationem non habeant : sed quia ejus generis materia non sit, quæ extrinsecùs adhibeatur, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione.*

Probari posset Conclusio multis Scripturæ & SS. Patrum testimoniis ; quibus illorum actuum necessitas demonstratur; sed ab iis hìc referendis supersedemus, quibus suus locus dabitur, ubi sigillatim de unoquoque actu inferiùs disputabimus. Unus hìc sufficiat S. Chrysostomus, qui Hom. de Pœnitentia tres illos actus simul recenset. *Perfecta Pœnitentia*, inquit, *cogit peccatorem omnia libenter ferre . . . in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas*: ut videlicet quibus modis Deum offendimus, ( offendimus autem corde, ore & opere ) iisdem reconciliemur Deo. *Edit. Antuerp. 1614 To. 5. p. 361. col. 2. C.*

Ratio Conclusionis est, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii, quo peccator per sententiam Sacerdotis Deo reconciliatur; atqui ad illud judicium tria requiruntur, contritio seu dolor de peccatis, confessio seu declaratio peccatorum, qua judex cognita causa possit sententiam ferre, & satisfactio pro reparanda injuria Deo per peccatum illata.

S. Thomas hic q. 84. art. 1. ad 1. comparatione rem illustrat: Sicut enim in medicinis corporalibus quædam sunt res exteriùs admotæ vel assumptæ, ut oleum, unguenta, pharmaca &c. quædam verò sunt actus sanandorum, ut motiones, exercitationes corporis &c. ita in Sacramentis quæ Christus in remedium morborum animi instituit, quædam habent pro materia res seu substantias corporeas; v.g. Baptismus aquam, Confirmatio chrisma &c. quædam verò actus morales, ut Pœnitentia & Matrimonium : cujus quidem discriminis causam ibidem exponit S. Doctor.

Dices

Dices 1. Concilium Tridentinum Seff. 14. docet actus pęnitentis esse dispositiones ad percipiendum cum fructu Sacramentum Pęnitentiæ; ergo actus illi non sunt materia hujus Sacramenti.

Resp. nego consequentiam. Idem enim potest esse in Sacramento Pęnitentiæ simul & dispositio & materia Sacramenti. Actus pęnitentis sunt dispositiones prævïæ ad Sacramentum, quatenùs Sacramentum sumitur inadæquatè, nempe pro absolutione, ad quam cum fructu percipiendam ducunt & præparant: sunt verò partes, seu materia ejusdem Sacramenti, quatenùs sumitur completè & adæquatè, pro eo omni quod ad ejus integritatem necessarium est.

Instabis 1. Idem Concilium cap. 6. ejusdem Sessionis ait, Sacerdotem esse ministrum Sacramenti Pęnitentiæ: at si actus pęnitentis sunt materia hujus Sacramenti, falsum est Sacerdotem illius esse ministrum; neque enim ille, sed pęnitens ejusmodi materiam subministrat.

Resp. nego min. Ad probationem, dist. Pęnitens materiam quidem subministrat, sed activè non concurrit ad unionem formæ cum materia, concedo: & concurrit activè, nego. Solus quippe Sacerdos activè concurrit ad unionem illam, adeoque ad Sacramentum. Et verò necesse non est in re sacramentaria, materiam & formam esse ab eodem: imò & in physicis, agens dicitur compositi causa & principium, licèt aut solam formam inducat, ut ignis generans ignem; aut solam materiam subministret, ut homo generans hominem.

Instabis 2. Sacramentum constat ex materia, sicut ex forma; ergo tam potest ejus minister dici, qui materiam subministrat, quàm qui formam inducit.

Resp. nego consequentiam. Namque præcipua compositi pars, est ipsa forma; qui igitur formam hanc inducit & jungit cum materia in Sacramento, censetur illius minister: at talis est solus Sacerdos in Sacramento Pęnitentiæ. Lege S. Thomam 3. p. q. 86. art. 6. in corpore.

Instabis 3. Materia proxima alicujus Sacramenti debet esse proprius ministri actus; v. g. in Baptismo ablutio, in Confirmatione chrismatio est proprius ministri actus: atqui contritio, confessio & satisfactio non sunt à ministro Pęnitentiæ, sed à subjecto seu pęnitente; ergo &c.

Resp. dist. maj. Quando minister actione sua applicat & determinat ad esse sacramentale materiam remotam, ut fit in Baptismo & Confirmatione, concedo: secus, nego. Porrò in Sacramento Pęnitentiæ nulla videtur esse remota materia, quam Sacerdos actione sua determinet ad esse sacramentale.

Instabis 4. Sacramentum gratiam producit, non solùm ratione formæ, verùm etiam ratione materiæ ex qua constat: atqui actus pęnitentis non producunt gratiam, aliàs pęnitens sibi ipsi gratiam conferret.

Resp. nego min. Ad probationem dist. Pęnitens sibi gratiam conferret dispositivè, se præparando ad illam, concedo: effectivè, & ministrando Sacramentum, nego. Audiatur S. Thomas 3. part. qu. 86. art. 6. in corpore. *Remissio culpæ*, inquit, *est effectus Pęnitentiæ, principaliùs quidem ex virtute clavium quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formaliter in hoc Sacramento: secundariò autem ex vi actuum pęnitentis pertinen-*

*tinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ.*

Instabis 5. Sola absolutio sacramentalis practicè significat gratiam reconciliationis; ergo sola pertinet ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ.

Resp. neg. ant. Contritio enim & confessio eam gratiam quoque significant; quamquam fatendum sit, non ita clarè ac distinctè, quàm absolutio, quæ principalis est Sacramenti pars, ait S. Thomas mox citatus.

Dices 2. cum Scoto: Contritio non est sensibilis; ergo non potest esse pars materialis Sacramenti Pęnitentiæ; confessio verò non est ex parte ministri, sed pęnitentis: denique satisfactio sequitur absolutionem; ergo necessaria non est pars Sacramenti.

Resp. ad primum, dist. Contritio non est sensibilis per se, concedo: per aliud, nempe per confessionem, & alia pęnitentis signa, nego. Ad secundum, jam diximus necesse non esse, ut in Sacramento Pœnitentiæ proxima materia sit actus ministrantis, sed satis esse quòd sit actus percipientis Sacramentum. Ad tertium, inde solummodo concluditur satisfactionem non esse partem essentialem, quod fatemur: at partem esse integrantem necessariam, ex professo demonstrabimus ad Quæstionem septimam hujus Tractatus.

*Quæ sint partes essentiales vel integrantes dumtaxat Sacramenti Pœnitentiæ.*

## CONCLUSIO.

Contritio & confessio sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ; satisfactio verò pars integralis.

Prima pars probatur: Quia illæ partes sunt essentiales, sine quibus stare non potest Sacramentum Pęnitentiæ: atqui sine contritione & confessione stare non potest Pęnitentiæ Sacramentum, sicut ex decursu hujus Tractatus manifestè patebit; ergo &c.

Neque obstat quòd Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. dicat contritionem, confessionem & satisfactionem hac ratione partes esse, quatenùs requiruntur ad integritatem Sacramenti: namque de industria Concilium generali *integritatis* nomine uti voluit ad significanda ea omnia quæ sunt necessaria in Sacramento Pęnitentiæ, ne quæstionem inter Scholæ Theologos disputatam dirimeret, relicta libertate unicuique per illam integritatem intelligendi, vel essentiam, vel simplicem rei integritatem ad sensum proprium Philosophorum.

Secunda pars probatur: Quia ea pars integralis est dumtaxat, quæ supponit compositum essentialiter perfectum: atqui talis est satisfactio respectu Sacramenti Pęnitentiæ: namque sine illa valet absolutio data pęnitenti contrito & confesso, ut ostendemus suo loco inferiùs.

Dices 1. Si satisfactio est tantùm pars Sacramenti integrans, nihil ergo producit, adeoque inutilis & otiosa.

Resp. nego sequelam: Utilis enim est, ac omnino necessaria ad remissionem

nem pœnæ temporalis, quæ luenda superest post condonatam culpam & pœnam æternam: sed de his pleniùs infrà, ubi de satisfactione differemus.

Dices 2. Ecclesia semper parvì fecit absolutionem datam ante satisfactionem expletam, siquidem pęnitentes qui in decursu pęnitentiæ propter periculum mortis fuerant absoluti, ubi convaluerant, remittebat ad ordinem pęnitentium. Ita colligitur ex Concilio IV. Carthaginensi an. 398. Can. 78. ex Arausicano I. an. 441. Can. 3. & aliis.

Resp. inde probari quidem, olim lege ordinaria datam esse absolutionem post expletos pęnitentiæ labores: at satisfactionem partem esse essentialem, sine qua nulla sit absolutio sacramentalis, minimè probatur; siquidem constabit ex dicendis, primis etiam sæculis Ecclesiam ratam habuisse absolutionem quæ dabatur certis in casibus ante satisfactionem. Unde Sixtus IV. S. Pontifex contrariã opinionem damnavit an. 1478. in Petro de Osma Doctore Salmaticensi; sicut & sacra Facultas Parisiensis Censura lata in Librum, cui titulus; *Verax Pacificus, Auctore Theophilo Brachet Domino de la Milletiere*. an. 1644. die 23. Junii.

# QUÆSTIO TERTIA.

*De prima Pœnitentiæ parte, seu contritione universim sumpta.*

PRiusquam de contritione perfecta vel imperfecta, quæ Attritio dicitur, fusiùs differamus, paucis aperimus quæ spectant ad contritionem universim sumptam, prout abstrahit à perfecta vel imperfecta.

Quæres itaque 1. unde derivetur nomen contritionis.

Resp. à verbo *contero*, id est, in partes minutissimas divido, confringo, scindo; metaphora ex corporibus duris ad res spirituales translata. Quemadmodum enim cùm ita conteruntur corpora, ut in pulverem redigantur, duritiem & tumorem deponunt, ac se flecti sinunt ad artificis arbitrium; ita pariter cor peccatoris durum ac tumidum adversùs legem Dei contumax, per contritionem emollitur, legi Dei subjicitur, & eò flectit se quò vocat divina gratia. Inde Deus Ezechielis 11. v. 19. *Auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. Et Joelis 2. v. 13. *Scindite*, inquit, *corda vestra*. Et Psalm. 50. v. 19. cor pęnitens vocatur *cor contritum & humiliatum*.

Quæres 2. quid sit contritio.

T. 14. Conc. p. 817. B. Resp. cum Concilio Tridentino Sess. 14. c. 4. *Contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*.

Hæc definitio convenit contritioni universim sumptæ, prout omni tempore necessaria fuit ad obtinendam veniam peccatorum, cui si addantur hæc verba, *Et voto præstandi omnia quæ requiruntur ad ritè percipiendum Sacramentum Pęnitentiæ*, habebis definitionem contritionis, prout Legis Evangelicæ propria est, & coincidit cum definitione ista apud veteres Scholasticos recepta, quam refert S. Th. in Supplemento tertiæ partis q. 1. art. 1. in corpore; nempe, *Contritio est dolor de peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi*.

Dicitur 1. Contritio, *animi dolor*; id est tristitia quædam animi orta ex offensa Dei: hinc isti Sanctorum clamores quos in sacris Litteris profusos esse legimus; *Laboravi*, inquit David Psalm. 6. v. 7. *in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*.

Isaiæ 38. v. 15. *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ* &c.
Necessarium esse hunc dolorem animi in Pœnitentia, infinitis penè te-
stimoniis comprobant SS. Patres, quæ legere poteris apud Morinum Lib. 1. T. 6. p.
de Pœnit. c. 14. 15. 16. *In actione Pœnitentiæ*, ait S. Augustinus Enchiridii cap. 120. E.
65. *non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris.* Et Sermone 7.
de tempore, si tamen Augustini est, in Appendice novæ editionis n. 117. T. 5. Ap-
*Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* Et Enarra- pend. p.
tione in Psalm. 74. *Tritura cordis*, inquit, *pietas, humilitas. Qui se conterit,* 113. A.
*irascitur sibi: se habeat iratum, ut illum habeat propitium.* Et S. Gregorius Ma- T. 4. p.
gnus Homil. 34. in Evangelia, *Pœnitentiam*, inquit, *agere, est & perpetrata* 784. A.
*mala plangere, & plangenda non perpetrare.* B.
T. 1. p.
Dicitur autem *dolor animi*; id est qui in voluntate, non in sensu positus 1605. C.
est; & quamquam sensibilis dolor aliquando ex animi contritione excite-
tur, & laudabilis ille sit, non tamen necessarius, cùm in potestate homi-
nis non sit sensibilem hunc dolorem in se excitare: unde contingit non
rarò, majorem in sensu exoriri dolorem pro damno aliquo temporali,
v. g. parentum morte, quàm pro damno spirituali; ex quo non inferes ge-
neratim, majorem esse dolorem animi pro jactura rerum temporalium,
quàm spiritualium.

Dicitur 2. *detestatio de peccato commisso*: Per illam autem detestatio-
nem aliquid intelligitur à dolore distinctum: nam in Beatis v. g. est dete-
statio peccatorum, in quibus tamen non est dolor. Est ergo, interprete
eodem Concilio Tridentino, detestatio hæc, odium peccati. *Declarat san-* To. 14.
*cta Synodus, hanc contritionem, non solùm cessationem à peccato, & vitæ no-* Conc. p.
*væ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxtà illud E-* 817. C.
*zechielis* 18. *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævarica-*
*ti estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum: Et certè*, pergit Sy-
nodus, *qui illos Sanctorum clamores consideraverit, Tibi soli peccavi, & ma-*
*lum coram te feci. Laboravi in gemitu meo &c. facilè intelliget, eos ex vehementi*
*quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.* Ita Sy-
nodus Tridentina adversùs Lutherum, qui scripserat odium peccati & dete-
stationem vitæ præteritæ inutilem esse, ac optimam pœnitentiam in nova
vita esse repositam, quem errorem Canone 5. citatæ Sess. 14. anathema-
te damnavit.

Dicitur 3. *cum proposito non peccandi de cætero*: aliàs falsa & ficta est con-
tritio, vana & larvata pœnitentia, de qua meritò Deus apud Jeremiam
cap. 3. v. 10. ait, *Non est reversa ad me prævaricatrix in toto corde suo, sed in* T. 1. p.
*mendacio.* Unde Isaiæ 1. v. 16. dicitur: *Lavamini, mundi estote, auferte ma-* 1609.
*lum cogitationum vestrarum: quiescite agere perversè, discite benè facere.* Ratio C.
est, quia sincera pœnitentia debet excludere omnem affectum ad pecca-
tum; qui verò non haberet tale propositum non peccandi de cætero, pec-
cati affectum non deposuisset: unde meritò S. Gregorius Magnus Hom. 34.
in Evangelia, ait: *Quid prodest, si peccata luxuriæ quis defleat, & tamen ad-*
*huc avaritiæ æstibus anhelet? Quid prodest, si iræ culpas jam lugeat, & ta-* T. 5. Ap-
*men adhuc invidiæ facibus tabescat?* Et S. Augustinus Sermone 7. de tempo- pend. p.
re, nunc 117. in Appendice, *Multi*, inquit, *assiduè se dicunt esse peccato-* 213. A.
*res, & tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio: ac-*

*cusatur*

*eusatur anima, non sanatur: pronuntiatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.*

Disputant inter se Scholæ Theologi, quale debeat esse istud propositum non peccandi de cætero, an formale & explicitum, an virtuale & implicitum. Longè verior nobis videtur sententia eorum qui formale & explicitum desiderant: tùm quia de illo expresè mentionem facit Scriptura: tùm quia Concilium Tridentinum propositum illud distinguit ab odio peccati: at nulla fuisset necessitas illud distinguendi, nisi voluisset propositum illud debere esse formale & explicitum; in odio quippe peccati implicitè saltem ac virtualiter includitur propositum illius in posterùm fugiendi.

Additur denique in definitione contritionis, *cum voto præstandi omnia quæ requiruntur ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè percipiendum*; id est, confitendi & satisfaciendi, ut habet contritionis definitio à veteribus Scholasticis adducta. Votum autem illud seu desiderium planè necessarium est, cùm ex institutione divina necessaria sit, & confessio peccatorum, & satisfactio pro illis, ut patebit ex dicendis.

Quæres 3. quænam sint contritionis universim sumptæ affectiones seu proprietates.

Resp. istas præsertim assignari, ut sit libera, bona, supernaturalis, vera, sincera, magna, vehemens.

I. Contritionem liberam non esse, sed coactam & per vim extortam, censuit Lutherus, quam totam in terroribus conscientiæ & legis comminationibus, quibus anima necessariò commovetur, reposuit: unde nec metum pœnarum bonum esse, nec contritionem ad gratiam præparare, sed hominem hypocritam & magis peccatorem reddere, scripsit ille in Sermone secundo de Pœnitentia, Tom. 1. Operum Lutheri editionis Wittembergensis an. 1558. pag. 60. & in Assertione articulorum, quos Leo X. S. Pontifex damnaverat. Quem errorem proscripsit Concilium Tridentinum

To. 14. Conc. p. 814. Sess. 14. Can. 5. his verbis: *Si quis dixerit, eam contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, quâ quisque recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demùm illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema sit.*

Prima igitur contritionis proprietas est, ut sit actus liber & bonus. Ratio est, quia, qui actus à Deo præcipitur, & disponit ad veniam peccatorum obtinendam, liber esse debet, bonus & honestus: atqui talis est contritio. Joelis 2. v. 13. *Scindite corda vestra. Pœnitemini & convertimini*, ait S. Petrus ad Judæos Act. 3. v. 19. *ut deleantur peccata vestra*. Tali contritione concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Deo impetrarunt: terrores autem illi conscientiæ incussi, ad contritionem quidem hominem ducunt ac præparant, sed eam non constituunt, ut voluit Lutherus. Adde quòd motiva ex quibus concipitur contritio, planè bona sint & honesta, ut inferiùs ostendemus, ubi de timore pœnæ & attritione disputabimus.

II. Con-

II. Contritio debet esse supernaturalis, tùm ratione auxilii, tùm ratione motivi quod excitatur.

Ratione quidem auxilii, seu gratiæ divinæ, sine qua nullus, ut oportet, de peccatis dolere ac conteri potest, sicut docet fides Ecclesiæ contra Pelagianos, quam hic probare nostri non est instituti. *Converte me, Domine*, inquit Jeremias cap. 31. *& convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam*. Necessitatem hanc divinæ gratiæ ad contritionem habendam confirmat Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 3. & Sess. 14. cap. 4. ubi ait; *contritionem imperfectam, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat*. T. 14. p. Conc. p. 817. D.

Ratione pariter motivi, supernaturalis esse debet contritio: actio siquidem moralis ex motivo præsertim suam speciem desumit. Cùm igitur contritio debeat esse supernaturalis, necesse est motivum illius esse supernaturale; nulla igitur est contritio, aut saltem ad salutem planè insufficiens, quæ motivo purè naturali nititur. Talis fuit contritio Antiochi peccatum deflentis, non quòd esset offensa Dei, sed propter gravissimum, quo cruciabatur, morbum: talis & contritio Esau, qui non peccatum, sed amissam deflebat temporalem hæreditatem: talis eorum omnium, qui vel metu mali, vel spe boni alicujus merè temporalis, à peccatis exteriùs se retrahunt. *Qui enim propter beneficia terrena Deum quærunt*, ait S. Augustinus Enarratione in Psalm. 77. n. 20. *non utique Deum, sed illa quærunt. Eo modo timore servili, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur: hoc enim colitur quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, plùs omnibus diligendus est ut colatur*. Et Lib. de gestis Pelagii cap. 5. *Qui propter illa terrena*, inquit, *suscipit legem Dei, ipse est hæres veteris Testamenti*. Motivum igitur contritionis ex amore Dei saltem initiali & inchoato nasci debet, ex spe veniæ consequendæ, ex timore pœnæ æternæ, & amittendæ felicitatis, ex turpitudine peccati, quatenùs est Dei offensa, & aliis hujusmodi ad ordinem supernaturalem pertinentibus. Unde meritò Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700. propositionem istam censura sua confixit, *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam. Hæc propositio*, ait Censura, *est hæretica*. Non facile est in praxi ac per actus exteriores discernere motivum supernaturale à naturali; istud enim alterum facilè imitatur, ejusque veluti speciem induit: ex diversis siquidem specie motivis eædem non rarò prodeunt externæ actiones, sicut observat S. Augustinus loco citato in Psalm. 77. n. 10. *Quantùm*, inquit, *attinet ad facta quæ forinsecùs aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant justitiam, non furantur; & ideò pares sunt manu; dispares corde: pares opere; dispares voluntate*. Atque hinc incertus semper hac in vita homo est, an amore, an odio dignus sit; Deumque suppliciter orare continuò debet, ut purum efficiat contritionis suæ seu pœnitentiæ motivum.

T. 4. p. 818. B. C.

T. 1. p. 199. C.

Memoires du Clergé, To. 1. p. 733.

T. 4. p. 813. B. C.

Distingui verò debet motivum pœnitentiæ, ab occasione qua quis ad pœnitentiam excitatur. V.g. Ninivitæ occasione quidem mortis temporalis, & urbis

urbis subversionis, quam imminentem Jonas annuntiabat, ducti sunt ad pœnitentiam, quæ cùm ipso Dei ore fuerit laudata & commendata, malum illud temporale non habuit pro motivo, aliàs planè insufficiens fuisset ad placandam divinam iram; sed illius occasione concepta fuit ex quodam motivo supernaturali. Qua ratione multi ex morbo vel alia quacumque afflictione, occasionem habent redeundi ad Deum per veram & sinceram de peccatis suis contritionem.

Ex his manifestum est, falsò & per insignem calumniam Lutherum & Kemnitium Catholicis imponere, quòd naturalem contritionem sufficientem existiment ad veniam peccatorum in Sacramento percipiendam. Quòd si pauci aliqui ex veteribus Scholasticis visi sunt plùs æquo favere naturali contritioni, à cæteris ea in parte deserti sunt & improbati.

III. Contritio debet esse vera & sincera; non in sola mentis aut imaginationis superficie, non in verborum inani strepitu, vel fictis lachrymis, sed in intima voluntate ab omni peccati affectu aliena, quæ non signis meliùs potest demonstrari, quàm fuga peccati, & exercitio bonorum operum. *Facite fructum dignum pœnitentiæ*, ait S. Joannes Baptista Matth. 3. v. 8. Et cap. 7. v. 16. de falsis Prophetis Christus ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Facile est fictam & mendacem, pro vera & sincera, contritionem assumere: ut enim rectè observat S. Gregorius Magnus cap. 9. primæ partis Curæ seu Regulæ Pastoralis, *Fit aliquando ut aliud in imis inten-*
T. 2. p. 9?C. *tio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare, quod amat.* Et in Libro 1. Regum cap. 15. ait, ex fructibus pœnitentis æstimari debere veritatem ejus pœ-
T. 3. p. 2. p. 3?7 E. nitentiæ. *Tunc*, inquit, *benè peccatorem conversum cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur . . . in fructu, non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoscenda est*. Et Hom. 30. in Evangelia: *Si unusquisque*, inquit, *vestrum requiratur, an diligat Deum: tota fiducia &*
T. 1. p. 1575. D. *secura mente respondet, Diligo . . . Veritas autem dicit, Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis . . . Verè etenim Deum diligimus, si ad mandata ejus nos à nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profectò Deum non amat; quia ei in sua voluntate contradicit.*

Qui igitur cum ficta contritione (quamquam eam veram existimaret) accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ, ille non modò fructum, sed nequidem ipsum perciperet Sacramentum, quod certè nullum omnino censetur, cùm non adest pars ejus essentialis, qualis est vera & sincera contritio: sicut nullum foret Baptismi Sacramentum, quod quis in vino conferret, etsi putaret se in aqua baptisare.

Sedulò igitur explorare debet Sacerdos, an vera sit & sincera pœnitentis contritio, priusquàm absolutionis beneficium ipsi impendat: expendet quale sit ejus motivum, an voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniæ consequendæ sit conjuncta; quorum certius habere non potest argumentum, quàm ex mutatione vitæ, ex fuga peccati & occasionum ipsius, ex praxi seu exercitio bonorum operum, & aliis hujusmodi, ad quæ attendere debere Sacerdotem præcipit S. Carolus Actorum parte 4. Quamquam enim certum

tum sit nullum esse tam obduratum peccatorem, quem Deus præpotenti sua gratia subitò convertere non possit, atque *in pœnitentia*, sicut ait S. Augustinus Enchyridii cap. 5. *non tam considerandam esse mensuram temporis quàm* T. 6. p.
*doloris; tamen, quia plerumque*, pergit S. Doctor, *dolor alterius cordis occul-* 210. F.
*tus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia signa procedit . . . rectè constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt tempora pœni-* T. 1. p.
*tentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ. Causæ ergo pensandæ sunt*, ait S. Grego- 1555. n.
rius Magnus Hom. 26. in Evangelia, *& tunc ligandi atque solvendi potestas* 6.
*exercenda. Videndum est quæ culpa præcesserit, aut quæ pœnitentia sequuta est post culpam.*

Quæres 4. quid sit contritionis quantitas, & quanta esse debeat.

Resp. quantitatem contritionis nihil aliud esse quàm ejus magnitudinem ac vehementiam.

Triplici autem sensu magna dici potest contritio, nempe appretiativè, intensivè, & extensivè.

Appretiativè magna dicitur, cùm Deum rebus omnibus anteponit, & mallet potius rerum omnium pati dispendium, quàm Deum offendere.

Intensivè, cùm summo voluntatis ardore & conatu fertur in odium peccati & amorem Dei.

Extensivè, cùm ad omnia & singula peccata, nullo excepto, se extendit, ac nulla temporis mensura definitur.

Appretiatio spectat objectum quod pluris fit rebus omnibus, & motivum propter quod pluris æstimatur.

Intensio, subjectum seu gradum contritionis.

Extensio, peccatorum multitudinem, varietatem, temporis quo durare debeat contritio, mensuram &c. His positis,

Resp. 1. contritionem summam esse debere appretiativè. Probant Scripturæ multis in locis. Deuteronomii 4. v. 29. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua &c.* quæ verba nec de contritione, nec de amore intensivè & quoad gradus summo debent intelligi, sed appretiativè dumtaxat quoad æstimationem: quia nempe divisum esse non debet cor nostrum inter Deum & creaturam, sed ita totum Deo mancipatum, ut bonorum omnium, etiam vitæ propriæ, jacturam pati potius homo velit, quàm Deum offendere & ab eo separari. Modum hunc insinuavit Christus, cùm dixit Matt. 10. v. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus; & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* In ea animi præparatione erat S. Paulus, cùm fretus divina misericordia dicebat Rom. 8. v. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? An tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque instantia, neque futura . . . . neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est* T. 3. p. 1.
*in Christo Jesu Domino nostro.* Ita Scripturæ laudata testimonia exponit S. p. 11. E.
Aug. L. 1. de Doctrina Christiana c. 22. *Cùm ait Scriptura*, inquit, *Diliges Do-*

*minum tuum ex tota anima, ex tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re uti velit.*

Ratio est, quia dolor de peccatis quatenus sunt Dei offensa, debet esse super omnia, sicut & amor Dei: si enim Deo aliquid anteponatur, & dolor falsus est, & amor planè nullus; imò major Deo inferri non potest injuria, p. 123. D. quàm si creatura ipsi anteponatur, quod facit quicunque peccat. *Diabolum enim Domino præponit*, ait Tertullianus L. de Pœnitentia c. 5. *& comparationem agere videtur, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiare eum meliorem, cujus se esse maluerit.*

Resp. 2. optandam esse & optimam contritionis quoad gradus intensionem, non tamen necessariam.

Ratio primæ partis est, quia cùm Deus sit summè diligibilis, & peccatum summè odibile, nullus timeri debet excessus aut in amore Dei, aut in odio p. 178. peccati; atque graduum magnitudo & intensio optanda est maximè. *Quàm magna deliquimus*, ait S. Cyprianus in Tractatu de lapsis, *tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit; pœnitentia crimine minor non sit.*

Ratio secundæ partis est, tùm quia nullus assignari potest certus & determinatus intensionis gradus necessarius ad essentiam vel contritionis, vel amoris Dei constituendam, sicut inferiùs ostendemus; tùm quia Scripturæ testimonia mox relata exponi rectè possunt *de totalitate integritatis & perfectionis, non verò de totalitate gradualis intensionis*, ait Melchior Canus de p. 215. col. 1. B. Pœnitentia parte 3. tùm quia intensio gradus non est in potestate hominis; tùm denique quia, inquit Estius in 4. dist. 16. paragr. 7. intensio actus voluntatis sequitur vehementiam objecti moventis: atqui objectum sensibile naturaliter vehementiùs movet & afficit voluntatem, quàm objectum intelligibile aut spirituale. Unde sicut amor bonorum sensibilium potest esse intensior quàm spiritualium, ita & dolor qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest eo qui concipitur propter mala spiritualia, cujusmodi sunt peccata, idque citra culpam hominis, propterea quòd homo in corpore corruptibili constitutus, vehementiùs moveatur sensibilibus tam bonis, quàm malis, etiamsi ea absolutè non magis diligat, aut detestetur, modo appretiativo; quod exemplo sanctorum Virorum comprobatur. Jacob Gen. 37. & David 2. Regum 19. longè vehementioris doloris signa dedere pro morte filiorum suorum, quàm pro suis peccatis.

Resp. 3. necesse non esse ut contritio summa sit extensivè, hoc est, ut tot sint numero contritionis actus, quot sunt numero peccata; una etenim sufficit universalis contritio, quæ ad omnia commissa peccata se extendat: pariter nulla certa est ac præfixa temporis mensura necessaria ad essentiam contritionis.

Ratio primæ partis est, tùm quia impossibile aliquando est peccatori, omnia & singula sua peccata recensere, iis præsertim, quorum iniquitates supergressæ sunt numerum capillorum capitis: tùm quia aliquando non expedit, ut peccator singulos actus distinctè memoria sua revolvat, præsertim in materia luxuriæ, ubi rei præteritæ memoria & distincta cogitatio voluptatis sensum excitare posset, & voluntatis consensum trahere; caro enim infirma, spiritus autem promptus: tùm denique quia formale motivum contritionis, nempe;

nempe dolor de offensa, æqualiter ad omnia peccata se extendit, nec fieri potest ut quis de uno peccato, quatenus est offensa Dei, sincerum habeat dolorem, quin pariter de omnibus doleat; unica ergo sufficit contritio, quæ ad omnia peccata detestanda referatur; quamquam hortandi sunt pœnitentes, ut quantùm fieri possit, pro peccatorum numero, augeant & numero contritionis actus, atque recogitent omnes annos suos in amaritudine animæ suæ.

Ratio secundæ partis est, quia potest Deus in momento hominem quantumvis induratum ad se convertere, neque certam postulat temporis mensuram & durationem. *Impietas impii*, ait Ezechiel c.33. v. 12. *non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit*. Et Judith 5. v. 19. *Quotiescumque penituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi*.

Eadem est SS. Patrum doctrina. *In isto mundo*, ait S. Cyprianus ad Demetrianum, *pœnitentia nulla sera est*..... *Licèt sub ipso exitu & vitæ temporalis occasu pro delictis roges, & Deum fide implores, venia confitenti datur*. Et S. Augustinus Enchiridii cap. 65. *In actione penitentiæ*, inquit, *non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris*. Seriò tamen admonent iidem SS. Patres, ne pœnitentia ad extremam usque vitam differatur, tùm cùm difficilè admodum ab inveterato habitu & peccandi affectu voluntas retrahitur, & infirmitas corporis animam aggravans, seriis illis cogitationibus vix locum relinquit, ac pœnitentiæ sensum valdè incertum facit & dubium. P. 204. T. 6. p. 220. E.

Quæres 5. an contritio de peccatis necessaria sit, & quo jure.

Resp. planè necessariam esse jure divino, naturali, & Ecclesiastico. 1. Jure divino: expressa enim est Dei voluntas in Scripturis. Ezechielis 18. v. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*. Et Luc. 13. v. 3. *Nisi pænitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. Unde Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. ait *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, contritionis motum fuiße necessarium*. Et S. Aug. Lib. de duabus animabus cap. 14. ait, *posse quidem aliquem dicere non se peccare; at nullam eße barbariem quæ dicere audeat, non esse pænitendum, si peccaverit*. 2. Jure naturali necessaria est contritio, ait S. Th. 3. parte qu. 84. art. 7. ad 1. *De jure*, inquit, *naturali est, quòd aliquis pœniteat de malis quæ fecit; quantùm ad hoc quod doleat se fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quòd etiam aliqua doloris signa ostendat*. 3. Necessaria est contritio præcepto Ecclesiastico, quia necessaria est confessio saltem semel in anno facienda ex mandato Ecclesiæ: at valida non est sine contritione. T. 8. p. 90. C.

Quæres 6. an de peccatis venialibus, perindeac de mortalibus, necessaria sit contritio.

Resp. affirmativè, peccata enim venialia vera sunt peccata. *Nec quemquam putes*, ait S Aug. Epistola 93. aliàs 48. *aberrore ad veritatem, vel à quocunque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine penitentia posse transire*. T. 2. p. 252. G.

Quæres 7. quo tempore obliget præceptum contritionis.

Resp. 1. certum esse apud omnes Theologos, optimam esse praxim eorum qui peccatum, statim ac commissum fuit, detestantur; juxta istud Ecclesiastici, *Non tardes converti ad Dominum*. Rationem reddit S. Gregorius Magnus Hom. 11. in Ezechielem, *quia peccatum quod non fuit pœnitentia deletum, suo pondere trahit ad aliud*. Eccli. 5. v. 8. T. 1. p. 1289. C.

Resp. 2. præceptum contritionis obligare posse vel per se, vel per accidens,

dens, ratione alterius præcepti urgentis quod fine contritione impleri non poteſt. Priori modo obligat in articulo mortis, quia tenetur quiſque ſaluti animæ ſuæ conſulere; ſine contritione verò & pęnitentia nemo poteſt eſſe ſalvus. Poſteriori modo obligat quando urget præceptum percipiendæ v. g. Euchariſtiæ aut Confirmationis : cùm enim Sacramenta hæc vivorum ſint, debet, qui ad ea accedit, priùs vivere vita animæ, quam quidem ſine contritione habere non poteſt. Non minùs certum videtur, teneri peccatorem non differre in multum tempus ſuam pœnitentiam & converſionem, quia tenetur quilibet fugere periculum morale indurationis in malo, & impœnitentiæ finalis : at in iſtud periculum incurrit, qui pœnitentiam de die in diem ita differt, & maximam vitæ partem in habitu peccati tranſigit.

Tota igitur quæſtio quæ Theologos varias in partes diſtrahit, eſt an præceptum contritionis obliget ſub peccato, ſtatim ac peccatum commiſſum eſt; an verò ſaltem quoties memoriæ occurrit; an ſaltem diebus feſtis, quibus ex Eccleſiæ præcepto tenentur Fideles Miſſæ ſacrificio intereſſe; an denique ſemel in anno, cùm urget mandatum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis, & communionis paſchalis, an ſæpiùs; habet enim ſuos patronos
P. 862. quælibet ex iſtis opinio, de qua quæſtione lege Melchiorem Canum Relectione de Pœnitentia parte 4. ubi ait

1. hominem ſtatim à peccato commiſſo non teneri præcepto contritionis, ſicut nec præcepto confeſſionis: tùm quia videtur hic eſſe Fidelium omnium conſenſus, qui circumſtantiam hanc in confeſſione ſua declarare non aſſueverunt: tùm quia ſi novum committitur peccatum, tot erunt numero multiplicanda peccata, quot momenta temporis defluxerint à peccat commiſſo, & omiſſa contritione: tùm quia præceptum contritionis affirmativum eſt, quod non obligat niſi tempore neceſſitatis: tùm quia ſicut alia media ad ſalutem neceſſaria, nempe fidem, Baptiſmum, confeſſionem, ſtatim uſurpare non tenemur, ita nec pœnitentiam.

P. 863. Ait 2. non teneri hominem pęnitentiam agere quoties peccata memoriæ occurrerint, ſive ſpeculątivè, ſive practicè occurrerint: tùm quia obligatio reliquorum præceptorum ex neceſſitate rei ſumitur, non ex memoria aut intelligentia noſtra: tùm quia nullum extat tale Dei mandatum, ut peccata deteſtemur, quoties occurrunt memoriæ: tùm quia non peccat mortaliter qui non diligit Deum, quantumcumque divina bonitas proponatur omni dilectione digniſſima, niſi neceſſitatis articulus intercedat. Idem de præcepto fidei & ſpei videre licet. Contrariam nihilominus ſententiam tuentur S. Antoninus 3. p. titul. 14. c. 18. S. Bonaventura in 4. diſt. 16. q. 2. S. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1.

P. 864. Ait 3. in diebus feſtis non obligari hominem ad contritionem eliciendam; præceptum etenim, ait Canus, *de colendo Deo, quo feſtis diebus adſtringimur, opera religionis præſcribit; at pœnitentia religionis opus non eſt, ſed vindicationis*. Verùm pace tanti Theologi dixerim, in pęnitentia non tantùm vindictam & ſatisfactionem includi, ſed & amorem Dei ac propoſitum vitæ melioris; quæ certè opera ſunt religionis, & ad Dei cultum referuntur : Præcepto igitur Eccleſiaſtico de audienda diebus feſtis Miſſa, ſatisfacit, qui cum attentione, modeſtia, animo religionis, divinis intereſt myſteriis, Deumque rogat, ut velit gratiam compunctionis concedere. Affectus ergo ille

ille sufficit, nec sub pęna novi mortalis peccati exigenda perfecta contritio, nisi velis, quod absit, peccatores à sacrificio Missæ retrahere, cui non interesse potius eligerent, quàm novum committere peccatum; imò & hoc prætextu, ne interessent, uterentur.

Ait igitur 4. præceptum contritionis obligare in articulo necessitatis, ut reliqua omnia præcepta affirmativa. Necessitatis verò illius articulus est 1. in articulo mortis. 2. cùm quis tenetur vel administrare, vel recipere Sacramentum aliquod, vel quemcumque alium exercere actum, qui requirat in homine præviam gratiam; quam postremam contritionis necessitatem accidentariam appellat, ortam scilicet non à præcepto pœnitentiæ, sed ab alio præcepto de digna Sacramentorum vel susceptione vel administratione. Ita Melchior Canus. *Ibid.*

His tamen duobus necessitatis casibus addendum existimamus alium, cùm nempe ex defectu contritionis & pœnitentiæ, morale periculum est futuræ indurationis & impęnitentiæ. Figi revera non potest, nec mathematicè determinari instans illud temporis quo premat talis necessitas: sed ex negligentia peccatoris in sua procuranda salute, ex longa Dei oblivione, ex inveterato peccandi habitu, ac torpore letargico quo in voluptatibus consepultus de Deo vix cogitat quidquam, facilè intelliget prudens Sacerdos, negligentiam hanc in salute promovenda, novum esse peccatum, quod in confessione aperire tenetur pęnitens, ac detestari; adeoque violatum ab ipso contritionis & pœnitentiæ faciendæ mandatum. Lege ea de quæstione Suarem in tertiam partem de Pœnit. q. 90. disp. 15. art. 4. sectione 5. & seq. pag. 209.

Quæres. 8. an necesse sit contritionem esse sensibilem.

Resp. necesse non esse, quia constat exemplo virorum sanctorum, eos aliquando majori sensibili dolore affectos fuisse ex morte v. g. filiorum ac parentum, quàm ex offensa Dei. Ratio est, quia sensibilitas illa ex nobis non pendet, sed ut plurimùm ex imaginatione ac natura temperamenti profluit.

Quæres ultimò, quotuplex sit contritio.

Resp. duplicem distingui à Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. perfectam unam, quæ justificat ante actualem Sacramenti perceptionem; alteram imperfectam, quæ dicitur attritio, nec justificat sine Sacramento. De utraque quoniam graves excitantur inter Theologos controversiæ, duplici distincta Quæstione disseremus.

# QUÆSTIO QUARTA.

*De contritione perfecta.*

Concilium Tridentinum Seff. 14. c. 4. circa perfectam contritionem duo docet. Primum, *contingere aliquando eam charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur*: alterum, *reconciliationem hanc ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*. Verùm non declaravit neque definivit 1. undenam repetenda sit ratio essentialis ac specifica contritionis & charitatis perfectæ. 2. an contritio perfecta sit dispositio necessariò requisita ad percipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. 3. an semper & ordinariè, an aliquando dumtaxat & in casu necessitatis, perfecta contritio justitiam conferat, antequam actu Sacramentum percipiatur. 4. denique, quale sit illud votum seu desiderium Sacramenti quod includitur in contritione, an requiratur formale & explicitum, an virtuale & implicitum sufficiat? circa quæ cùm nihil fuerit à Synodo expresfè pronuntiatum, salva fide dissentiunt Theologi.

T. 14. Conc. p. 817. D.

Estius in 4. dist. 11. parag. 2. p. 219.

Hæc igitur quatuor capita totidem Articulis expendenda nobis sunt.

I. in quo consistat essentialis & specifica ratio contritionis & charitatis perfectæ.

II. an contritio perfecta, non tantùm in casu necessitatis, sed quoties contingit eam esse perfectam, seu ordinariè, hominem Deo reconciliet, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu percipiatur.

III. an perfecta contritio sit dispositio necessariò prærequisita ad percipiendum Sacramentum Pœnitentiæ.

IV. an & quale votum seu desiderium Sacramenti necessarium sit.

## ARTICULUS PRIMUS.

*In quo consistat ratio essentialis & specifica contritionis & charitatis perfectæ.*

Ad omnem ex hac controversia nominis ambiguitatem statim removendam

Observandum 1. nomine charitatis nos hìc intelligere veri nominis charitatem, seu amorem Dei propter seipsum.

Observandum 2. non raro apud SS. Augustinum & Thomam charitatis nomine quemlibet generatim intelligi boni ac recti amorem, quodcumque illud sit, sive morale, sive supernaturale. Quo sensu dixit S. August. Lib. de Gratia Christi cap. 21. *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas*. Et Lib. de moribus Ecclesiæ cap. 15. referente S. Thoma 1. 2. qu. 62. art. 2. ad 3. *Qualibet virtus*, inquit, *est ordo amoris*. Quæ verba exponens S. Thomas loco mox citato, ait: *Licèt charitas sit amor, non tamen omnis amor est charitas. Cùm ergo dicitur, quòd omnis virtus est ordo amoris, potest intelligi vel de amore communiter dicto, vel amore charitatis. Si de amore communiter dicto,*

T. 10. p. 239.

sic

*sic dicitur qualibet virtus esse ordo amoris, in quantùm ad quamlibet cardinalium virtutum requiritur ordinata affectio: omnis autem affectionis radix & principium est amor. Si autem intelligatur de amore charitatis, non datur per hoc intelligi, quòd qualibet alia virtus essentialiter sit charitas; sed quòd omnes aliæ virtutes aliqualiter à charitate dependeant.*

Idem fermè repetit Angelicus Doctor 2. 2. q. 17. art. 8. in corp. *Spes, inquit, & omnis appetitivus motus ex amore derivatur, ut suprà habitum est, cùm de passionibus ageretur. Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus: perfectus quidem amor est, quo aliquis secundùm se amatur; utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundùm seipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo secundùm seipsum: sed spes pertinet ad secundum amorem; quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. Et ideo in via generationis spes prior est charitate.*

Ibidem q. 19. art. 6. in corp. *Amor sui tripliciter se potest habere ad charitatem. Uno enim modo contrariatur charitati, secundùm quod aliquis in amore proprii boni finem constituit: alio verò modo in charitate includitur, secundùm quod homo se propter Deum, & in Deo diligit: tertio modo à charitate quidem distinguitur, sed charitati non contrariatur: puta cùm aliquis diligit seipsum, secundùm rationem proprii boni; ita tamen quòd in hoc proprio bono non constituat finem. Sicut etiam & ad proximum potest esse aliqua alia specialis dilectio præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo, dum proximus diligitur ratione commoditatis, consanguinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis sit ad charitatem.*

Nihil certè iis Angelici Doctoris testimoniis expressius desiderari potest, quo probetur, juxta sanctum Doctorem, dari quemdam amorem rectum & honestum, qui tamen non sit amor charitatis propriè dictæ.

Doctrinam hanc hauserat sanctus Doctor ex D. Augustino multis in locis, maximè verò Serm. 349. aliàs 52. de tempore, ubi duplicem distinguit charitatem, unam divinam, alteram humanam vel licitam vel illicitam. Sed non est hujus loci diutiùs in his immorari.

Observandum 3. ex modò dictis duo inferri.

Primum, nomine & auctoritate S. Augustini Jansenianos abuti, cùm multa ex illo S. Doctore testimonia promiscuè congerunt, ut probent, sine charitate quamlibet hominis actionem vitiosam esse, ac verum peccatum, saltem omissionis. Certum etenim est S. Doctorem nomine charitatis non semper intelligere charitatem propriè dictam, seu amorem Dei propter seipsum; sed generatim quemlibet recti & boni amorem.

Secundum, falsum prorsus esse charitatem, vel habitualem, vel actualem perfectam, vel actualem inchoatam & imperfectam necessariam esse, ut actus moralis bonus sit, non verum, saltem ex omissione, peccatum. Primus error fuit Joannis Hus in Concilio Constantiensi proscriptus Sessione decima quinta. Secundus error fuit Baji, ut constat ex trigesima octava propositione inter Bajanas. Tertius denique error, est discipulorum Baji, qui nullum actum medium agnoscunt, qui non sit aut ex charitate propriè dicta, aut ex vitiosa cupiditate; atque omnia, non tantùm Infidelium opera, sed T. 12. Conc. p. 133.

ra, sed etiam Fidelium, vera esse peccata, saltem omissionis, contendunt, eo ipso quo per veram charitatem actualem ad Deum, tanquam ad ultimum finem, non referuntur: unde manifestè sequitur, actus fidei, spei, timoris supernaturalis, si ex charitate non sint, vera esse peccata. Putida argutia est, quod ajunt, omissionem illam culpabilem non cadere in actionem ipsam, quæ bona supponitur ex officio & fine proximo; sed cadere in ipsum operantem. Namque si actio quælibet moralis, ut bona sit, non verum omissionis peccatum, referri ad finem ultimum ex vera charitate debeat, certè defectus ille relationis in ipsam actionem directè cadit, eamque vitiat ac inficit: moralis enim actio, in mente adversariorum, bonitatem suam desumit, non tantùm ex objecto, officio & fine proximo; sed ex relatione ad finem ultimum, qua relatione deficiente, actio verum peccatum est, quo primum ac maximum amoris Dei mandatum violari clamitant. Non absimili argutia & fraudulenta distinctione actionis, & agentis, abusus fuerat Jansenius Lib. 5. de gratia Christi cap. 21. ut efficiat timorem pœnæ ex se ipso quidem rectum esse, ex parte verò timentis, qui eum ex motivo charitatis non refert ad Deum, tanquam ad finem ultimum, vitiosum. Quantùm porrò ista remota sint & aliena à Catholica doctrina, norunt omnes Orthodoxi; habent enim virtutes fidei, ac spei, & aliæ morales, proprium suum objectum & motivum à charitate ipsa distinctum; quæ cùm in ordine ad finem supernaturalem in actus suos erumpere non possint sine auxilio divinæ gratiæ, consequenter bonam aliquam voluntatem, & aliquid dilectionis includunt, quod nomine charitatis donari potest, non quidem propriè ac strictè sumptæ, quatenus est virtus theologica, sed generatim quatenus est amor recti, seu, ut ait Augustinus, quatenus *omnis virtus est ordo amoris*: tametsi, ut advertit S. Thomas, *omnis amor non sit charitas*. Erat hic professò D. Augustini sensus Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 18. cùm dicebat: *Præcepto dilectionis* ( ut invicem diligamus ). *admonitum est liberum arbitrium ut quæreret Dei donum: quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.* Gratiam excitantem hìc *dilectionem* appellat Augustinus, sicut *charitatem* dixerat esse bonam voluntatem. *Quid est charitas, nisi bona voluntas?*

Edit. Lovan. To. 3. p. 543. & seq. Edit. Roth. T. 3. p. 230. & seq.

T. 10. p. 737. E.

Verùm de hoc argumento proprius erit dicendi locus, ubi de actibus humanis & de præcepto charitatis disputatio instituenda erit: sufficiat hìc nostros Theologiæ Candidatos monuisse de varia apud SS. Augustinum & Thomam nominis charitatis significatione, & abusu atque errore Jansenianorum in hocce argumento.

Observandum denique, consentire quidem omnes Theologos, perfectam esse contritionem cùm informatur charitate perfecta: verùm disputant de formali ratione ex qua repetenda sit charitatis, & consequenter contritionis, perfectio.

*Opiniones Scholæ.*

Missa nonnullorum veterum Scholasticorum sententia, qui perfectam contritionem dixerunt eam, quæ vel formaliter informatur gratia habituali seu sanctificante, vel ipsius est effectus natura tantùm posterior; atque omnem

nem de peccatis dolorem, imò & amorem Dei, qui præcedebat gratiæ habitualis infusionem, attritioni seu imperfectæ contritioni adscribebant; missa, inquam, hac opinione jam obsoleta, de qua Morinus L.8. de Pœnit. cap.2. 3. & 4. tres dumtaxat opiniones hic expendemus.

Prima charitatem seu amorem Dei perfectum appellat eum qui est super omnia, imperfectum verò qui initialis est dumtaxat, & non super omnia: pariter contritionem perfectam eo titulo distinguit ab imperfecta, quòd perfecta sit ex motivo dilectionis Dei super omnia, non verò imperfecta.

Secunda opinio in omni vero & sincero Dei amore conditionem hanc necessariò exigit, ut sit super omnia; & totam distinctionem specificam charitatis & contritionis perfectæ quæ justificat, ab imperfecta quæ non justificat, repetit ex gradus intensione seu remissione.

Tertia denique distinctionem hanc desumitur ex specifico motivo charitatis seu amoris Dei; huncque perfectum esse contendit amorem, qui versatur circa Deum in se summè bonum & perfectum, nullo explicito ad proprium amantis commodum respectu: illum verò imperfectum, aut saltem minùs perfectum, qui impar est ex se homini justificando; qui versatur circa Deum ut nobis bonum, hoc est quatenus nostra est felicitas & beatitudo ultima. Primus amor vocatur amicitiæ & benevolentiæ, qui proprius est charitatis; alter vocatur concupiscentiæ, qui ad virtutem spei pertinet, ut docet S. Thomas 2.2.q.17. art.8. in corp. Contritionem consequenter perfectam esse vult hæc opinio, quæ procedit ex amore Dei, quatenus in se absolutè summè bonus est; imperfectam verò seu attritionem, quæ concipitur ex motivo amoris Dei quatenus nostrum est bonum, nostra felicitas & finis ultimus. Prioris amoris objectum, est bonitas Dei absoluta; posterioris verò, bonitas ad nos relativa.

Duplex verò hic cautè declinandus erroris scopulus.

Primus est Quietistarum, qui specificum charitatis motivum ita constituunt in consideratione divinæ bonitatis in se & absolutè, sine ullo ad nos respectu ac ordine, ut motivum propriæ felicitatis æternæ, non solùm ab actu fluente & transitorio charitatis, sed etiam ab ejus habitu permanente, non abstrahendo tantùm, sed etiam excludendo rejiciant. *Datur habitualis status*, ait prima propositio ex viginti quas Innoc. XII. confixit an. 1699. *qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse... Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* Rec. des Bulles p. 569. Scilicet existimant illi, posse animam ad eum perfectionis spiritualis statum fixum ac permanentem devenire, in quo sola divinæ bonitatis & infinitæ perfectionis consideratione sic tota absorpta est, ut de sua propria æterna beatitudine in Deo consequenda non tantùm per abstractionem mentis ampliùs non cogitet, verùm etiam omne istud proprii commodi & æternæ beatitudinis motivum excludat & rejiciat, nullum spei ac cæterarum exercitio virtutum locum relinquens: quem errorem jam diu ab Ecclesia in veteribus Gnosticis, & ætate nostra in Molinoso cæterisque Quietistis proscriptum refellere, non est præsentis nostri instituti, sed pertinet ad Tractatum de virtute charitatis & spei. In eo igitur statu anima sui penitus oblita ac quasi torpens, non agit, sed patitur;

tur; nec desiderio suæ beatitudinis excitatur, nec ullo afficitur proficiendi studio: nec illi curæ est inordinatos concupiscentiæ motus reprimere, quibus fræna intemperanter laxat.

Alter erroris scopulus hìc declinandus, est Lutheranorum, & ipsorum etiam Quietistarum, quibus placet amorem Dei ex motivo æternæ mercedis consequendæ conceptum, mercenarium esse, impurum, illicitum; ex quo virtutis spei fundamenta concuti & omninò everti nemo non videt. Constabit ex dicendis Quæstione sequenti, quàm à fide Catholica alienus sit error iste.

Ab hoc duplici vitioso excessu æqualiter recedunt Orthodoxi Theologi, quamquam inter se nonnihil dissentiant circa formale ac specificum charitatis objectum. Quamvis enim communis hæc videatur esse sententia, primarium ac specificum charitatis objectum Deum esse, quatenus in se & absolutè summè bonus est ac perfectus, sunt tamen qui existimant, Deum ut nobis bonum, hoc est quatenus est nostra felicitas ac finis ultimus, esse quoque objectum formale & specificum charitatis, non quidem primarium, at secundarium saltem primario subordinatum; adeoque amorem Dei conceptum ex motivo æternæ felicitatis in Deo consequendæ, à vera & propria charitate elici contendunt. Alii verò, etsi concedant motivum æternæ felicitatis ab actu charitatis nonnisi per abstractionem mentis divelli, quia nempè eo in actu mens non attendit ad suam propriam beatitudinem, non verò per exclusionem, siquidem charitas actus spei imperat, sicut vicissim spes ad charitatem ducit; volunt tamen proprium specificum formale & adæquatum motivum charitatis esse Deum in se absolutè summè bonum, sine ullo ad nos explicito respectu: formale verò motivum spei esse Deum quatenus nobis bonus, seu quatenus est nostra beatitudo & finis ultimus; & consequenter amorem Dei conceptum ex motivo nostræ beatitudinis, non ad charitatem, sed ad spem referendum esse arbitrantur: atque ex eo dumtaxat capite repetendum discrimen amoris perfecti & imperfecti, seu illius qui est à charitate, quæ per se hominem Deo reconciliat, & illius qui est à spe, quæ per se non reconciliat hominem Deo sine Sacramento.

In hac gravissimorum Auctorum pugna istud saltem certum & ex utraque parte concessum videtur, quod nostræ præsenti quæstioni sufficeret, nempè actum amoris Dei qui concipitur ex motivo divinæ bonitatis in se absolutè & simpliciter consideratæ, perfectiorem esse alio, qui concipitur ex motivo nostræ felicitatis æternæ, siquidem motivum istud posterius est tantùm objectum charitatis secundarium, aliud verò est primarium: unde sequitur, charitatem illam & contritionem perfectam esse ac parem homini justificando, cujus motivum primarium est suprema & infinita Dei bonitas ac perfectio in se absolutè considerata; illam verò non ita perfectam esse, nec parem homini justificando ante Sacramentum, cujus motivum formale est propria felicitas in Deo consequenda. His ita præmissis, sententiam nostram sequentes Conclusiones aperient.

PRI-

## PRIMA CONCLUSIO.

Omnis amor Dei essentialiter verus, debet esse super omnia; nec eo præcisè charitas & contritio perfecta distinguitur ab imperfecta, quòd ista non sit super omnia, illa verò sit super omnia.

Observa non idem nobis hìc esse, amorem Dei essentialiter esse verum, & esse perfectum: prius denotat omnem & quemlibet Dei amorem generatim sumptum, prout abstrahit à perfecto vel imperfecto, & exigit essentialiter ut sit super omnia; aliàs verus non esset Dei amor: posterius designat amoris perfectionem, & ad certam speciem perfectam Dei amorem contrahit ac determinat. Hæc verò perfectio specialis non ex eo sumitur, quòd amor sit super omnia, siquidem istud omni vero Dei amori convenit; sed ex motivo speciali amoris, qui dicitur charitas, & qui occupatur circa Deum in se summè bonum & perfectum.

Observa 2. amorem Dei super omnia, quicunque sit, includere semper & necessariò formalem, vel saltem virtualem voluntatem observandi Dei mandata, & ipsi placendi in omnibus.

Observa 3. duobus modis amorem Dei dici posse super omnia. 1. simpliciter & absolutè, cùm scilicet quis seipsum in Deum explicitè refert, ita ut suum ultimum finem, tùm objectivum, tùm subjectivum, positivè & explicitè in Deo constituat; & hoc sensu solus amor charitatis propriè dictæ super omnia dici potest. 2. Amor Dei dici potest super omnia secundùm quid & in aliquo genere; cùm scilicet aliquis ita dispositus est, ut rerum omnium ac etiam propriæ vitæ dispendium potiùs pati velit, quàm Deum offendere, licèt nondum semetipsum in Deum expressè referat, nec suum ultimum finem subjectivum in ipso reponat, quod est proprium charitatis: eo sensu nostra intelligi debet Conclusio.

Observa denique, præsentem controversiam à Concilio Tridentino definitam non fuisse, atque de industria ab istis terminis, *super omnia*, abstinuisse, cùm inter dispositiones necessarias ad obtinendam justificationis gratiam, recensuit dilectionem Dei. Ita narrat oculatus testis Andreas Vega scribens in caput 5. & 6. Sessionis 6. L. 6. cap. 29. *Sancta Synodus*, inquit, *non statuit hoc loco, an dilectio Dei quæ disponit ad justitiam, sit dilectio Dei super omnia. Temperatum prorsus est à verbo*, super omnia; *tantùmque est definitum, dilectione Dei disponi peccatores ad justitiam*. Ratio est, quia noluit Synodus quæstionem inter Scholasticos agitatam de amore Dei in contritione imperfecta seu attritione necessario, dirimere ac definire, ut postea dicemus. His prænotatis. P. 118. vol. 1.

Probatur prima pars Conclusionis. 1. auctoritate Scripturæ, quæ nullum alium Dei amorem commendat, præter eum qui est super omnia; nullam aliam contritionem, quàm quæ fiat ex toto corde. Matth. 22. v. 36. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum*. Idem repetitur Marci 12. v. 30. Lucæ 10. v. 27. quæ verba de dilectione Dei summa appretiativè seu super omnia, non verò intensivè & quoad gradum, intelligenda esse suprà diximus,

mus, ubi quærebamus quanta esse debeat contritio. Hunc appretiativè summum seu super omnia Dei amorem expressit Christus Matth. 10. v. 37. cùm dixit: *Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Deuteronomii 4. v. 29. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*

Probatur 2. ex SS. Patribus. Ex multis sufficiant

Ed. Cōmel. p. 56. S. Chrysostomus Homil. 9. in cap. 5. Epistolæ ad Romanos. *Cùm autem*, inquit, *Dei amor extiterit, tum demum omnia infra se posita habet.*

Tom. 4. part. 1. pa. 40. S. Hieronymus ad caput 10. S. Matth. exponens mox citata verba, *Ama*, inquit, *post Deum, patrem, ama matrem, ama filios.*

To. 1. p. 1443. C S. Ambrosius in Lucam Lib. 7. n. 136. *Non diligere parentes*, inquit, *sed eos Deo præferre prohiberis.*

To. 1. p. 184. E. S. Augustinus L. 10. Confessionum c. 29. *Minùs te amat*, inquit, *qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

Ibid. p. 692. D. Et Lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 8. *Deus nobis est summum bonum: neque infrà remanendum nobis est, neque ultrà quærendum: alterum enim periculosum, alterum nullum est.*

To. 2. p. 540. E. Et Epistola 155. aliàs 52. ad Macedonium c. 4. *Deus*, inquit, *est quo nihil melius invenimus; cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus.*

To. 5. p. 766. B. Denique Sermone 159. aliàs 17. de verbis Apostoli. *Amanda*, inquit, *est justitia; & in hac justitia amanda gradus sunt proficientium. Prius est ut amori justitiæ non præponantur omnia quæ delectant. Ipse est primus gradus.*

Hanc esse communem Scholasticorum sententiam affirmat Vega L. 6. cap. 28. de Justificatione; quamquam cap. 30. observet in Doctoribus antiquis verba hæc, *super omnia*, non legi, cùm exigunt amorem Dei ad justificationem, quia nempè satis intelliguntur in ipsa voce *amoris Dei* per se contineri. Ea tamen expressit S. Th. 3. parte q. 86. art. 3. in corpore, ubi docet *ad rationem veræ pœnitentiæ requiri ut detestetur peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.* Et 2. 2. q. 26. art. 3. in corpore: *Super communicationem bonorum naturalium nobis à Deo factorum, fundatur amor naturalis; quo non solùm homo in suæ integritate naturæ super omnia diligit Deum, & plùs quàm seipsum, sed etiam quælibet creatura suo modo.*

Probatur 3. evidenti ratione theologica. Namque

I. Nullus verus supponi potest amor Dei, qui non habeat adjunctam veram voluntatem formalem vel virtualem servandi Dei mandata, & ipsi in omnibus placendi. Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Et Epistolæ 1. c. 4. v. 20. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.* Unde veri amoris nomen non meretur simplex illa complacentia, qua quis in contemplanda divina excellentia otiosè immoratur, firmum non habens propositum observandi mandata Dei, imò conservans in corde suo affectum ad peccatum: atqui non potest haberi firmum illud propositum observandi omnia mandata Dei & ipsi placendi in omnibus, nisi amor Dei sit super omnia appretiativè, ut dicitur; quod

satis

satis ex se clarum & manifestum videtur. Unde meritò Clerus Gallicanus in Declaratione facta in Comitiis generalibus an. 1700. loquens de dilectione Dei in Sacramento Pœnitentiæ necessaria, ait, *non satis adimpleri posse huic Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati; quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec fit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet.* N. Mem. du Clergé, T. 2. p. 741.

II. Debet homo detestari peccatum, quatenus est offensa Dei, super omnia: at fieri-ne potest ut illa peccata quatenus sunt offensa Dei, sincerè, ac ut par est detestetur, si Deo aliquid præponat?

III. Implicat in terminis, Deum diligi, & non diligi super omnia: si enim aliquid ipsi præfertur, non diligitur, sed contemnitur. Et verò cùm Deus sit supremum bonum, aut verè non diligitur, aut super omnia diligitur.

Secunda Conclusionis pars ex mox dictis sequitur. Per illud enim amor Dei imperfectus à perfecto non distinguitur præcisè, quod omni vero Dei amori, sive perfectus sit sive imperfectus, convenit: atqui talis est conditio hæc, *super omnia*; ergo &c.

Confirmatur. Quia conditio ista, *super omnia*, necessaria est in omni virtute quæ circa Deum versatur. Sic Religio Deum colit supra omne adorabile; fides divina credit supra omne credibile; spes in Deo confidit supra omnia; charitas etiam Deum diligit super omnia, non tantùm ea, quæ dicitur amor perfectus seu amicitiæ & benevolentiæ, quo Deus ut summè in se & absolutè bonus diligitur; sed etiam amor minùs perfectus, seu spei & concupiscentiæ, quo diligitur quatenus nobis bonus: sub illo etenim respectu, magis amandus est Deus ab homine, quàm quodcunque bonum quod sibi posset concupiscere. Suares L. 1. de gratiæ necessitate ad opera naturalia c. 31. n. 20. p. 371. To. 1. de gratia, probat amorem concupiscentiæ esse super omnia. Idem S. Th. quodlibeto 1. q. 4. ar. 3. Quin & ipse timor, si simpliciter & propriè dictus sit ac supernaturalis, debet esse super omnia; hoc est, magis timere debet offensam Dei propter pœnam, cujus est causa, quàm quodcunque aliud malum: si autem magis timeret pœnam, quàm culpam seu offensam Dei, inordinatus esset; culpa enim majus est malum, quàm pœna. Quamvis ergo in timore pœnæ motivum seu proximum objectum sit fuga pœnæ, sicut in amore concupiscentiæ motivum & objectum proximum est proprium amantis commodum; ipsa tamen Dei offensa, est finis ultimus ad quem refertur timor, sicut possessio Dei ut nostra est beatitudo, est finis ultimus amoris spei seu concupiscentiæ: atque hoc legitimo ordine servato, & timor gehennæ bonus est, & amor Dei quatenus noster finis ultimus, laudabilis & castus. Igitur in omni virtute seu dono supernaturali quod occupatur circa Deum, semper imbibitur conditio *super omnia*. Omnis Dei amor, ut & virtus quæ circa Deū occupatur, imò & timor pœnæ, debet esse super omnia.

Dices 1. Si omnis verus Dei amor sit super omnia; ergo nullus erit amor Dei incipiens, inchoatus & imperfectus, adeoque omnis amor Dei statim hominem Deo reconciliat, quod certè pugnat cum doctrina Concilii Trid. tùm Sess. 6. cap. 6. tùm Sess. 14. cap. 4. & communi SS. Patrum sententia: Sequela verò probatur, quia nihil deest in amore Dei super omnia, ad reconciliationem hominis cum Deo procurandam; & nihil aliud exigunt SS. Patres ad illam reconciliationis gratiam, quàm ut Deus rebus omnibus anteponatur per verum amorem.

Resp.

*Exponuntur modi quibus amor Dei super omnia dici potest incipiês & imperfectus.*

Resp. nego sequelam ant. Amor enim Dei verus & super omnia, dici potest incipiens & imperfectus tribus potissimùm modis.

I. Ratione intensionis vel remissionis actus, ita ut ille amor Dei super omnia sit perfectus & par homini sanctificando, qui est in gradu intenso, hoc est, qui summo voluntatis conatu elicitur. Modum hunc explicandi perfectionem essentialem amoris Dei, & illum distinguendi ab imperfecto, sequenti Conclusione expendemus & rejiciemus.

*I. Ex gradu. II. Ex motivo formali.*

II. Incipiens & imperfectus dicitur amor Dei comparatè ad perfectum, ratione formalis & specifici motivi, ita ut ille amor sit perfectus & veræ charitatis, ac consequenter par homini sanctificando, qui elicitur ex motivo proprio charitatis, hoc est, divinæ bonitatis ac infinitæ perfectionis in se absolutè consideratæ, sine ullo explicito ad proprium amantis commodum ordine ac respectu; imperfectus verò sit, aut saltem incipiens, nec ita perfectus, qui elicitur ex motivo spei, hoc est, nostræ beatitudinis in Deo consequendæ. Ex duplici illo formali motivo distincto oritur duplex distincta virtus theologica, charitas nimirum & spes. Si verò quæras cur amor Dei super omnia, qui est charitatis, justificet hominem, non verò amor Dei super omnia, qui est spei, & dicitur in Scholis concupiscentiæ amor? Respondetur, rationem esse, quia proprium est charitatis sanctificare hominem, non verò spei: nempè quia charitatis proprium est hominem intimè unire cum Deo per veram amicitiam; at compati non potest mortale peccatum cum tali unione: amor verò spei seu concupiscentiæ non ita conjungit per veram amicitiam.

*S. Aug. aliud exigit à peccatore, quàm ut timeat pœnam & desideret beatitudinē. To. 6. p. 281. F.*

Quod autem additur in confirmationem antecedentis, SS. Patres nihil aliud exigere ab homine, quàm ut Deum super omnia diligat, ad gratiam reconciliationis obtinendam, verum est si de amore charitatis intelligantur, ut debent intelligi; falsum verò, si intelligantur de amore quocunque, licèt sit super omnia. Unus hìc sufficiat instar omnium testis S. Augustinus Lib. de catechisandis rudibus cap. 17. ubi loquens de triplici hominum genere qui ad fidem Christianam veniunt, de tertio sic ait: *Qui propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in Regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est; cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, & ne frangatur adversis; & in abundantia bonorum terrenorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens. Qui etiam proficiendo perveniat ad talem animum, ut plus amet Dominum, quàm timeat gehennam: ut etiamsi illi dicat Deus, Utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantùm potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris; exhorrescat, & omninò non peccet, non jam ut in illud quod timebat, non incidat, sed ne illum, quem sic amat, offendat.* Proponit ibi sanctus Doctor hominem, qui & timore pœnæ, & amore proprii sui commodi, hoc est æternæ beatitudinis sanctis promissæ consequendæ, peccatum fugit, & bonum operatur, cujus consequenter & timor, & amor est super omnia: non tamen ibi hæret ac sistit, sed proficiendo pervenit ad amorem charitatis perfectum, quo nempè Deum propter Deum diligit, & eo privari pertimescit. Igitur præter amorem illum primum beatitudinis, qui incipiens, nec tam perfe-

*Hypothesis quam adducit S. Aug. Eandē hypothesim eleganter proponit tū Sermone 178. aliàs 19. de verbis Apostoli cap. 10. (To. 5. p. 853.) tum in Ps. 127.*

ctus eſt, licèt ſuper omnia, alium perfectiorem & charitatis neceſſarium agnoſcit S. Auguſtinus.

3. De triplici gradu, incipientium, proficientiũ & perfectorũ ex S. Thoma.

III. S. Thomas 2.2. q.24. art.9. tres diſtinguit charitatis gradus : *incipientium, proficientium, & perfectorum. Incipientium charitas conſiſtit in receſſu à peccato & reſiſtentia concupiſcentiis : proficientium verò, in virtutum exercitatione quibus roboratur charitas : perfectorum denique, in ſtudio inhærendi Deo ac eo fruendi, cùm nempè diſſolvi cupiunt & eſſe cum Chriſto*. Qua in diviſione mens S. Doctoris non eſt, à primo & ſecundo gradu excludere motivum amoris Dei ſuper omnia, & ipſi inhærendi, quod expreſsè in utroque illo gradu agnoſcit ibidem in reſponſione ad tertium; ſed hoc unum dumtaxat vult, incipientes & proficientes magis ſollicitos eſſe de fuga peccatorum, & profectu virtutum, ſicut perfectorum principalis cura non eſt, ut proficiant, ſed ut Deo inhæreant. Audiatur Angelicus Doctor citato articulo, in reſp. ad 3. *Ad tertium dicendum, quòd perfecti etiam in charitate proficiunt. Sed non eſt ad hoc principalis eorum cura; ſed jam eorum ſtudium circa hoc maximè verſatur, ut Deo inhæreant. Et quamvis etiam hoc quærant & incipientes & proficientes, tamen magis ſentiunt circa alia ſuam ſollicitudinem, incipientes quidem, de vitatione peccatorum; proficientes verò, de profectu virtutum.*

Quartus modus exponitur, quãdo charitas eſt infirma propter infirmitatem hominis in quo eſt.

His tribus modis quibus generatim amor Dei ſuper omnia incipiens nec ita perfectus dici poteſt; alius accedit, quo & ipſamet charitas, quamquam ex ſuo ſpecifico ac formali motivo eſſentialiter perfecta, aliquo tamen ſenſu imperfecta dici etiam poteſt, ratione ſcilicet ſubjecti ſeu hominis, cùm tam infirmus eſt, ut vel ad primam occaſionem facilè dejiciatur à ſtatu gratiæ in quo erat, ſtatim tentationi ſuccumbens. Hanc infirmam & imperfectam charitatem habebat S. Petrus, cùm dicebat Domino: *Animam meam pro te ponam*, ait S. Auguſtinus Lib. de Gratia & lib. arb. c.17. quod certè eventus ipſe comprobavit, quando ad ancillæ interrogationem timore correptus Dominum ter negavit. Hoc ſenſu de charitate dixit S. Auguſtinus Tract. 5. in Epiſtolam S. Joan. cap.3. *Numquid mox ut naſcitur, jam prorsùs perfecta eſt? Ut perficiatur, naſcitur: cùm fuerit nata, nutritur: cùm fuerit nutrita, roboratur; cùm fuerit roborata, perficitur; cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* T.10. p. 735. D.

Inſtabis: Si amor Dei qui concupiſcentiæ dicitur, & eſt ſuper omnia, par non foret homini juſtificando, maximè abſurdum incommodum ſequi poſſet, ſcilicet hominem, qui Deum ut ſuum finem ultimum diligeret ſuper omnia, ſi ante perceptum Sacramentum diem extremum clauderet, damnandum fore. T.3. p.2. p.858. F.

Reſp. hoc idem incommodum locum habere ac ſolvendum in opinione eorum Theologorum; qui eſſentialem charitatis perfectionem reponunt in intenſione gradus. Si enim quis Deum ex charitate ſuper omnia appretiativè ſumma diligere ſupponatur, qui non habeat illam gradus intenſionem neceſſariam, ut charitas perfecta ſit, & ex ſe hominem Deo reconciliet; damnabitur, ſi eo in ſtatu morte præveniatur.

Eadem difficultas de timore Dei ſuper omnia proponi poteſt. Itaque metaphyſicæ illæ ſuppoſitiones in rebus practicis & moralibus non ita moroſè urgeri debent; atque divino Judicio relinquendum, quid fiat de homine in dicta

hypo-

hypothesi constituto: sive Deus nunquam permittat, ex infinita sua misericordia, hominem sic benè affectum mori sine vera contritione & charitate; sive bonam ejus voluntatem, quamquam imperfectam, acceptet; sive quocunque alio modo saluti illius hominis provideat.

Dices 2. Numquid verus Dei amor, quamquam incipiens, imperfectus, & nondum super omnia, in eò homine reperitur, qui, quantùm N.Mem. potest pro viribus, desiderat Deum amare super omnia, quique, ut lo- du Cler- quitur Clerus Gallicanus in Comitiis an.1700. *ita est animo præparato, ut ad* ge,T.1. *exequendum mandatum dilectionis ex toto corde, divina opitulante gratia, sese* p. 741. *excitet ac provocet?* Numquid pia illa voluntas ac sanctum desiderium sufficiens est dispositio ad Sacramentum percipiendum?

Resp. conatum illum quo quis animo sincero & firmo desiderat amare Deum To.1.p. verum reipsa includere Dei amorem super omnia. *Qui enim Deum mente integra* 1574.E *desiderat*, ait S. Gregorius Magnus Hom.30. in Evangelia, *jam habet quem amat.* Et S. Aug. Epist. 127. aliàs 45. *Justa vita*, inquit, *cùm volumus, adest; quia eam ipsam* To.2.p. *plenè velle, justitia est; nec plùs aliquid perficienda justitia, quàm perfectam voluntatem* 375.C. *requirit.* Quæ S. Doctoris verba non eò tendunt, ut velimus voluntatem amandi Deum super omnia ex quocunque motivo, esse perfectam justitiam; hoc enim ad solam perfectam charitatem pertinet: sed ad hoc unum adduximus, ut ostenderemus voluntatem veram & firmam amandi Deum, esse ipsum Dei amorem proportionatum motivo ex quo elicitur. Clerus autem Gallicanus *excitationis* vocabulo usus est, quia nihil ampliùs hac sua declaratione voluit exigere à peccatore accedente ad tribunal Pęnitentię, quàm quod fuerat à Concilio Tridentino definitum, nempè *ut diligere incipiat Deum tanquam omnis justitiæ fontem*; non exponendo neque determinando, quis & quantus esse debeat amor ille, an charitatis, an spei, an super omnia vel non; quam quæstionem Scholæ Theologis agitandam reliquit, pro libertate quam Ecclesia ipsis concedit.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Charitas & contritio perfecta non constituitur, nec distinguitur essentialiter ab imperfecta, per intensionem gradus: sed charitas ex proprio suo motivo perfecta, in quocunque gradu essentialiter perfecta est, ac par homini sanctificando.

Quæstio non est, utrùm possint plures esse vel pauciores charitatis & contritionis gradus; istud enim in confesso est apud omnes. *Charitas enim*, ait S. Thomas 2.2.q.24. art.5. in corpore, *non augetur per extensionem ad objecta varia; minima enim charitas se extendit ad omnia illa quæ sunt ex charitate diligenda: sed augetur tantùm per intensionem gradus in subjecto, per hoc quòd subjectum magis ac magis participat charitatem*; seu, ut dixerat art.4. in resp. ad 3. *per hoc quòd charitas magis inest & radicatur subjecto.*

Quæstio pariter non est, utrùm charitas, quæ secundùm gradus augetur, dici possit augeri secundùm essentiam: quæ controversia merè philosophica est, spectans ad modum quo intenditur qualitas, de qua lege, si vacat, Cajetanum in mox citatum S. Thomæ articulum, ubi S. Doctor contendit, charitatem quæ augetur secundùm gradus, augeri quoque secundùm essen-

essentiam, duplici de causa: 1. *Quia charitas est accidens; accidentis autem totum esse est alteri inesse.* Charitas autem eò magis augetur, quò subjecto magis inhæret & radicatur; ergo augetur secundùm suam essentiam. 2. *Quia est virtus essentialiter ordinata ad actum; unde idem est eam augeri secundùm essentiam, & ipsam habere efficaciam ad producendum ferventioris dilectionis actum.*

Verùm quomodocumque appelletur gradualis illa intensio charitatis, vel essentialis, vel accidentalis, ad rem nostram parùm attinet.

Quæstio enim in eo dumtaxat versatur; utrùm necesse sit ad essentiam charitatis & contritionis perfectæ, ut vel absolutè summa sit quoad intensionem gradus, vel comparatè solùm: hoc est, majori intensione doleat de peccato, quàm de quolibet alio malo; & majori intensione diligat Deum, quàm rem aliam quamcumque, vel quàm diligat quodlibet creatum bonum; vel tandem ut certum quemdam fixum ac determinatum intensionis gradum habeat, qui soli Deo notus sit: aliquo enim ex his tribus modis necessariam esse gradus intensionem in charitate & contritione, nonnulli existimant Theologi, quos refert Suarez Tom. 4. in 3. part. S. Th. q. 85. art. 1. disput. 4. sect. 4.

Probatur itaque Conclusio.

I. Necesse non est charitatem & contritionem esse absolutè summam intensivè. Tùm quia summi illius conatus voluntas vix hac in vita capax est: unde S. Augustinus Lib. de spiritu & littera cap. 36. & Libro de perfectione justitiæ c. 8. ait præceptum dilectionis ex toto corde, hac in vita perfectè impleri non posse. *Nam,* inquit, *cùm adhuc est aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus.* T. 10 p. 175. A. Tùm quia illius conatus ex gratiæ beneficio eliciti, nullus est determinatus ac fixus terminus; nullus quippe potest assignari, quo major dari non possit. Tùm quia ad veram essentialiter charitatem satis est, *quòd homo habitualiter totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet quòd nihil cogitet aut velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium: & quæ charitatis perfectio communis est omnibus charitatem habentibus,* ait S. Thomas 2. 2. qu. 24. ar. 8. in corpore. Tùm denique quia constat ex cap. 21. S. Joannis, intensiorem fuisse in S. Petro Christi amorem, quàm in cæteris Discipulis: interroganti enim Christo v. 15. *Simon Joannis, diligis me plùs his?* respondit Petrus, *Etiam Domine, tu scis quia amo te.* In aliis ergo Christi Discipulis non erat intensivè summus amor Christi: erat tamen vera charitas per quam justi & sancti reddebantur; ergo ad veram essentialiter charitatem necesse non est ut summa sit intensivè & quoad gradum, sed sufficit summam esse appretiativè, hoc est, ut Deus rebus omnibus anteponatur, & supra omnia diligatur, quia summè bonus & perfectus.

II. Necesse non est contritionem maximè intensam esse comparatè ad alias res, de quibus vel dolemus, vel quas amamus; quia vix intelligi potest quomodo fieri debeat illa comparatio. Vel enim fieri debet cum quolibet dolore possibili, & tunc nullus assignari ampliùs poterit terminus talis intensionis, & recidit hæc expositio in absurditatem prioris sententiæ; vel comparatio facienda est cum dolore vel amore quem homo aliquando habuit: at prætèrquam quòd difficilis admodum videtur talis comparatio, non est necessaria: quia fieri potest, & sæpè contingit, hominem magis in- Suarez in 3. pa. l. 4 q. 85. art. 1. sect. 4. p. 57.

tensè dolere de damno aliquo temporali, quàm de ſpirituali; fieri quoque poteſt ut magis intensè diligat creaturam, nec tamen tam grave ſit ejus peccatum, ratione levioris objecti, præ alio, in quo non tam intensè voluntas mota fuit, ſed quod ratione materiæ gravius eſt: unde ſequeretur, ſi comparatio inſtituenda foret, 1. neceſſe eſſe ut dolor de damno ſpiritali intenſior ſit dolore de damno temporali: at contrarium patet eſſe falſum, etiam exemplo virorum ſanctiſſimorum, ut antea agendo de quantitate contritionis, obſervavimus. Sequeretur 2. intenſiorem contritionem neceſſariam eſſe pro peccato leviori, præ alio, in quo non tam intenſa fuit voluntatis peccantis actio: at utrumque iſtud videtur planè abſurdum. Vel denique comparatio facienda eſt cum dolore, quem homo actu habet dum conteritur: at non minùs id abſurdum videtur, quaſi eo puncto temporis quo peccator de peccatis ſuis dolet, aliò diſtractam voluntatem habere ſupponi debeat. Adde quòd comparationem illam non exigat aut Scriptura aut praxis Eccleſiæ; atque ſufficiat ſic animo affectum eſſe pœnitentem, ut rerum omnium, propriæ etiam vitæ diſpendium pati potiùs velit, quàm Deum offendere: qua in præparatione, exceſſus, ut ita dicam, appretiationis, non ſumitur ab intenſione, ſed ab excellentia motivi, & conſequenter ex ſubſtantia & eſſentia ipſiuſmet actus, qui nobiliori modo tendit in tale objectum, & ideo ex natura ſua magis conjungit voluntatem cum illo. Igitur comparativa illa intenſio contritionis, non ſolùm difficilem omninò facit viam ſalutis, ſed etiam obſcuram & perplexam.

III. Nullus certus ac determinatus intenſionis gradus requiritur ad eſſentiam charitatis & contritionis perfectæ; ſed in quocunque gradu etiam remiſſo, poteſt eſſentialiter eſſe perfecta charitas & contritio, ac par homini juſtificando.

Probatur 1. ex Scriptura, negativo primùm argumento. Quia nempè nullibi aſſignat certum illum ac determinatum gradum neceſſarium ad eſſentiam charitatis & contritionis perfectæ. Neque enim adverſarii hìc ſe tueri poſſunt iis Scripturæ teſtimoniis, quæ amorem Dei & contritionem de peccatis ex toto corde imperant, Matth. 22. v. 38. Joelis 2. v. 12. Ea quippè, ſi ad rigorem litteræ ſumantur, non tantùm certum aliquem, ſed etiam abſolutè ſummum intenſionis gradum deſignant, quem tamen defenſores tertiæ opinionis, quam hìc refellimus, non exigunt tanquam neceſſarium. Teſtimonia ergo hæc, ut jam non ſemel diximus, exponi debent de charitate & contritione ſumma *appretiativè*, ſeu ratione motivi formalis; non intenſivè, & ratione gradus.

Deinde probatur argumento poſitivo: Quia ſcilicet Scriptura, nulla facta mentione gradus & intenſionis, unam exigit Dei dilectionem, ad hoc ut homo Deo gratus ſit & acceptus. Proverb. 8. 17. *Ego diligentes me diligo*. Eccleſiaſtici 13. v. 18. *In omni vita tua dilige Deum*. Et cap. 3. v. 4. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis, & in oratione dierum exaudietur*. Primæ Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Rationem reddit S. Paulus Rom. 13. v. 10. *Quia plenitudo Legis eſt dilectio*. Et Coloſſ. 3. v. 14. *Quia charitas eſt vinculum perfectionis*. Signum autem à poſteriori hujus charitatis, eſt mandatorum Chriſti obſervatio, ipſo pronuntiante Chriſto Domino, Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem*

*monem meum servabit*. Et primæ Joan. 2. v. 5. *Qui servat verbum Christi, verè in hoc charitas Dei perfecta est; & in hoc scimus quoniam in ipso sumus.* Et cap. 4. v. 20. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.*

Probatur 2. ex SS. Patribus, qui non tantùm charitati & contritioni absolutè & simpliciter, nulla injecta mentione gradus & intensionis, verùm etiam incipienti seu minùs provectæ & intensæ, vim sanctificandi hominem ac purgandi peccata tribuunt.

S. Chrysostomus Lib. 1. ad Theodorum lapsum n. 6. *Hujusmodi*, inquit, *est Dei erga homines clementia: nunquam aversatur sinceram pœnitentiam; sed etiam si quis in extremum improbitatis pertigerit, & hinc ad virtutis viam redire voluerit, ipsum suscipit & amplexatur, nihilque non agit, ut eum in pristinum statum restituat; quodque majoris est clementiæ, etsi quis non integram pœnitentiam exhibeat, brevem tamen illam & ad modicum exhibitam non abnuit, sed magnam huic mercedem tribuit.* Tom. 1. p. 8. A.

Et Hom. 7. in secundam ad Timoth. *Sicut ignis*, inquit, *ubi sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit; ita & charitatis fervor, quocunque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit.... Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Ed. Camel. p. 1668.

S. Leo Epist. 82. aliàs 91. cap. 4. *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere*, inquit, *nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras vera conversio.* To. 1. p. 605.

S. Augustinus infinitis penè in locis, nulla facta gradus & intensionis mentione, charitati simpliciter & absolutè vim tribuit sanctificandi hominem.

Sermone 35. de Proverbiis cap. 12. aliàs de diversis 2. *Deum non vides*, inquit, *ama, & habes. Quàm multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, & non habentur! .... Deus nobis de compendio se offert: clamat nobis, Amate me, & habebitis me; quia nec potestis amare me, nisi habueritis me.* To. 5. p. 172. B. Ibid. C.

Tractatu 1. in Epist. S. Joan. cap. 1. *Ante omnia*, inquit, *confessio, deinde dilectio: quia de charitate quid dictum est? Charitas cooperit multitudinem peccatorum.... Sola ergo charitas extinguit delicta.* Tom. 3. p. 2. pag. 830. C.

Et Tractatu 5. c. 3. *Non discernuntur*, inquit, *filii Dei à filiis diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo; qui non habent, non sunt nati ex Deo.* Ibid. p. 860. C.

Ibidem varios quidem recenset charitatis incipientis & adultæ gradus, sed vel in ipso primo gradu essentialiter perfectam illam esse, ac justitiam homini conferre supponit. *Charitas enim inchoata*, ait Libro de natura & gratia, cap. 70. *inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est, charitas magna, magna justitia.* Patet hanc esse S. Doctoris mentem. T. 10. p. 164. D.

Ex Tractatu 9. in Joannem, ubi de charitate ait: *Quam cùm habere cœperit homo, Spiritum sanctum habebit: quam si non habuerit, sine Spiritu sancto erit. Et quomodo corpus tuum sine spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est; sic anima tua sine Spiritu sancto, id est, sine charitate si fuerit, mortua deputabitur.* Igitur in doctrina S. Augustini, charitas etiam incipiens & inchoata, adeoque minùs intensa, vitam animæ confert, id est, sanctitatem & justitiam per Spiritum sanctum. Tom. 3. pars. 2. p. 364. A. B.

Et Lib. de natura & gratia c. 38. *Si*, inquit, *in Abel justo charitas Dei,*

T.10.p. 146. F. *qua una verè justus est quicumque justus est, adbuc erat quo posset & deberet augeri; quidquid minùs erat, ex vitio erat. Et cui non minùs sit donec ad illam ejus fortitudinem veniatur, ubi tota hominis absorbeatur infirmitas?* Duo ex isto testimonio infero. Primum, charitate justum esse, quicunque justus est: alterum, charitatem in Abele justo talem esse potuisse, quæ semper augeri & potuerit & debuerit: & quidquid minùs illa habuit, ex vitio fuisse, nempè mortalitatis humanæ, cui peccatum saltem veniale obrepit. Ex his sic arguimus.

Charitas quæ augeri potest & debet, justum reddit hominem, licèt vitio imputetur, quòd minor sit: sed charitas in quocunque gradu, præsertim remisso, augeri potest & debet: ergo charitas in gradu remisso reddit hominem justum.

Denique S. Thomas 3. part. q. 70. art. 4. in corp. sic loquitur: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale quod committitur in transgressione mandatorum Legis: minima enim charitas plùs diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti.*

Et secunda secundæ q. 24. art. 5. in corpore. *Minima charitas*, inquit, *se extendit ad omnia illa quæ sunt ex charitate diligenda*. Ibidem art. 10. docet, charitatem non minui, sed totaliter destrui per mortale peccatum. *Peccatum mortale*, inquit, *totaliter corrumpit charitatem; & effectivè, quia omne peccatum mortale contrariatur charitati; & etiam meritoriè, quia qui peccando mortaliter aliquid contra charitatem agit, dignus est ut Deus ei subtrahat charitatem.*

Probatur denique rationibus theologicis.

I. Quia non potest assignari quis sit gradus ille certus, fixus ac determinatus, ut vera sit & essentialiter perfecta charitas & contritio par homini sanctificando, sed soli Deo notus esse potest, ipsis fatentibus adversariis. Ita Alexander Alensis in L. 4. Sent. q. 17. At inde sequitur, ait Canus part. 3. de Pœnitentia, hominem semper invincibiliter ignorare an contritionis habendæ præcepto satisfecerit: ex quo quanta suboriatur animi anxietas, quot conscientiæ scrupuli animam divexent, nemo non intelligit.

II. In aliis virtutibus fidei & spei non requiritur certus intensionis gradus, ut veræ sint & essentialiter perfectæ virtutes: ergo neque in charitate.

III. Charitas habitualis, in quocunque sit gradu, vera est & essentialiter perfecta charitas: ergo & charitas actualis.

IV. Quæcumque aversio à Deo tanquam à fine ultimo, & conversio ad creaturam, etiam in gradu remisso, sufficit ad peccatum mortale, & ad inimicitiam cum Deo habendam, & jacturam gratiæ sanctificantis: ergo & quæcumque conversio ad Deum tanquam ad finem ultimum, etiam in gradu remisso, sufficit ad recuperandam amicitiam cum Deo: Deus quippè longè pronior est ad veniam, quàm ad vindictam.

V. Charitas non destruit peccatum cui opponitur, ratione gradus & intensionis, sed ratione suæ substantiæ: quia nempè est amor Dei super omnia propter se dilecti, qui compati non potest cum peccato mortali. *Actus dilectionis Dei super omnia*, inquit Bellarminus L. 2. de Justificatione c. 16. *opponitur peccato habituali, non privativè, sed contrariè, & expellit illud efficienter, sive dispositivè per modum ultimæ dispositionis, ita ut ex natura rei & infallibiliter sequatur ad illum actum infusio gratiæ & deletio peccati habitualis;* T. 4. p. 347. E.

*sicut*

*sicut ad ultimam dispositionem in generatione humana, sequitur ex natura rei & infallibiliter infusio animæ rationalis: unde sine miraculo non potest post actum dilectionis Dei super omnia, manere peccatum.*

VI. Denique, quia nihil potest assignari in homine qui Deum super omnia diligit ex motivo charitatis, quamquam actu remisso, quod ipsum Deo exosum & inimicum efficiat: peccatum enim detestatur, firmum habet non peccandi propositum, voluntas ejus in Deum conversa est per charitatis actum, adeoque cum Deo conjuncta per amorem, qui amicitiæ & benevolentiæ dicitur, vult Deo in omnibus placere; quid ergo deesse potest, ut justus fit, Deo gratus & acceptus? nihil profectò.

## TERTIA CONCLUSIO.

Distinctio specifica amoris Dei perfecti ab imperfecto, & contritionis perfectæ quæ hominem Deo ex se reconciliat, ab attritione, repetitur ex distinctis specie motivis formalibus charitatis & spei: motivum autem formale & specificum charitatis est Deus, quatenùs in se absolutè bonus & perfectus: motivum verò formale spei, Deus est quatenùs nobis bonus, seu nostra suprema beatitudo absens, ardua & obtentu difficilis; ergo ille Dei amor perfectus est, qui elicitur ex motivo proprio charitatis; imperfectus verò seu minùs perfectus, qui est ex motivo proprio spei: prior amor dicitur amicitiæ & benevolentiæ, posterior concupiscentiæ.

Observa 1. bonitatem esse objectum formale motivum amoris, quia, inquit S. Thomas secunda secundæ q. 26. art. 2. ad 1. *Unumquodque diligitur, in quantùm habet rationem boni.*

Observa 2. ex duplici modo quo res bona considerari potest, nempè vel ut bona in se, vel ut bona amanti, quatenùs ex illa commodum aliquod reportat, duplicem nasci amorem, unum amicitiæ, quo res amatur, quia in se bona est; alterum concupiscentiæ, quo amatur, quia utilis est amanti.

Observa 3. triplicem in amore finem esse distinguendum: alius nempè est subjectivus, seu *cui*, ipsa scilicet persona, in cujus commodum res amata cedit: alius dicitur formalis, seu *quo*, & est ipsamet actio qua possidetur bonum: alius denique objectivus, seu *qui*, nempè objectum quod amatur. V.g. in amore quo amatur Deus tanquam nostra suprema beatitudo, finis subjectivus seu *cui*, est persona amantis, cui desideratur beatitudo; finis *quo*, seu formalis, est actio qua Deus beatificans possidetur; finis verò *qui*, est Deus ipse, quatenùs nostrum bonum: ad hunc verò finem objectivum seu *qui*, alii duo, tanquam ad ultimum, implicitè referri & ordinari debent; aliàs amor inordinatus foret & perversus. V.g. si quis in amore beatitudinis ita seipsum consideraret, ut Deum ad se, non se ad Deum implicitè referret, haud dubiè præposterè amaret. Pariter neque ipsa actio qua formaliter Deus possidetur, debet esse finis ultimus *cui* in amore beatitudinis æternæ homo inhæreat: actio quippè illa est creata, finis autem hominis ultimus non est in re aliqua creata constituendus. Solus ergo Deus, quatenùs nostra beatitudo, debet esse finis ultimus, ad quem nostra omnia referamus. Recole quæ paulò antè diximus in confirmationem secundæ partis Conclusionis primæ præsentis Articuli primi.

Observa 4. virtutes distingui ab invicem per sua specifica & formalia motiva.

Observa 5. quòd, etsi motivum formale charitatis sit distinctum à motivo formali spei, charitas tamen sive in actu suo, sive in habitu, positivè non excludit spem, ejusque motivum formale. 1. Non excludit in actu suo: etsi enim possit quis actum perfectæ charitatis elicere, & Deum propter seipsum amare, sine ullo explicito ad proprium suum commodum respectu, hunc tamen respectum positivè non excludit nec rejicit, sed ab eo dumtaxat abstrahit, quia ex motivo illius tunc homo non operatur, nec ad illum mentem suam convertit. 2. Non excludit in habitu, ut volunt Quietistæ; quin imò potiùs charitas inclinat ad actus spei, quos etiam imperat.

Observa denique, præsentis loci non esse, demonstrare amorem Dei ex motivo spei, seu ex motivo nostræ beatitudinis in Deo consequendæ elicitum, castum esse, bonum, non mercenarium; quam controversiam Quæstione sequenti, ubi de attritione, expendemus. Unum ergo intendit Conclusio nostra, scilicet amorem Dei eo ipso perfectum esse, quo elicitur ex motivo proprio charitatis, quo nempè Deus diligitur propter seipsum, quia in se summè bonus est ac perfectus; eum verò amorem esse minùs perfectum, qui elicitur ex motivo propriò spei, hoc est beatitudinis æternæ in Deo consequendæ.

Probatur itaque Conclusio. 1. quoad primam partem, nempè distingui amorem Dei perfectum ab imperfecto, & contritionem perfectam ab imperfecta seu attritione, ex motivis formalibus charitatis & spei: quia nempè distinctio specifica alicujus actus vel habitus virtutis non aliunde repeti potest, quàm ex motivis specificis & formalibus distinctis illarum virtutum: at certum est ex fide, charitatem & spem duas esse distinctas virtutes; debent igitur habere, & de facto habent motiva formalia distincta; ergo amor Dei qui ex motivo proprio charitatis elicitur, distinguitur essentialiter & formaliter ab alio amore qui elicitur ex motivo proprio spei; ergo sicut charitas perfectior est spe, & justificat hominem, non verò spes, ita amor charitatis perfectior est amore spei, & ille, non verò iste, hominem Deo ex se reconciliat, in quo posita est secunda Conclusionis nostræ pars.

II. Probatur secunda pars Conclusionis ex SS. Patribus, qui Deum in se summè bonum & perfectum, abstrahendo à proprio amantis commodo, assignant tanquam proprium charitatis & perfecti amoris objectum, juxta istud primæ Cor. 13. v. 5. *Charitas non quærit quæ sua sunt*. Ergo charitas in Deum propter Deum tendit.

S. Clemens Alexandrinus L. 4. Stromatum, *Existimo*, inquit, *neque propter metum supplicii, neque propter aliquam doni promissionem, sed propter ipsum bonum oportere accedere ad verbum salutare*.

Pagina 355. B. Ibidem. *Sola autem quæ propter charitatem fit beneficentia, propter ipsum*

Ibid. p. 385. B. *honestum est expetenda ei qui est cognitione præditus*. Et paulò post: *Si quis*

Ibid. D. *ergo per hypothesin ei qui est cognitione præditus, proposuerit, utrùm malit Dei cognitionem, an salutem æternam, sint autem ea separata, cùm sint omninò eadem; nihil penitùs dubitans elegerit Dei cognitionem, propter se judicans esse expetendam eam quæ fidem transcendit per charitatem ad cognitionem, proprietatem. Hæc est ergo prima ejus, qui est perfectus, beneficentia, quando non fit propter aliquem usum eorum quæ ad se pertinent.*

Ibi-

Ibidem. *Qui nudæ vocationi, quatenùs vocatus est, obedit, is neque propter timorem, neque propter voluptates, tendit ad cognitionem. Non enim considerat an aliquod utile lucrum vel delectatio aliqua extrinsecùs consequatur, sed tractus à dilectione ejus qui verè est amatoris, & ad id quod fieri oportet adductus, pius est Dei cultor. Unde nec si per hypothesim à Deo acceperit potestatem faciendi ea quæ sunt prohibita, citra ullam pœnam; neque si propterea Beatorum bona accepturum eum esse ei promissum fuerit.... in animum unquam esse inducturum, ut aliquid agat præter rectam rationem, cùm id quod verè est honestum, & ex seipso eligendum, & ea ratione expetendum amandumque, semel elegerit.* Ibid p. 388. A.

Denique Libro 6. *Non est utique charitas eius qui diligit, appetitio, sed est benevola & firma conjunctio in unitatem fidei.* Ibid. p. 649. B.

S. Basilius Procemio in Regulas fusiùs tractatas circa finem, *Aut enim*, inquit, *supplicii metu à malo declinamus, versamurque in affectu servili; aut mercedis fructus requirentes, ob nostram ipsorum utilitatem mandata explemus, & hoc pacto mercenariis efficimur similes; aut ob ipsum honestum, charitatemque erga Legislatorem nostrum, gaudentes quòd digni simus habiti, qui tam glorioso ac bono Deo serviamus, & ita demùm ut filii afficimur.* To. 1. p. 329. E.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. *Hominibus placere*, inquit, *parùm admodum curamus: id unum expetentes, ut honorem à Deo consequamur. Imò sublimiùs etiam assurgimus, (de iis loquor, qui verè Philosophi, veroque Dei amore præditi sunt) quippè qui summo bono conjungi propter ipsum summum bonum exoptantes; non autem propter honores in altero ævo reconditos.* To. 1. p. 73. B. C.
En amor perfectus.

S. Ambrosius Lib. 4. de interpellatione David cap. 11. *Qui illum sequitur*, inquit, *non præmio ducitur ad perfectionem, sed perfectione consummatur ad præmium. Imitatores enim Christi non propter spem boni sunt, sed pro amore virtutis.* To. 1. p. 672. B.

S. Hieronymus Epist. 146. ad Damasum. *Qui diligit*, inquit, *non ideo imperata custodit, quia aut timore pœnarum, aut præmii aviditate compellitur, sed quia hoc ipsum quod à Deo jubetur, est optimum.* Tom 4. part. 1. pa. 154.

S. Chrysostomus Hom. 76. in Joan. *Boni etiam & studiosi*, ait, *etiam sine præmii respectu, ipsius* (virtutis) *pulchritudinem intuentur, & propterea eam complectuntur: & ut Deo placeant, non propter mercedem rectè agunt.* Ed. Commel. p. 391. A. B.
Et Hom. 4. in secundam ad Corinthios, *Cùm peccaveris*, inquit, *ingemisce, non quòd pœnas daturus sis, (nihil enim hoc est) sed quòd Dominum Deum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem &c.* Atque hinc vulgata & in ipsis etiam Catechismis exposita formula eliciendi actum contritionis de peccatis, propter Deum in se infinitè bonum. P. 768.

S. Augustinus L. 3. de doctrina christiana c. 10. definit charitatem, *motum animi ad fruendum Deo propter seipsum, & se & proximo propter Deum*. Frui autem, juxta S. Doctorem, ibid. L. 1. cap. 4. est *amore inhærere alicui rei propter seipsam.* Tom. 3. pa. 1. p. 50. A. Ibid. p. 6. C.

Et Sermone 142. de verbis Evangelii Joan. 14. aliàs 54. de verbis Domini, & 34. ex Hom. 50. cap. 7. sic loquitur: *Ergo amandus erat Deus; & amandus est Deus. ita, ut, si fieri potest, nos ipsos obliviscamur.* To. 5. p. 686. A.

Et Enarratione in Psalm. 53. *Laudetur* (Deus) *voluntate*, inquit, *ametur charitate: gratuitum sit quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum.* To. 4. p. 498. G.

Alibi, præsertim verò L. de catechisandis rudibus cap. 17. antea citato inter probationes secundæ partis primæ Conclusionis præsentis Articuli, perfecti amoris Dei characterem depingit in eo homine, qui, etsi posset (ex falsa hypothesi) suis indulgere voluptatibus, sine ullo damnationis & supplicii metu, cum bonorum omnium temporalium abundantia, imò nec cum necessitate moriendi, peccare tamen vel eo solùm reformidaret, quòd Deum, quem amat, offenderet; qua sanè in hypothesi, homo ille unius amoris Dei propter se motivo duceretur.

Hanc SS. Patrum doctrinam conspirantibus votis sequuti sunt omnes Scholæ Theologi, cùm egerunt tùm de objecto formali motivo charitatis & spei; tùm de distinctione utriusque virtutis; tùm de præeminentia charitatis supra spem. Unus cæterorum instar nobis hìc sufficiet S. Thomas.

Secunda secundæ q. 17. art. 8. cui titulus, *Utrùm charitas sit prior spe*, in corpore articuli sic loquitur: *Amor quidam est perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundùm se amatur, utpotè cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundùm ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo secundum seipsum: sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. Et ideo in via generationis spes est prior charitate: sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum, per hoc quòd timens ab ipso puniri, cessat à peccato.....ita etiam spes introducit ad charitatem, in quantùm aliquis sperans remunerari à Deo, accenditur ad amandum Deum & servandum præcepta ejus: sed secundùm ordinem perfectionis, charitas prior est naturaliter; & ideo adveniente charitate, spes perfectior redditur.*

Eadem q. art. 6. in corpore. *Virtus aliqua*, inquit, *dicitur esse theologica, ex eo quòd habet Deum pro objecto cui inhæret. Potest autem aliquis alicui inhærere dupliciter, uno modo propter seipsum; alio modo in quantùm ex eo in aliud devenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter seipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris: spes autem & fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo inhærere, in quantùm est nobis principium cognoscendi veritatem.....spes autem facit Deo inhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantùm scilicet per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.* Et in responsione ad tertium. *Dicendum*, inquit, *quòd spes facit tendere in Deum, sicut in quoddam bonum finale adipiscendum, & sicut in quoddam adjutorium efficax ad subveniendum: sed charitas propriè facit tendere in Deum, uniendo affectum hominis Deo, ut scilicet homo non sibi vivat, sed Deo.*

Et q. 26. art. 3. in resp. ad 3. *Quòd aliquis*, inquit, *velit frui Deo, pertinet ad amorem quo Deus amatur amore concupiscentiæ. Magis autem amamus Deum amore amicitiæ, quàm amore concupiscentiæ; quia majus est in se bonum Dei, quàm bonum quod participare possumus fruendo ipso. Et ideo simpliciter homo magis diligit Deum ex charitate, quàm seipsum.*

Idem docet q. 27. art. 3. ad 3. & q. 28. art. 1. ad 3. *De Deo*, inquit, *potest esse*

*esse spirituale gaudium dupliciter: uno modo, secundùm quod gaudemus de bono divino in se considerato; alio modo, secundùm quod gaudemus de bono divino, prout à nobis participatur. Primum autem gaudium melius est, & hoc procedit principaliter ex charitate: sed secundum gaudium procedit etiam ex spe, per quam expectamus divini boni fruitionem.*

Atque ex dignitate & excellentia motivi quo Deus propter seipsum diligitur, charitas habet ut hominem Deo reconciliet, non verò spes: de charitate enim dictum est, non de spe, *Charitas operit multitudinem peccatorum*, primæ Petri 4. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte*, primæ Joan. 3. *Plenitudo Legis dilectio.* Rom. 13. *Charitas est vinculum perfectionis.* Coloss. 3. *Maior horum est charitas*, primæ Cor. 13. Perfecta ista charitate flagrabat Apostolus, cùm dicebat Philipp. 1. v. 23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Et v. 21. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.*

Rationem præeminentiæ charitatis hanc reddit S. Thomas secunda secundæ q. 23. art. 6. in corp. *Inter virtutes theologicas*, inquit, *illa est potior, quæ magis Deum attingit: semper autem id quod est per se, maius est eo quod est per aliud: fides autem & spes attingunt quidem Deum, secundùm quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni; sed charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Et ideo charitas est excellentior fide & spe.* Et in resp. ad 3. *Idem bonum est obiectum charitatis & spei; sed charitas importat unionem ad illud bonum, spes autem distantiam quamdam ab eo. Et inde est quòd charitas non respicit illud bonum ut arduum, sicut spes: quod enim jam unitum est, non habet rationem ardui; & ex hoc apparet*, concludit S. Thomas, *quòd charitas est perfectior spe.*

*Solvuntur Obiectiones adversùs secundam Conclusionem.*

Objicies 1. contra secundam Conclusionem. Scriptura gradus intensionem requirit, tùm in amore Dei, tùm in contritione de peccatis. Matth. 22. v. 38. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Huic intenso amori, non alteri, veniam peccatorum Deus concedit. Lucæ 7. v. 47. de peccatrice muliere dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hanc pariter intensam & ferventem de peccatis contritionem animo conceptam habebat David, cùm dicebat Psalmo 37. v. 9. *Afflictus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.*

Resp. dist. ant. Scriptura gradus intensionem requirit, tùm in amore Dei, tùm in contritione de peccatis, ut quid optimum & exoptandum, concedo: ut necessarium ad essentiam amoris perfecti, & contritionis perfectæ, nego. Ita respondet Vega L. 13. c. 14. P. 384.

Ad primum testimonium ex c. 22. S. Matth. sæpiùs jam dictum est, his verbis exprimi amorem Dei summum appretiativè, non verò intensivè. Vide suprà Qu. 3. in responsione ad quartam quæstionem de quantitate contritionis.

Ad secundum testimonium ex capite 2. Joelis, sensus est, contritionem extensivè summam esse debere, quia ad omnia ferri debet peccata, nullius retento affectu; ita ut non sit divisum pœnitentis cor inter Deum & creaturas.

Ad ter-

Ad tertium & quartum testimonium; inde quidem rectè concludi potest, optimam esse ac optandam amoris Dei & contritionis de peccatis vehementiam, quæ & in muliere peccatrice & Davide meritò suspicitur; at planè necessariam illam esse ad essentiam amoris & contritionis perfectæ, adeoque ad obtinendam veniam peccatorum, inde non probatur: quamquam istud, *dilexit multùm*, rectè intelligi potest de magnitudine amoris appretiativa; qui enim Deum super omnia diligit ex motivo charitatis & paratus est omnium rerum dispendium, etiam propriæ vitæ, potiùs pati, quàm Deum offendere, ille certè multùm diligit.

Objicies 2. SS. Patres quos refert Marinus L. 1. de Pœnit. c. 14. pro majori peccatorum gravitate, eò majorem & intensiorem exigunt à pęnitente dolorem, contritionem & satisfactionem, sicut ex infrà dicendis suo loco patebit. Catechismus ipse Concilii Tridentini parte 2. de Pœnitentia n. 46. docet, *contritionem adeo vehementem, acrem & incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit*. Magnam verò esse hujusce Catechismi auctoritatem probant insigniæ testimonia SS. Pontificum & aliorum virorum illustrium, à quibus approbatus fuit; quæ legere poteris in Apparatu ad Catechismum art. 3.

Resp. 1. cum Vega jam citato, SS. Patres indicare quid deceat & optandum sit, non quid sit absolutè necessarium.

Resp. 2. eos loqui ut plurimùm de remissione peccati, quoad pœnam temporalem quæ superest luenda post condonatam culpam, cui profectò pęnæ, ut à Deo remittatur, æqua & proportionata respondere debet afflictio spiritus & corporis; hoc est, condigna satisfactio per opera laboriosa, sicut infrà ostendemus.

P. 215. col. 1. E. Respondet 3. Estius in 4. dist. 16. parag. 7. SS. Patres exponi posse de majori vel minori dolore pro mensura offensæ, appretiativo, non intensivo: *Quia*, inquit ille, *sicut peccata alia aliis graviora sunt, ita magis de uno quàm de alio pro ratione gravitatis eorum dolere debet peccator, magis, inquam, appretiativè, non intensivè. Etsi enim omnia peccata ita sint detestanda, ut nullius rei gratia velit homo aliquod eorum committere, nequidem ad aliud peccatum evitandum, magis tamen ea fugere debet, quibus Deus graviùs offenditur; & proinde etiam pro iis commissis dicto jam modo, id est, appretiativè magis dolere. Non autem oportet ut de iis doleat magis intensè, quia sicut citra culpam potest magis intensè dolere de malis temporalibus quàm de peccato; ita & magis de leviori peccato, quàm de graviori, concurrentibus videlicet aliis causis, quæ dolorem minoris peccati reddant magis intensum, ut infamia, turpitudine, damno & similibus*. Ita Estius.

Resp. 4. ad Catechismum Concilii Tridentini, non tantam esse illius auctoritatem, ut in rebus inter Theologos salva fide controversis, necesse sit ad sententiam auctorum illius accedere. Et verò multa illi docent, quæ benè multis non probantur Theologis: v. g. aquam Calicis Eucharistici priùs converti in vinum, quàm in Sanguinem Christi; admixtionem balsami essentialem esse in Sacramento Confirmationis, & alia hujusmodi non pauca, in quibus, salva quæ debetur Catechismo reverentia, ab auctoribus illius recedunt Scholæ Magistri. Non itaque hìc pugnandum Scriptorum recentiorum auctoritate, sed Scripturæ, veterum SS. Patrum, & certissimis rationum theologicarum momentis ac præsidiis.

Obji-

Objicies 3. Æquum videtur ac planè necessarium, ut peccator, qui Deum summè offendit, nec ipsi ad condignum pro offensa satisfacere potest, toto saltem sibi possibili conatu offensam detestetur.

Resp. nego sequelam antecedentis. Namque etsi summa sit offensa Dei, ratione dignitatis objecti infiniti, nempe Dei qui offenditur, non tamen semper summa esse debet intensivè ratione conatus, seu intensionis in voluntate peccante; atque ad compensationem injuriæ Deo illatæ, satis est, si summa sit appretiativè ejus ad Deum conversio.

Instabis. Non potest dolor esse summus appretiativè, & remissus intensivè; quia id quod movet ad appretiationem, movet quoque ad intensionem actus: imò intensio doloris in voluntate, sequitur magnitudinem doloris ex appretiatione objecti. Sic v.g. filius magis dolet de morte patris, quàm amici; quia pluris facit patrem, quàm amicum: si ergo quis magis intensè dolet de re alia qualibet, quàm de offensa Dei, signum est, non satis in eo firmam esse fidem, eumque pluris æstimare rem illam, quàm Deum.

Adde quòd inordinatum esse videtur, ut homo intensiùs doleat de malo temporali, quàm de offensa Dei, licèt appretiativè magis fugiat peccatum, quàm quodcunque malum temporale.

Resp. nego ant. Namque ex diverso capite oritur appretiatio objecti, & actus intensio. Appretiatio quidem, ex præstantia & dignitate objecti; intensio verò ex magna & vehementi applicatione seu conatu facultatis erga objectum, quod tale est aliquando, ut etsi magis æstimetur appretiativè, non tamen ita movet & afficit voluntatem, sicut aliud objectum, quod non tanti fit. Res declarari potest & illustrari exemplo matris, quæ parvulum filium intensiori amore prosequitur, licèt natu majorem amore minùs quidem intenso, sed majori appretiativè diligat, cujus vitæ conservationem præfert vitæ junioris.

Ad id quod additur: fatemur quidem esse quid inordinatum, ut voluntas rationalis amore intensiori feratur in creaturam, quàm in Creatorem, & intensiùs oderit quodcumque aliud malum, quàm peccatum; quemadmodum inordinatum est, ut caro concupiscat adversùs spiritum, ut pars animæ inferior plenè & perfectè subdita non sit superiori: verùm hæc inordinatio appendix est naturæ nostræ infirmæ & corruptæ, quæ vitio & culpæ non imputatur, cùm homo Deum super omnia appretiativè diligit: neque enim hac in mortali vita perfectè impleri potest mandatum dilectionis Dei, *sed ille hac in vita multùm profecit*, ait S. Augustinus L. de sp. & littera c. 36. *qui quam longè sit à perfectione justitiæ, proficiendo cognovit.* T. 10. p. 113. C.

Objicies 4. Esto charitas sit essentialiter perfecta in quocumque gradu, non potest tamen mortale peccatum, vel formaliter vel effectivè expellere sine certa intensione seu magnitudine gradus; quia non opponitur peccato mortali ratione suæ substantiæ, sed ratione gradus. Sic v.g. etsi scintilla ignis sit verus essentialiter ignis, impar tamen est comburendo ligno vel expellendo frigori, quia sufficientem non habet activitatis seu intensionis gradum.

Resp. nego ant. ejusque probationem. Ad paritatem, dico alium longè modum esse actionis spiritualis, & physicæ: actio physica, qualis est ignis comburentis, vel calefacientis, non fit nisi successivè applicando activa passivis;

vis, ut ajunt Philosophi; nihil ergo mirum, si & certam temporis mensuram, & certum intensionis seu activitatis gradum exigat: non ita spiritualis actio, qualis est justificatio hominis per charitatem, quæ fit in instanti, non ratione gradus, sed substantiæ ipsius charitatis seu amoris Dei super omnia. Potest quidem charitas illa esse tam remissa & infirma ratione subjecti, ut citò evanescat, propter infirmitatem hominis, qui tentatione facilè vincitur, ut antea diximus: sed quamquam accidentaliter imperfecta fuerit charitas, id est minùs perfecta defectu intensionis, vera tamen fuit charitas quoad essentiam, veramque homini contulit sanctitatem, quamquam maximè fluxam, labilem & caducam.

*Solvuntur Objectiones adversùs tertiam Conclusionem.*

Philipp. 1. v. 23. Objicies 1. Amor quo S. Paulus dissolvi cupiebat & esse cum Christo, est amor perfectæ charitatis ex S. Thoma secunda secundæ q. 24. art. 9. & ex S. Bonaventura in 3. dist. 27. art. 2. qu. 2. sed hujus amoris motivum erat unio cum Christo, seu æterna beatitudo in Deo consequenda; ergo motivum propriæ beatitudinis pertinet ad charitatem.

T. 3. p. 1. p. 50. A. Confirmatur 1. ex ipsamet definitione charitatis quam tradit S. Augustinus Lib. 3. de doctrina christiana cap. 10. *Charitas est motus animi ad fruendum Deo propter seipsum; & se, & proximo propter Deum.* At fruitio illa concipi non potest sine motivo proprii commodi, seu propriæ felicitatis in Deo consequendæ.

Confirmatur 2. Quia omnis amor essentialiter est unio quædam amantis cum re amata: unio verò illa essentialiter includit respectum mutuum extremorum quæ uniuntur, nempe amantis & rei amatæ; ergo non potest separari à motivo specifico charitatis & unionis quam importat motivum propriæ beatitudinis in Deo dumtaxat consequendæ.

Resp. dist. min. Hujus amoris motivum erat unio cum Christo, propter summam ejus bonitatem, ac perfectionem in se absolutè consideratam, concedo: propter beatitudinem, qua nos beatos reddit, nego. Distinguo quoque hanc propositionem: Hujus amoris motivum erat beatitudo æterna objectivè sumpta, hoc est, Deus ipse in se bonus, qui est beatitudinis nostræ objectum, concedo: æterna beatitudo formaliter sumpta, hoc est, possessio ipsa Dei, quatenùs nos actu & formaliter beatos reddit, nego. Itaque perfectum fuisse S. Pauli amorem, cùm dicebat, *Cupio dissolvi & esse cum Christo*, nullus dubitat; sed tota quæstio est, quodnam fuerit hujus amoris formale motivum. Contendimus non aliud fuisse, præter summam & infinitam Dei perfectionem in se consideratam, non verò quatenùs ex illa nobis bona proveniunt. Ita enim S. Thomas citatus secunda secundæ q. 17. art. 6. in corp. *Charitas*, inquit, *facit hominem Deo inhærere propter seipsum, mentem hominis uniens per affectum amoris. Spes autem & fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt.*

P. 1. de gratia p. 443. col. 1. E. *Duobus quippe modis*, inquit Suarez Lib. 2. de necessitate gratiæ cap. 13. n. 23. *potest quis amare sibi beatitudinem; uno modo in suum commodum, seu ut est bonum sibi, ita ut hæc sit proxima ratio amandi tale bonum, & hic est proprius amor concupiscentiæ, specie distinctus ab amore charitatis: alio modo potest*

*test quis amare sibi beatitudinem immediatè & proximè propter gloriam Dei, & ut illum tanquam amicum præsentem habeat, & gaudeat de bonis eius; & hic amor, licèt materialiter ( ut ita dicam ) possit denominari concupiscentiæ, respectu boni beatitudinis, quod quis sibi amat, formaliter verò, & quoad motivum est amor amicitiæ. De hoc ergo posteriori amore amicitiæ rectè dicitur esse actum charitatis, quia ex formali eius motivo elicitur; & tale erat desiderium Pauli ad Philippenses 1. desiderantis dissolvi & esse cum Christo.*

Ex quibus facilè solvitur prima & secunda Objectionis factæ confirmatio. Potest enim quis velle alio frui & cum eo uniri, vel propter rem ipsam in se, quod proprium est charitatis, *quæ est motus animi ad fruendum Deo propter seipsum*, ait S. Augustinus citatus; vel propter commodum quod ex re percipitur, quod proprium est spei, & amoris qui dicitur concupiscentiæ.

Objicies 2. auctoritatem S. Thomæ, qui tria docet Conclusioni nostræ planè adversa.

I. charitatem esse amorem Dei quo diligitur ut beatitudinis objectum. Ita Prima secundæ q.65.art.5.ad 1. *Charitas*, inquit, *non est qualiscumque amor Dei; sed amor quo diligitur ut beatitudinis obiectum, ad quod ordinamur per fidem & spem.*

Eadem parte q.115.art.4.in corp. *Vita æterna consistit in æterna Dei fruitione: motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est actus proprius charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundùm quod aliæ virtutes imperantur à charitate.*

Secunda secundæ q. 23. art. 4. in corp. *Proprium objectum amoris*, inquit, *est bonum. Et ideo ubi est specialis ratio boni, ibi est specialis ratio amoris: bonum autem divinum, in quantùm est beatitudinis objectum, habet rationem specialem boni, & ideo amor charitatis, qui est amor hujus boni, est specialis amor.*

II. Docet duplex esse charitatis motivum: unum primarium, nempe Dei bonitas in se considerata; alterum secundarium à primario inseparabile, nempe Dei bonitas ad nos relativa, id est quatenùs nostra est beatitudo. Ita

Secunda secundæ q. 23. art. 5. in responsione ad 2. *Charitate*, inquit, *diligitur Deus propter seipsum: unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter à charitate, scilicet divina bonitas, quæ est eius substantia, secundùm illud Psalmi 115. Confitemini Domino quoniam bonus. Aliæ autem rationes ad diligendum Deum inducentes, sunt secundariæ & consequentes ex prima.*

III. Docet amicitiam charitatis fundari super communicationem beatitudinis. Ita secunda secundæ qu.23.art.1.& 5. in corpore. Et q.25.art.10. in corp. *Amicitia charitatis*, inquit, *fundatur super communicationem beatitudinis æternæ, in cujus participatione communicant cum Angelis homines.* Idem repetit art.12.& q.26.art.2.in corpore. *Amicitia charitatis*, inquit, *fundatur super communicatione beatitudinis, quæ consistit in Deo essentialiter, sicut in primo principio, à quo derivatur in omnes qui sunt beatitudinis capaces. Et ideo principaliter & maximè Deus est ex charitate diligendus; ipse enim diligitur sicut beatitudinis causa.*

Resp. ad primum, maximum est inter ista duo discrimen, scilicet charitatem esse amorem Dei quo diligitur ut beatitudinis objectum, & charitatem tendere in Deum ex motivo beatitudinis in ipso consequendæ. Prius meritò

ritò dixit S. Thomas, Deus enim est beatitudinis, sicut & charitatis objectum, quia summè bonus & perfectus est in se, ac pertinet ad summam Dei perfectionem, quòd sit nostræ beatitudinis objectum; nisi enim summè perfectus esset, nostra non foret beatitudo: charitas verò ex proprio suo & formali motivo non tendit in Deum, quatenùs est nostrum bonum seu
Edit. nostra beatitudo. Unde rectè observat Sylvius in secundam secundæ S. Thomæ
Antuerp. 1682. q. 23. art. 4. S. Doctorem non dixisse, *Deum, quatenus est auctor nostræ beatitudinis, seu in quantùm ab eo provenit nostra beatitudo, esse objectum charitatis; sed simpliciter dixisse Deum ut objectum nostræ beatitudinis amore charitatis diligi, quia*, pergit ibidem Sylvius, *sicut objectum beatitudinis est Deus secundùm se, (Videbimus enim eum sicuti est) ita etiam objectum charitatis est idem Deus, secundùm quod in se est.*
T. 3. p. 125. col. 1. D.

Addit Suarez Disputatione 1. de objecto materiali & formali charitatis, sectione 2. n. 4. *S. Thomam secunda secundæ q. 23. art. 4. hoc sensu dixisse,*
P. 891. *speciale objectum charitatis esse bonum divinum ut est beatitudinis objectum quia Deus ut objectum beatitudinis non amatur propter aliud tanquam propter finem: finis enim ultimus ut sic, non amatur propter alium.*

Neque aliud evincunt laudata S. Doctoris testimonia.

Prima secundæ q. 65. art. 5. probandum sibi sumit, charitatem non posse esse sine fide & spe; & respondens ad primam objectionem, nempe posse hominem amare Deum naturaliter sine præsupposita fide, meritò ait charitatem non esse qualemcumque Dei amorem, sed amorem quo diligitur Deus ut beatitudinis objectum, ad quod ordinamur per fidem & spem: quo in ratiocinio hoc unum ad propositum suum facit, nempe Deum ut beatitudinis objectum, esse quoque objectum charitatis: non potest autem Deus ab homine considerari ut objectum beatitudinis, sine fide & spe; adeoque non potest esse charitas sine fide & spe.

Eadem parte q. 114. art. 4. cùm ait, motum humanæ mentis ad fruitionem divini boni esse proprium actum charitatis, sic intelligi debet, inter-
T. 2. p. 800. B. prete eodem Sylvio in hunc locum, *ut loquatur de motu in Deum, quo tanquam summo bono sumus aliquando fruituri; non verò de motu in ipsam fruitionem. Constat enim*, addit ille, *ipsius doctrinam esse, quòd charitas per prius & principalius fertur in Deum propter seipsum, quàm in ejus fruitionem; cùm ille prior actus sit amor amicitiæ, alius autem concupiscentiæ.* Ita Sylvius.

Quo verò sensu secunda secundæ q. 23. art. 4. dixerit, bonum divinum, in quantùm est objectum beatitudinis, esse quoque objectum charitatis, patet ex dictis paulò antè, tùm ex Sylvio, tùm ex Suare.

Cùm verò secunda secundæ q. 25. art. 12. & qu. 26. art. 1. & 2. docet charitatem tendere in Deum, ut est principium & prima causa nostræ beatitudinis; beatitudinem iis in locis apertè considerat, non ratione termini, seu ipsius fruitionis Dei, qua homo beatus redditur formaliter, sed ratione principii, seu ratione divinarum perfectionum, per quas Deus ipse est principium & causa nostræ beatitudinis.

Ad secundum: Nusquam S. Thomas rationes illas secundarias quæ movent ad diligendum Deum, appellavit motiva formalia & specifica charitatis, quæ à primario motivo separari non possint, quasi necesse foret in omni actu charitatis includi motivum propriæ beatitudinis & aliarum rerum quibus ad amo-

ad amorem Dei incitari possumus; aliàs nusquam posset homo elicere actum charitatis in Deum, quin eodem actu formali diligat proximum, quia amor proximi est objectum secundarium charitatis, quod inseparabile dici deberet in opinione adversa, à motivo formali primario charitatis: atqui tamen constat hoc esse falsum; rationes ergo illæ secundariæ, non sunt, propriè loquendo, motiva charitatis, sed dispositiones quibus ad charitatem homo præparatur, sicut docet ipse S. Thomas ibid. qu. 27. art. 3. *Quarto modo*, inquit, *Deus potest diligi propter aliud: quia scilicet ex aliquibus aliis disponimur ad hoc quòd in Dei dilectione proficiamus; puta per beneficia ab eo suscepta, vel per præmia sperata, vel etiam per pœnas quas per ipsum vitare intendimus.*

Ad tertium; patet responsio ex modò dictis. Amicitia scilicet charitatis fundatur in communicatione beatitudinis, tanquam in dispositione excitante & movente ad charitatem, concedo: tanquam in motivo formali & specifico, nego. Adde quòd S. Thomas in locis citatis agat de charitate, sub ea ratione qua mutua est amicitia Deum inter & hominem, quæ quidem amicitia amori addit mutuam redamationem *cum quadam communicatione mutua*, inquit S. Thomas secunda secundæ qu. 23. art. 1. *Cùm ergo*, pergit S. Doctor, *sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundùm quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. . . . Amor autem super hanc communicationem fundatus, est charitas: unde manifestum est, quòd charitas amicitia quædam hominis est ad Deum.*

Instabis 1. Idem S. Doctor secunda secundæ q. 26. art. 13. in resp. ad 3. sic loquitur: *Unicuique Deus erit* ( in patria ) *toto ratio diligendi, eo quòd Deus est totum hominis bonum. Dato enim per impossibile, quòd Deus non esset totum hominis bonum, non esset ei ratio diligendi: & ideo in ordine dilectionis oportet quòd post Deum homo maximè diligat seipsum.*

Resp. S. Thomam eò loci probare, ordinem charitatis in patria remanere; adeoque post Deum, hominem magis seipsum diligere. Cùm verò sibi objecisset, Deum in Cœlis fore totam rationem diligendi, adeoque eum magis diligendum qui Deo erit propinquior; respondet verissimum quidem esse, Deum fore homini totam rationem diligendi, non tamen inde concludi posse, quòd homo non debeat post Deum, seipsum magis diligere, cùm Deus sit totum hominis bonum. Cùm verò addit, quòd si *per impossibile Deus non esset totum hominis bonum, non esset ei ratio diligendi*; verissima est propositio: ratio enim diligendi est Dei bonitas; fieri autem non potest ut Deus sit in se bonus, nec sit hominis totum bonum, quamquam ratio motiva formalis amoris Dei, quatenùs est charitatis, sit ejus bonitas absoluta, non verò relativa ad nos.

Instabis 2. Idem S. Doctor in 3. Sententiarum dist. 29. qu. 1. art. 4. docet non esse contra charitatem, ut quis diligendo Deum, ad mercedem respiciat tanquam ad finem amoris sui, non verò rei amatæ, quasi Deum ad suam beatitudinem referret, quod sanè foret inordinatum. T. 9. p. 324.

Resp. duo hæc distincta esse ac distinguenda, nempe aliquid esse contra charitatem, & aliquid fieri ex motivo proprio & specifico charitatis: operari ex motivo mercedis æternæ, tantùm abest ut sit contrarium charitati, quin potiùs motivum istud imperat charitas, cùm imperat actus spei; at moti-

motivum mercedis esse motivum proprium charitatis nusquam ille asseruit, imò potiùs contrarium docuit.

Objicies 3. auctoritatem S. Bonaventuræ in Lib. 3. Sentent. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ubi probat operari ex motivo mercedis æternæ, ad charitatem pertinere.

Resp. 1. S. Doctorem quærendo & opinando, non assertivè affirmando id dixisse, *Quidam*, inquit, *voluerunt dicere, quòd* ( ita operari ) *non est à charitate, sed ab affectu quodam naturæ charitatem concomitante . . . Aliis autem videtur, quòd talis affectus mercenarius possit esse à charitate.* T. 5. p. 307. col. 2. B.

Resp. 2. Cùm S. Doctor in eam inclinavit partem, ut diceret affectum illum mercenarium posse esse à charitate, charitatem ibi genericè sumit 1. prout comprehendit omnem motum qui est à gratia, non verò à natura. *Desiderium enim*, pergit S. Doctor post verba mox citata, *habendi æternam mercedem, & fruendi æterno bono, est desiderium gratiæ; nec est amoris naturalis nec acquisiti, sed potiùs gratuiti*; id est, à gratia proficiscentis. 2. charitatem sumit, prout comprehendit tam amorem concupiscentiæ, quàm amorem amicitiæ, sicut ex lectione textus facilè constabit. Ibid.

Objicies 4. Ex S. Bernardo Lib. de diligendo Deo cap. 1. n. 1. & c. 7. n. 17. duæ sunt causæ diligendi Deum, una quo merito Dei, altera quo commodo nostro: *Ob duplicem causam*, inquit, *Deum dixerim propter seipsum diligendum: sive quia nihil justius, sive quia nihil fructuosius diligi potest. Ad primum pertinet, quo suo merito, ad secundum, quo nostro commodo diligatur.* T. 1. p. 584. A. & pag. 591. C.

Resp. nullum orthodoxum Theologum negare, quin Deus diligendus sit quia nostrum bonum est, seu suprema nostra beatitudo; sed quæstio est, utrùm motivum illud nostræ beatitudinis sit proprium, formale & specificum charitatis: hoc negamus, neque hoc asseruit S. Bernardus loco citato. Ait quidem, unam causam diligendi Deum propter seipsum, esse quia nobis bonus est, seu, ut loquitur, fructuosus; sed indicat S. Doctor his verbis, causam moventem ducentem ad charitatem, non verò motivum formale & proprium charitatis: nemo verò negat quin spes excitet & ducat ad charitatem, seu ad Deum propter se diligendum, quamquam istud non sit spei motivum formale & distinctivum.

Objicies 5. Deus per charitatem diligitur ut benevolus & beneficus, ac beatificans: at non potest ita diligi sine respectu ad bonum quod ex eo speramus.

Resp. dist. maj. Deus per charitatem diligitur ut benevolus &c. ratione principii, hoc est, quia habet in se omnes perfectiones, inter quas est beneficentia &c. concedo: ratione termini, hoc est boni quod ex divina beneficentia in nos derivatur, nego. Hoc enim pertinet ad spem, non verò ad charitatem.

Objicies 6. Non potest homo spoliare se naturali illo desiderio quo beatitudinem quærit & exoptat; ergo in omni charitatis actu desiderium istud includitur.

Resp. dist. ant. Non potest homo spoliare se naturali desiderio quo beatitudinem quærit, vel formaliter & explicitè, vel virtualiter dumtaxat, implicitè, materialiter, & præsuppositivè, concedo: formaliter semper & explicitè, quasi in quolibet actu semper explicitè ac formaliter desiderium beatitudi-

titudinis habeat, nego. Quamvis enim desiderium illud excludere non possimus, utpotè nobis innatum circa beatitudinem generatim & in communi, in actibus tamen liberè elicitis, possumus ab ea mentem ita avocare & abstrahere, ut non propter eam formaliter & explicitè, sed propter absolutam objecti bonitatem seu excellentiam operemur; quamquam virtualiter semper, vel materialiter & præsuppositivè desiderium illud in nobis sit: unde tantùm abest, sicut jam diximus, ut charitas desiderium illud excludat & rejiciat, quin illud simul cum spe imperat.

Meritò igitur ab Ecclesia proscripti fuere phanatici nostrorum temporum Quietistæ, qui charitatis perfectionem in eo collocant, ut anima justi, extincto penitus suæ æternæ beatitudinis desiderio, imò & suæ æternæ damnationi acquiescens, Deum unicè propter seipsum diligat. Illusio est & error manifestus. Sic enim diligendus Deus propter se, sic ad perfectam charitatem anhelandum, ut aliarum virtutum, præsertim verò fidei & spei, exercitium nec intermittatur, nec excludatur.

Objicies 7. Amor Dei castus, purus & gratuitus, est amor perfectæ charitatis: sed amor Dei quo amatur quatenus nobis bonus, seu quatenus nostra est beatitudo, est castus, purus & gratuitus; ergo &c.

Minor certa est ex S. Augustino multis in locis. Sermone 158. aliàs 16. de verbis Apostoli, *Unusquisque*, inquit, *inspiciat se intus, appendat se, probet se in omnibus factis suis, bonis operibus suis, quæ faciat cum charitate, non expectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei. Non enim quidquid tibi Deus promittit, valet aliquid præter ipsum Deum. Omninò me non satiaret Deus, nisi promitteret mihi seipsum Deum.* To. 5. p. 763. G.

Et in Psalm. 72. exponens ista verba, *Pars mea Deus in sæcula. Factum est cor castum*, inquit, *gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult servire Deo, carius facit quod vult accipere, quàm ipsum à quo vult accipere. Quid ergo, nullum premium Dei? Nullum, præter ipsum. Præmium Dei, ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor.* Igitur amor quo Deus diligitur ut præmium nostrum, merces, beatitudo nostra, castus est & à perfecta charitate. To. 4. p. 766. G.

Resp. dist. maj. Amor Dei castus, purus & gratuitus, quo Deus diligitur quia in se bonus & infinitè perfectus, est amor perfectæ charitatis, concedo: Amor Dei castus quo Deus diligitur ut nobis bonus, seu quatenus est nostra beatitudo, nego. Dist. min. Atqui amor Dei quatenus nobis bonus &c. est castus & gratuitus, comparatè ad amorem mercenarium quo Deus diligitur propter bona temporalia, concedo: comparatè ad amorem perfectæ charitatis, iterum distinguo: est amor castus, id est, bonus, licitus, honestus, necessarius, & supernaturalis, concedo: id est, tam perfectus ac amor charitatis, nego. Solutio ex jam dictis manifesta est.

Ad S. Augustinum, dico 1. eum loqui non de actu perfectæ charitatis, sed de homine habente charitatem, qui certè ex intuitu mercedis æternæ operari potest & debet: neque enim charitas excludit spem; imò potius hanc semper includit, cujus actus sicut & aliarum virtutum imperat; quamquam ipsa charitas ex proprio suo ac formali motivo ad mercedem illam non respiciat, sed in una Dei hæreat perfectione infinita.

Dico 2. citatis testimoniis Deum considerari à S. Doctore, ut est beatitu-

dinis nostræ objectum, sub quo respectu procul dubio attingitur à charitate, ut ex dictis patet; adeoque meritò ait castum esse amorem illum & à charitate, qui non aliam quærit beatitudinem præter Deum. Verùm de motivo formali amoris Dei, de quo uno nos hìc agimus, non loquitur S. Augustinus; neque enim ait illum amorem esse à perfecta charitate, qui tendit in Deum sub ea formali causa, quia nos beatos efficit, talis quippe amor ad spem, non ad charitatem pertinet: amare quidem Deum qui est nostra beatitudo, proprium est charitatis; amare verò quia est nostra beatitudo, proprium est spei. Revoca quæ hìc diximus in responsione ad primam Objectionem.

Objicies denique S. Bernardum in Epistola 11. ad Guigonem n. 8. ubi quatuor amoris gradus distinguens, de quarto sic loquitur: *Nescio si à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scilicet homo diligat tantùm propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur.* Ergo fictitius est ille charitatis perfectæ actus, quo Deus diligitur sine ullo ad nos respectu.

T. 1. p. 31. F.

Resp. S. Bernardi mentem esse, impossibile esse ut quis ita diligat Deum propter se, sine ullo ad proprium suum commodum respectu, ut omnino excludat & extinguat in corde suo propriæ beatitudinis desiderium; non verò ut ab eo, saltem in actu transitorio & fluente charitatis, abstrahat.

## ARTICULUS II.

*An perfecta contritio non tantùm in casu necessitatis, sed ordinariè hominem priùs Deo reconciliet, quàm percipiatur actu Pœnitentiæ Sacramentum.*

QUæstio non movetur de contritione generatim sumpta, neque de contritione imperfecta per quam certum est justitiam homini non conferri sine Sacramento; sed de contritione, quæ ex charitate perfecta est.

Quæstio hìc quoque non est, quomodo contritio perfecta justificet hominem: an ipsa sit formalis hominis sanctificatio; vel tantùm causa, vel dispositio proxima; aut eam saltem nexu individuo semper comitetur justificatio. Ab illa Scholasticorum controversia, quæ non est præsentis nostri instituti, hìc abstinemus; nec de modo, sed de reipsa quærimus, utrum quoties contingit perfectam esse contritionem, toties hominem Deo reconciliet antequam actu percipiatur Sacramentum; an verò vim illam dumtaxat habeat, Deo ita ordinante, in necessitatis articulo. Circa quam controversiam Adrianus & Cajetanus, referente Baltazaro Eredia Calaritano Archiepiscopo apud Pallavicinum L. 12. Hist. Concilii Tridentini c. 10. docuerunt, per contritionem non deleri peccata: adversùs quam sententiam narrat ib. Historicus, paratum fuisse in Concilio Tridentino Canonem; sed cùm prædictus Archiepiscopus admonuisset ita sentire Cajetanum & Adrianum, abstinuisse Synodum, nec hanc opinionem proscripsisse, quæ sensum inter Scholasticos controversum pati potest.

T. 2. p. 322.

Michael Bajus Doctor Lovaniensis, docuit etiam *charitatem perfectam, quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta, in Catechumenis & pœnitentibus posse esse sine remissione peccatorum*, quæ sententia damnata est à SS. Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII.

Oper. Baji p. 2. pag. 53.

Estius

Estius in 4. dist. 17. paragr. 2. docet, contritionem perfectam, Deo ita disponente, non reconciliare hominem Deo ante Sacramentum, nisi in casu necessitatis, cùm nempe urget periculum mortis, aut non potest Sacramentum percipi. *Pag. 219.*

## C O N C L U S I O.

Perfecta contritio non tantùm in casu necessitatis, sed ordinariè hominem Deo reconciliat, antequam Sacramentum actu percipiatur.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ charitati & perfectæ contritioni, nulla facta distinctione casus necessitatis, & ordinarii, vim tribuit sanctificandi hominem & purgandi peccata. Ezechielis 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit*. Et c. 18. v. 21. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est..... omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Lucæ 7. v. 47. Christus de Magdalena ait: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm: cui autem minùs remittitur, minùs diligit.* Et cap. 10. v. 27. *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua.... Hoc fac & vives*. 1. Joan. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est*. Et v. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et c. 3. v. 14. dixerat: *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* 1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Denique Coloss. 3. v. 14. *Charitas est vinculum perfectionis*. Vide nonnulla alia Scripturæ testimonia suprà Conclusione secunda Articuli primi.

Probatur 2. ex SS. Patribus quorum testimonia loco mox indicato laudavimus, quæ consule nè sæpius eadem exscribere teneamur.

Probatur 3. ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. docet sancta Synodus, *etsi contritionem hanc, aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*. Quibus verbis declarat Concilium 1. Contingere aliquando contritionem perfectam esse charitate, hoc est elici ex motivo charitatis, tuncque hominem Deo reconciliare priusquam actu percipiatur Sacramentum. 2. Virtutem hanc reconciliandi ipsi non competere, nisi quatenus includit votum seu desiderium Sacramenti. *T. 14. Conc. p. 817. D.*

Neque obstat quod nonnulli respondent, particulam, *aliquando*, restringere hanc contritionis virtutem ad aliquos tantùm casus, puta necessitatis.

Namque vel ex ipsa verborum Concilii inspectione manifestum est, Patres Tridentinos hac particula indicare dumtaxat voluisse, contritionem, de qua initio capitis generatim dixerant, aliquando eam ex motivo veræ charitatis oriri atque perfectam esse, tuncque justificare ante Sacramentum; aliquando verò elici ex alio, quàm charitatis motivo, tuncque non justificare sine Sacramento. *Pius V. an. 1566 an. 6. Greg. XIII. 1572. an. 12.*

Probatur 4. ex SS. Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. qui suis in Bullis, quas postea Urbanus VIII. renovavit & confirmavit, oppositam sententiam damnarunt in multis Michaelis Baji Doctoris Lovaniensis propositionibus expressam, quarum inter damnatas *Urban. VIII. 1623. an. 20.*

Recueil des Bulles, pag. 18. & suiv. Oper. Baji, p. 2. p. 53. & seq.

31. Erat. *Charitas perfecta & sincera quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.*

32. *Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

66. *Homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem.*

68. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta & voto suscipiendi Sacramentum conjuncta, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

His accedit Judicium sacræ Facultatis Parisiensis quæ an. 1560. die 27. Junii Censura sua notavit plures propositiones, de quibus, ut pronuntiaret, rogata fuerat ab aliquibus Belgii Theologis. Inter illas hæc numero decima erat, *Homo existens in peccato mortali sive ejus reatu ad æternam mortem habet in se charitatem. Hæc propositio*, ait Censura, *est hæretica*. Igitur, judice sacra Facultate, charitas non potest compati cum peccato mortali. Undecima verò talis erat, *Per contritionem, non adhibito realiter Sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ, non dimittitur peccatum extra casum martyrii, aut necessitatis; quæ propositio*, ait Censura, *est hæretica & schismatica*. Nemo non videt has ipsas esse Baji propositiones, quæ cùm multos in Belgio turbarent Theologos, consulta de ipsis fuit sacra Facultas Parisiensis, cujus censuram & vellicat & falsi ac suppositionis arguit ipse Bajus, sicut videre est in nova Operum ipsius editione, inter Bajana pag. 8. & seq.

Probatur denique rationibus Theologicis quas supra Conclusione secunda Articuli primi exposuimus n. 4. 5. & 6. Vide. Quibus adde, quòd ipsis fatentibus adversæ partis Theologis, in articulo mortis sufficit contritio ad remittenda peccata: atqui virtutem hanc non habet præcisè propter articulum mortis, sed ex sua propria perfectione. Præterea, perfecta contritio in veteri Lege peccata delebat; quidni & in nova? Non enim ejus virtus imminuta est, sed solummodò novum additum fuit mandatum de Sacramentis percipiendis, quibus certè infirmitati nostræ occurrere voluit Christus, ut qui perfectam non habent contritionem, saltem per imperfectam simul cum Sacramento veniam peccatorum impetrare possint.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. Mulier peccatrix, cujus mentio fit apud S. Lucam c. 7. v. 47. priùs Deum dilexit, quàm remissionem peccatorum obtinuerit. *Remittuntur ei peccata multa*, inquit Christus, *quoniam dilexit multùm*. Non dicit in præterito, remissa sunt ei peccata; neque dixit, quoniam diligit, sed quoniam dilexit; ergo priùs dilexit, quàm veniam peccatorum obtinuerit; ergo charitas potest esse sine remissione peccatorum.

Resp. dist. ant. Priùs Deum dilexit, quàm obtinuerit remissionem peccatorum, priùs, inquam, prioritate naturæ, concedo: prioritate temporis, nego: nam ultima dispositio & forma sunt simul tempore. Cùm verò Christus dixit, *Remittuntur ei peccata multa*, non veniam primò concessit, sed jam datam confirmavit; jam enim interiùs illa peccatrix fuerat à Deo mundata & absoluta, sed voluit Christus ejus absolutionem coram hominibus declara-

clarare & confirmare: ficut cùm cap. 5. S. Marci v. 34. dixit mulieri jam fanatæ, *Esto sana à plaga tua*; non eam his verbis sanavit, sed pronuntiavit seu declaravit sanatam.

Instabis. S. Augustinus Sermone 99. de verbis Evangelii Lucæ 7. aliàs Hom. 23. inter 50. c. 2. de illa peccatrice sic loquitur: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda: accessit ægra, ut rediret sana*. Atqui his verbis videtur sanctus Doctor supponere, non fuisse mundatam antequam audierit hanc Christi sententiam, *Remittuntur ei peccata &c.* T. 5. p. 521. F.

Resp. loqui S. Augustinum eò loci de toto mulieris accessu adæquatè sumpto, prout nempe accessus ille complectitur propositum veniendi ad Christum, & mulieris ejusdem progressum donec Christi præsentia frueretur, & in ejus amore exardesceret; vel certè dici potest, eam accessisse immundam, quia paulò antè talis erat, & palam habebatur adhuc peccatrix, licèt interius à peccatis mundata fuisset.

Objicies 2. exempla S. Pauli & Cornelii Centurionis, qui etsi charitate in Deum flagrarent, baptisari tamen debuerunt ut veniam peccatorum acciperent. Act. 22. v. 16. *Exurge & baptisare, & ablue peccata tua*, inquit Ananias ad Paulum, qui cap. 9. v. 6. sic animo erat præparato, ut Dei voluntatem in omnibus adimplere se velle profiteretur, *Domine quid me vis facere?* Cornelius pariter Centurio Act. 10. v. 2. dicitur *vir religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas*; & v. 22. *vir justus* appellatur: atqui tamen non priùs justificatus est, quàm percepisset Baptismum.

Resp. contritionem perfectam, quam quis habet ante Sacramentum, non dispensare à lege percipiendi Sacramentum; adeoque meritò & S. Paulum, & Cornelium Centurionem baptisatos fuisse, quamquam jam ex perfecta charitate justificatos; expresse quippe Act. 10. v. 44. dicitur Spiritum sanctum cecidisse in Cornelium, antequam baptisaretur. Ratio est, tùm quia mandatum Christi semper impleri debet; at lex est expressa de Baptismo percipiendo: tùm quia ipsa contritio non reconciliat, nisi quatenùs includit votum seu desiderium Baptismi, ut expressè docet Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. tùm quia quamquam homo supponatur jam justitiam adeptus, Sacramentum tamen augmentum gratiæ producit: tùm quia præter invisibilem sanctitatem animæ, necesse est hominem exteriùs societati Fidelium seu Ecclesiæ coadunari, quod fit per visibile Sacramentum Baptismi: tùm denique quia, inquit S. Augustinus Lib. 4. contra Donatistas c. 21. *Ne secura esset justitia Catechumeni, dictum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in Regnum Cælorum. Rursus ne percepto Baptismo secura esset iniquitas baptisatorum, dictum est; Nisi abundaverit justitia vestra &c.* Aberrant igitur, qui asserunt, vel inutilem esse Sacramentorum perceptionem iis qui jam ex perfecta charitate sanctificati sunt, vel eos sine voto Sacramenti fuisse sanctificatos, quem utrumque errorem evertit Conc. Trid. tùm Sess. 13. c. 7. & Can. 11. tùm Sess. 14. c. 4. T. 9. p. 138. F. G.

Objicies 3. Concilium Trid. Sess. 6. c. 6. inter dispositiones ad Baptismum necessarias requirit amorem Dei, quo baptisandus *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat*. Supponit igitur Concilium, amorem illum Dei hominem non reconciliare sine Sacramento. T. 14. Conc. p. 759. D.

Resp. dist. conseq. supponit amorem Dei imperfectum, seu minùs perfectum, qui non est charitatis, sed inferior, non reconciliare hominem, concedo: amorem perfectum & veræ charitatis, nego. Sess. enim 14. cap. 4. citato expressè docet, perfectam contritionem justificare antequam Sacramentum actu percipiatur. In citata igitur Sess. 6. cap. 6. Concilium loquitur de amore initiali & imperfecto; quamquam seipsum disertè non exponat. Eo enim in loco initium quidem amoris exigit Synodus in iis qui se præparant ad Baptismum, sed disertè non exponit nec explicat, qualis debeat esse amor ille, an charitatis, an alius, qui spei dicitur, sufficiat. Rem inter Scholasticos controversam definire noluit Concilium, unde de industria, amorem illum dilectionem simpliciter appellavit, non charitatem; imò nec addidit debere esse *super omnia*, sicut antea observavimus ex Andrea Vega L. 6. c. 28. de Justificatione. Sub dubio igitur ac in suspenso relictum est, quid voluerit Concilium, cùm exigit à baptisandis, *ut diligere incipiant Deum tanquam fontem totius justitiæ*: an intellexerit justitiam seu sanctitatem, qua Deus in se sanctus est, & sub ea præcisè formali ratione; an sanctitatem, quæ in nos derivatur, & sub ea formali ratione, qua nos sanctos & beatos efficit: uno verbo, objectum dilectionis nostræ, nempe Deum, designavit quidem Synodus; sed motivum formale illius non assignavit, verùm Scholæ disputationibus controversiam hanc permisit.

T. 14. Conc. p. 807. C. Instabis. Idem Concilium Sess. 13. c. 7. statuit neminem, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debere: atqui hoc non statueret, si homo justificaretur per contritionem perfectam.

Resp. nego min. Namque id jubet Concilium ad majorem cautelam accedentis ad sacram mensam, & ad majorem reverentiam Sacramenti: homo quippe semper incertus est, an perfecta contritione moveatur, an verò imperfecta tantùm. Deinde, cùm maxima mundities ac sanctitas requiratur ad dignam Eucharistiæ perceptionem, mirum non est, si præter internam cordis contritionem, postulet Ecclesia Fidelem iterum Sacramento Pœnitentiæ mundari, priusquam accedat ad tremendum altaris mysterium.

Objicies 4. Sanctus Augustinus agnoscit in Cornelio fuisse charitatem, quæ ipsum tamen non justificavit nisi accedente Sacramento Baptismi. Lib. 1. T. 6. p. 89. C. de diversis quæstionibus ad Simplicianum q. 2. *In quibusdam*, inquit, *tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum Cælorum; sicut in Catechumenis, sicut in ipso Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam verò tanta est, ut jam corpori Christi & sancto Dei templo deputentur.... Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes: non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam.*

Resp. nego ant. Multis enim in locis fatetur Sanctus Augustinus, Cornelium Spiritu sancto plenum fuisse cùm accessit ad Baptismum. Ita Lib. 4. de Baptismo cap. 21. 23. & 24. & Lib. 3. quæstionum in Leviticum, quæst. 84. Libro itaque 1. de diversis quæstionibus ad Simplicianum citato, agnoscit quidem in Cornelio quasdam initio inchoationes fidei, & nondum ex charitate formatam fidem; ad quam non nisi proficiendo subinde pervenit, qua adepta, etiam ante perceptum Baptisma sanctificatus fuit: neque tamen inutilis fuit Baptismus,

mus, cujus extat expressum Christi mandatum, quod si neglexisset Cornelius, haud dubiè perfectam non habuisset charitatem. *Si Cornelius*, ait S. T.9. p.
Doctor L. 4. contra Donatistas cap. 21. *etiam Spiritu sancto jam accepto bapti-* 138. E.
*sari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus fieret.* Et cap. 22. ait in Cornelio ejusque sociis donum Spiritus sancti eminuisse ante Baptismum, baptisatos nihilominus fuisse. *Quia*, inquit, *nemo debet in quolibet provectu in-* Ibid. p.
*terioris hominis, si fortè ante Baptismum usque ad spiritalem intellectum pio* 139. E.
*corde profecerit, contemnere Sacramentum, quod ministrorum ope corporaliter adhibeaur, sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter operatur.* Et Lib. 3. Quæstionum in Leviticum quæst. 84. *Hinc est*, inquit, *quòd Cornelius* T.3. p.1.
*& qui cum eo erant, cùm jam invisibiliter infuso Spiritu sancto sanctificati ap-* pag. 524.
*parerent, baptisati sunt tamen: nec superflua judicata est visibilis sanctificatio,* F.
*quam invisibilis jam præcesserat.* Citata igitur qu. 2. ad Simplicianum varios nascentis, proficientis & adultæ in Cornelio sanctificationis gradus considerat S. Augustinus. Initio quidem quædam dumtaxat erant *incboationes fidei conceptionibus similes*: tùm gradatim ad majorem fidei ac virtutum perfectionem pervenit, & quidem tantam, ut etiam ante Baptismum justitiam seu sanctificantem gratiam sit assecutus, non tamen sine lege & obligatione percipiendi Baptismatis.

Instabis 1. Sanctus Augustinus non semel asserit, Catechumenis, quantumcumque proficiant, non dimitti peccata, nisi cùm baptisantur; adeoque & justitiam & Sacramentum necessariò requiri. Ita Tract. 13. in Joan. T.3. p.2.
*Quantumcunque*, inquit, *Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis por-* pag. 394.
*tat: non ei dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum.* Et Tract. 4. *Omnia pecca-* C. Ibid. p.
*ta*, inquit, *super illum sunt, & nisi venerit ad salutarem Baptismum, ubi pecca-* 318. B.
*ta solvuntur, cum omni sua excellentia non potest intrare in regnum Cœlorum.* Et Lib. de unitate Ecclesiæ cap. 22. *Utrumque necessarium est ad regnum Dei* Tom. 9.
*adipiscendum, & Baptismus, & justitia. Alterum sine altero*, inquit L. 4. de pag.
Baptismo contra Donat. c. 11. *parum est: utrumque perficit æternæ possessio-* 379. G. Ibid. p.
*nis hæredem.* 139. A.

Resp. dist. ant. Asserit Catechumenis, quantumcunque proficiant, non dimitti peccata, si vel contemnant vel negligant Baptismum, rati sibi inutilem esse, ac sibi suam sufficere sanctitatem, concedo: Catechumenis, qui non per contemptum aut negligentiam, sed per solam necessitatem Baptismo privantur, nego. Porrò S. Augustinum loqui de Catechumenis primi ordinis, patet ex ipso Tract. 13. in Joan. ubi sic loquitur: *Quare oportebat ut* T. 3. p. 2.
*Dominus baptisaretur? quia multi contempturi erant Baptismum, eò quòd jam* pag.
*majore gratia præditi viderentur, quàm viderant alios Fideles. V. g. jam conti-* 303. F. G.
*nenter vivens Catechumenus, contemneret conjugatum, & diceret se meliorem esse quàm ille sit Fidelis. Ille Catechumenus posset dicere in corde suo, Quid mihi opus est Baptismum accipere, ut hoc babeam quod & iste, quo jam melior sum?* Ejusmodi Catechumenos meritò redarguit Sanctus Augustinus, eosque suorum peccatorum sarcinam adhuc portare rectè affirmat; neque vera est, sed ementita & falsa eorum conversio, fallax prætensa illa, qua gloriantur excellentia. *Neque enim*, ait sanctus Doctor L. 4. de Baptismo contra Donat. cap. 25. *ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cùm Dei Sacramen-* T. 9. p.
*tum contemnitur.* Cùm autem L. de unitate Ecclesiæ citato ait, *& justitiam* 142. A.

 *& Sa-*

*& Sacramentum esse necessarium*, non loquitur de justitia perfecta quæ præcedat Sacramentum, sed de ea quæ fit ipsius Sacramenti effectus: quia non satis est ad salutem ritum externum Sacramenti percipere, sed necessaria est interior justitia quæ per Sacramentum confertur, non Hæreticis quidem & Schismaticis, sed iis qui sunt in unitate Ecclesiæ, & ad Sacramentum accedunt cum debitis dispositionibus.

Instabis 2. S. Augustinus supponit Catechumenum qui divina charitate flagrat, nec tamen veniam peccatorum obtinet ante Baptismum. L.4. de
Ibid. Baptismo contra Donat. c.21. *Nec ego dubito*, inquit, *Catechumenum Catho-*
p. 138. D. *licum divina charitate flagrantem hæretico baptisato anteponere*. Et L.2. de peccatorum meritis & remiss. c.26. *Sanctificatio Catechumeni*, inquit, *si non*
T.10.p. 63. A. *fuerit baptisatus, ei non valet ad intrandum in regnum Cœlorum*. Denique de se ipso ait sanctus Doctor L.8. Confessionum c.12. *Quòd fleret amaris-*
T.1. p. 156. B. *sima contritione*. Et L.9. c.2. *Quòd Deus cor suum charitate sagittaverat*; & tamen ejusdem Libri cap.4. in fine, significat se ante Baptismum pec-
Ib. pag. 157. E. catorum veniam non obtinuisse.
Ib. pag. 161. F. Resp. nego ant.

Ad primum testimonium ex Lib. 4. de Baptismo contra Donat. c. 21. dico ex ipsa lectione manifestum esse, S. Doctorem non affirmare Catechumenum illum veniam peccatorum non esse assecutum; sed hoc unum ait, talem Catechumenum anteponendum esse Hæretico baptisato, imò & Catholico qui fictus ad Baptismum accessisset, quod certè verum est.

Ad secundum: loquitur sanctus Doctor de sanctificatione exteriori Catechumeni, nempe signo crucis, impositione manuum, degustatione salis, aliisque cæremoniis quibus sanctificabantur & præparabantur Catechumeni ad Baptismum; atque meritò ait, quòd si Catechumenus in illis hæreret externis cæremoniis, talis sanctificatio ei inutilis foret ad Regnum Cœlorum, nisi accedat & Baptismus: quamquam etsi de sanctificatione interiori exponeretur adductum testimonium, meritò adhuc dixisset sanctus Doctor, inutilem illam fore, si Catechumenus vel ex contemptu, vel ex negligentia non percipiat Sacramentum.

Ad tertium: mens S. Doctoris est, haberi non posse securitatem de re-
Ibid. missis peccatis, nisi per Baptismum. *Ea fides*, inquit citato loco, *securum me non faciebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum non-*
Ib. pag. 162. D. *dum remissa erant*. Unde statim ac baptisatus fuit cum amico suo Alipio, ait c.6. *Baptisati sumus, & fugit à nobis sollicitudo vitæ præteritæ*.

Instabis 3. Ex S. Augustino L.12. de Civitate Dei c. 9. & L. 14. c. 7. & L. de Gratia Christi c. 21. charitas est bona voluntas. *Quasi verò*, in-
T.10.p. 239. G. quit, *aliud sit bona voluntas, quàm charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo & à Patre datam, ut filii ejus essemus*. Atqui non omnis bona voluntas sanctificat hominem. Hinc Lucæ 2. v.14. promittitur danda *pax hominibus bonæ voluntatis*; ergo nec charitas omnis sanctificat hominem ante Sacramentum.

Resp. dist. min. Non omnis bona voluntas, quæ plena & perfecta non est, hominem sanctificat, concedo: quæ plena est ac perfecta, nego. Por-
Ib. pag. 934. rò S. Augustinus de illa loquitur bona voluntate, *quæ*, ut ipse ait L. de Grat. & lib. arb. c.15. *tam magna est, ut possit implere divina mandata*.

Ad

Ad probationem minoris, si sequamur textum Græcum legi non debet, *Pax hominibus bonæ voluntatis*; sed, *in terra pax, in hominibus bona voluntas*: id est, annuntiatur hominibus pax, quæ est ipsa Dei bona voluntas erga homines: quamquam si vulgatæ versioni (ut æquum est) adhæreamus, homines bonæ voluntatis ibi dicuntur non principiativè, id est, non qui habent bonam erga Deum voluntatem; sed objectivè, id est, qui sunt objectum bonæ voluntatis; seu qui diliguntur à Deo. Ita Maldonatus.

Instabis 4. S. Augustinus Epistola 228. aliàs 180. ad Honoratum, acriter insurgit adversùs timidos illos Pastores, qui tempore persecutionis fugiunt, ac commissas sibi oves Sacramentorum ope spirituali destitutas derelinquendo, æternæ salutis periculo exponunt. *Si ministri desint*, inquit, *quantum exitium sequitur eos qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* At si persuasum habuisset sanctus Doctor, contritionem perfectam sine Sacramento sufficere, non ita sollicitus fuisset de illarum animarum salute. *To. 2. p. 833. D.*

Resp. 1. in sententia quam hic impugnamus, locum non esse huic objectioni; siquidem in casu saltem necessitatis ac mortis periculo fatentur adversarii contritionem perfectam sine Sacramento actu percepto sufficere ad salutem.

Resp. 2. nego min. Sacramenta enim semper necessaria sunt, sive adsit perfecta contritio in eo qui ea postulat, sive imperfecta tantùm, ut patet ex responsione ad secundam Objectionem. Unde meritò invehitur S. Augustinus adversùs Pastores qui tempore persecutionis fugientes, ope Sacramentorum destitutos Fideles derelinquunt: cùm enim difficile sit perfectam habere contritionem, & aliunde homo semper incertus sit, an illam habeat, maxime ad salutem animæ præsidii sunt Christi Sacramenta.

Objici hic solet auctoritas S. Gregorii Nazianzeni Oratione 40. & S. Fulgentii in Epistola ad Ferrandum. Verùm fatemur eos nobis hac in parte adversari, à quibus recedimus, sicut & ipsi ab aliis recessisse videntur. Vide quæ diximus in Tractatu de Baptismo Qu. 2. Art. 2. ubi quærebamus an & quomodo perfecta contritio suppleat vices Baptismi.

## ARTICULUS III.

*An perfecta contritio sit dispositio necessariò prærequisita ad percipiendum Sacramentum Penitentiæ.*

Quæstio hic non est, utrum aliquis Dei amor necessarius sit in pœnitente, ut ad Sacramentum Pœnitentiæ debitè & ut oportet accedat; hoc quippe momentum Quæstione sequenti expendemus.

Quæstio pariter non est, utrum omnis amor Dei super omnia ex se hominem sanctificet: constat enim ex jam dictis Articulo secundo, Conclusione secunda & tertia, solum amorem Dei super omnia elicitum ex motivo proprio charitatis, vim hanc habere.

Quæstio etiam non est, utrum charitas & contritio perfecta justitiam conferat extra Sacramentum: de hoc enim mox egimus Articulo secundo.

Quæstio ergo est, utrum contritio perfecta quæ justitiam confert ex se, abstrahendo ab alia quæstione unde habeat ut sit perfecta, sit dispositio necessaria ad percipiendum Sacramentum Penitentiæ.

Circa

Circa quam controversiam duæ generatim sunt Theologorum sententiæ, una affirmans, negans altera.

Duobus autem præsertim modis affirmans sententia defenditur.

I. Sunt qui volunt perfectam contritionem esse dispositionem necessariam & immediatam ad Sacramentum debitè percipiendum, ita ut attritio planè sit insufficiens. Ita Magister Sententiarum, & alii nonnulli Theologi, sive qui ante, sive qui post Tridentinum Concilium scripsere, quorum aliqui, ut Magister &c. dicere non timuerunt, absolutionem sacramentalem esse dumtaxat declaratoriam peccati jam dimissi; alii verò, præsertim multi ex iis qui post Concilium scripsere, quamquam hominem per contritionem perfectam jam justificatum existiment, absolutionem tamen merè declaratoriam esse affirmare non audent, propter auctoritatem Concilii Tridentini. Sententiam Magistri ab errore Novatorum longè diversam esse, nec expresse à Concilio Tridentino damnatam, supra Qu. 2. Art. 2. ex Andrea Vega Franciscano, qui Concilio Tridentino interfuit, & aliis observavimus. Lege quæ ibi dicta sunt. Non desunt tamen Theologi, qui post definitionem Concilii putant erroneam esse sententiam, quæ exigit contritionem perfectam ad Sacramentum Pœnitentiæ debitè percipiendum. Ita Suares de Pœnit. disp. 20. sect. 1. p. 279. num. 10. Vasques q. 84. de Pœnit. dubio 2. & alii.

II. Alii existimant attritionem non esse immediatam dispositionem ad effectum Sacramenti, sed mediatam dumtaxat, quia pœnitens virtute Sacramenti debet interiùs mutari & de attrito fieri contritus; qua contritione accedente redditur proximè & immediatè capax recipiendi effectum Sacramenti: atque hac via conciliant illi simul & necessitatem contritionis perfectæ, & efficaciam Sacramenti.

Sententia negans certa videtur, & jam communis inter Scholæ Theologos.

## CONCLUSIO.

Contritio perfecta quæ justificat ante Sacramentum, non est dispositio necessariò requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ debitè percipiendum.

T. 14. Conc. p. 817. D. Probatur 1. ex Concilio Trid. Sess. 14. c. 4. ubi ait, *aliquando contingere contritionem esse charitate perfectam, & hominem Deo reconciliari priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur.* Si autem aliquando tantùm contingit contritionem esse perfectam, non est igitur necessaria & ordinaria dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ; de dispositione quippe ordinaria non ita certè Concilium loqueretur.

Porro sicut contingit contritionem illam esse aliquando perfectam & reconciliare ante Sacramentum, ita contingit & quidem sæpius, illam esse imperfectam seu minùs perfectam, & reconciliare hominem Deo tantùm cum Sacramento; ergo non existimat Concilium Trid. contritionem perfectam ad Sacramentum Pœnitentiæ debitè percipiendum esse dispositionem necessariam.

Et verò si id existimasset, clarè haud dubiè mentem suam exposuisset, in eo præsertim loco ubi ex professo tractat de dispositione necessaria ad gratiam Sacramenti Pœnitentiæ percipiendam; at tantum abest, ut asserat contri-

tritionem ex motivo charitatis perfectam, esse necessariam, quin potius contrarium manifestè colligitur ex verbis subsequentibus, & oppositione attritionis cum contritione.

Ibidem enim addit Concilium, *Contritionem imperfectam seu attritionem, quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere*, quibus verbis declarat Concilium, contritionem imperfectam, quæ non sufficit extra Sacramentum, cum Sacramento sufficere; adeoque contritionem perfectam absolutè necessariam non esse ad Sacramentum dispositionem.

Neque audiri debent qui reponunt contritionem imperfectam disponere quidem remotè, non verò proximè.

Namque alio modo peccatorem disponit in Sacramento ad veniam obtinendam, alio modo extra Sacramentum, ut constat ex verbis Concilii: atqui contritio imperfecta disponit remotè extra Sacramentum; ergo disponit proximè in Sacramento.

Confirmatur auctoritate Cleri Gallicani in Comitiis generalibus an. 1700. ubi declarat, *hæc duo ex sacro sancta Synodo Tridentina monenda & docenda esse; primum, ne quis putet in utroque Sacramento* (Baptismo & Pœnitentia) *requiri ut præviam, contritionem illam, quæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliat. Alterum &c.* N. Mem. du Clergé, To. 1. p. 741.

His adde Censuram sacræ Facultatis Parisiensis, qua an. 1638. die 1. Julii notavit Librum de virginitate, auctore Claudio Seguenotio Oratoriano. *Quæ tradit auctor*, ait Censura, *de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, & quæ addit & approbat de absolutione, quòd nihil aliud sit quàm declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit quoque Facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ imminutivas, & insuper temerarias & erroneas*. Docet igitur sacra Facultas, contritionem ex perfecta charitate necessariò præviam esse non debere ad Pœnitentiæ Sacramentum. Per charitatem verò perfectam, quam dictus auctor præviam requirit ad Sacramentum, eam non videtur intelligere, quæ intensivè & ratione gradus talis sit, sed eam quæ ex motivo suo propriò ac formali sit vera & perfecta charitas, sicut manifestè patet ex notis ipsius ad caput 38. pag. 113. ubi motivum timoris gehennæ opponit motivo perfectæ charitatis; non ergo sacra Facultas eam dumtaxat sententiam notavit, quæ charitatem exigit intensivè perfectam ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed eam quæ exigit charitatem ex motivo suo propriò ac formali perfectam, & justificat ante Sacramentum.

Probatur 3. gravissimo momento, quod habet in Scripturis & Traditione fundamentum. Scilicet, Sacramentum Pœnitentiæ per se institutum est ad suscitandos homines à morte peccati, & ideo dicitur Sacramentum mortuorum, sicut & Baptismus; ergo ex institutione sua vim habet conferendi primam gratiam, & expellendi peccatum mortale, alioqui non esset remedium sibi proportionatum; ergo necesse non est ut supponat jam dimissum peccatum

catum per contritionem perfectam, aliàs nusquam efficeret id ad quod efficiendum est à Christo institutum: unde meritò sacra Facultas dixit, sententiam quam hic impugnamus esse *imminutivam efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ*.

Confirmatur 1. Quia ex probatis suprà Qu.2. Artic.2. Ecclesia veram accepit à Christo potestatem dimittendi peccata per absolutionem sacramentalem, non declarandi solùm ea esse dimissa: atqui si necesse foret pœnitentem habere perfectam contritionem antequam sacramentaliter absolvatur, absolutio peccata non dimitteret, sed jam dimissa supponeret per contritionem perfectam; ergo declarativa dumtaxat foret peccati jam dimissi.

Confirmatur 2. Quia Lex nova longè facilior est, suavior, ac levior
Mat. 11. v. 30. veteri: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, ait Christus. Atqui si in Pœnitentiæ Sacramento requireretur actus perfectæ contritionis, Lex nova facilior ac levior non esset circa remissionem peccatorum assequendam: nam in antiqua Lege sufficiebat actus contritionis perfectæ, sine Sacramento aut ejus voto; nunc autem præter actum perfectæ contritionis, requiritur Sacramentum, quod sanè non sine aliqua molestia & difficultate potest suscipi.

Respondent 1. adversæ partis Theologi, suam Sacramento Pœnitentiæ vim & efficaciam semper conservari, cùm, ut ait Tridentina Synodus, perfecta contritio non reconciliet hominem sine voto Sacramenti quod includit, aliunde verò ipsamet contritio pars est Sacramenti; ergo Sacramentum ipsum semper est efficax.

Refellitur responsio: tùm quia Concilium Tridentinum dixit præcipuam hujus Sacramenti vim positam esse in verbis formæ, non dixit in contritione: tùm quia contritio, prout antecedit hoc Sacramentum & justificare dicitur in voto Sacramenti, non confert ad remissionem peccati ex opere operato, & virtute clavium, sed ex dispositione tantùm operantis, quemadmodum & ante institutionem hujus Sacramenti justificabat; ergo, juxta responsionem adductam, peccatum non dimittitur ex opere operato & virtute clavium, quod pugnat cum doctrina Ecclesiæ.

Respondent 2. aliqui, malè inferri Sacramentum Pœnitentiæ fore inutile, & absolutionem esse dumtaxat declaratoriam peccati jam dimissi, siquidem vi Sacramenti & augetur gratia, & pœna peccatis debita remittitur.

Refellitur responsio, quia efficacia Sacramenti pœnitentiæ non in eo dumtaxat versatur ut augeat gratiam, sed ut primò illam restituat; neque ut relaxet tantùm pœnam temporalem, sed etiam æternam, cujus reatus ab ipsa culpa peccati non separatur.

Respondent 3. aliqui, efficaciam Sacramenti in eo maximè elucere, quòd homo qui attritus dumtaxat accessit, virtute Sacramenti interiùs immutetur & fiat contritus, ita ut attritio sit dispositio ad contritionem.

Refellitur: tum quia Concilium Tridentinum non dixit attritionem disponere ad contritionem, sed ad gratiam in Sacramento percipiendam: tùm quia realis illa & interior immutatio pœnitentis, qua de attritio fit contritus, non satis cum experientia conciliari potest; pauci enim sunt qui virtute Sacramenti sentiant in se excitari actum perfectæ contritionis: non igitur hoc sensu pœnitens de attrito dicitur fieri contritus, quòd attrito ducat ad contritionem; sed quòd accedente Sacramento, ad quod proximè disponit attritio, accipiat gratiam sanctificantem, quæ habitu est perfecta contritio:

tùm

tum denique quia majus quiddam non est ac difficilius disponere proximè ad perfectam contritionem, quàm ad gratiam Sacramenti: atqui prius admittere videntur auctores tertiæ hujus responsionis. Et verò mutatio illa hominis de attrito in contritum, vel fit virtute Sacramenti actu & formaliter percepti, vel præcedit tempore aut saltem natura illius actualem perceptionem. Si prius, mutatio illa effectus est Sacramenti, non dispositio, de qua hìc loquimur. Si posterius, integra remanet difficultas, nempe contritionem charitate perfectam necessariam esse dispositionem ad Sacramentum Pœnitentiæ; adeoque priùs quàm actu percipiatur Sacramentum, pœnitentem Deo reconciliatum esse, ac consequenter absolutionem Sacerdotis verè non remittere, sed declarare dumtaxat dimissum esse peccatum.

Omittimus hìc referre momenta quæ solent objici, ut probetur necessitas amoris Dei perfecti in Sacramento Pœnitentiæ: de illis enim suus aptior erit dicendi locus Quæstione sequenti, ubi expendendum erit an & qualis amor Dei requiratur, ut attritio sit dispositio sufficiens ad Sacramentum debitè percipiendum.

## ARTICULUS IV.

### *An, & quale votum seu desiderium Sacramenti necessarium sit, & includatur in contritione perfecta.*

PEr votum Sacramenti intelligunt Theologi desiderium seu voluntatem percipiendi Sacramentum.

Duplex distingui solet, unum explicitum, quod rei cognitionem & expressam ejus obtinendæ voluntatem importat; alterum generale & implicitum, quo generatim homo desiderat implere omnia Dei mandata, & sic animo est comparato, ut ea reipsa adimpleret, si ea cognosceret. Tale votum seu desiderium semper includitur in contritione perfecta: fieri quippe non potest ut aliquis Deum perfectè diligat, quin eo ipso velit ipsi in omnibus placere, ejusque observare mandata.

Aliud autem est, votum rei alicujus esse necessarium, & rem necessariam esse in voto: prius significat voluntatem observandi rem præceptam, esse necessariam; posterius, rem præceptam tantæ necessitatis esse ad salutem, ut si non reipsa, saltem voto debeat haberi: quod votum, Deo ita miserante, rei ipsius vicesgerit, ac idem præstat, quamquam non eodem modo; votum enim Sacramenti non agit ex opere operato, sicut Sacramentum, sed ex opere dumtaxat operantis, & gratia quæ infunditur, propriè sacramentalis non est. *Discrimen est inter votum rei necessarium, & rem in voto necessariam.*

Quæstio igitur hìc est 1. utrum in contritione perfecta votum Sacramenti Pœnitentiæ includatur. 2. quale debeat esse: an explicitum, an implicitum sufficiat; circa quod more suo dissentiunt Theologi.

CON-

## CONCLUSIO.

**Votum seu desiderium Sacramenti Pœnitentiæ includitur in contritione perfecta: debere illud esse explicitum, in his quibus lex Baptismi & Pœnitentiæ promulgata est, probabilius nobis videtur.**

Duæ sunt Conclusionis partes.

Prima pars manifesta est ex Concilio Tridentino Sess. *6.* cap. *6.* ubi agens de modo quo præparari debent ad obtinendam justificantem gratiam, ii qui sunt baptisandi, post multa ait: ***Denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.***

*T. 14. Conc. p. 759. A*

Et Sess. 14. cap. 4. ***Fuit,*** inquit, ***quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus necessarius; & in homine post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum Sacramentum requiruntur.*** Et infrà ait, ***reconciliationem, quæ per contritionem perfectam obtinetur, non esse adscribendam ipsi contritioni, sine voto Sacramenti quod in illa includitur.***

*Ibid. p. 817. B.* *Ibid. D.*

Quæres quid sit peccata remitti per Sacramentum Pœnitentiæ in voto.

Respondent aliqui, sensum esse peccata non dimitti per contritionem perfectam, nisi sub obligatione & conditione percipiendi Sacramentum. Verùm expositione indiget hæc responsio. Si enim sensus sit, peccata non dimitti nisi cùm impletur conditio, hoc est Sacramentum percipitur, falsa est: contritio enim perfecta, ex dictis, statim hominem Deo reconciliat, nec expectat ut impleatur dicta conditio à qua non dependet. Si verò sensus sit, peccata dimitti quidem, sed per ordinem ad futurum Sacramentum, cujus percipiendi lex data est, & nobis incumbit obligatio, vera est responsio.

Resp. itaque, his verbis exprimi tantam esse Sacramenti Pœnitentiæ necessitatem, ut si reipsa haberi non possit, saltem in voto necessarium sit ad obtinendam veniam peccatorum cum ordine ad ipsum Sacramentum; ita ut ex parte nostra faciamus quidquid necessarium est ut Sacramentum percipiamus: atque inde fit, ut etsi remittatur peccatum per contritionem perfectam, semper id fiat in ordine ad Sacramentum. Ad eummodum quo in emptione rei alicujus, ante solutum integrum pretium, dominium & possessio rei confertur quidem & absolutè datur, sed tamen cum ordine ad futuram integram solutionem: unde quando hæc postea fit, licèt non acquiratur novum aut majus dominium talis rei, solvitur tamen pretium, & prior contractus in suo ordine completur. Eo quoque modo dicimus peccata dimitti per contritionem in ordine ad futurum Sacramentum, quasi ad futuram solutionem: unde quando postea percipitur Sacramentum, completur contractus prior, quantùm ex parte nostra oportet & fieri potest.

*Ita Suares de Pœnit. disp. 17. sect. 2 n. 7. p. 252.*

Accedit præterea, quòd etiam tunc per Sacramentum completur quodammodo justificatio prior, quæ minùs perfecta fuerat ob defectum Sacramenti, postea verò perficitur, & infunditur gratia per se sufficiens ad remissionem peccatorum, quæ gratia sacramentalis, per se etiam loquendo, erat necessaria, & cum ordine etiam ad illam data fuerat prior remissio; & ideo licèt

licèt quoad remissionem peccati, in re nihil ei addatur, tamen quoad positivam formam expulsivam peccati, aliquid ei additur: unde facilè colliges, Sacramenti perceptionem necessariam esse nec inutilem, cùm per contritionem perfectam dimissa sunt peccata.

Secunda pars Conclusionis probatur ex adductis modò Concilii Tridentini testimoniis, in quibus distincta fit mentio voti Sacramenti quod includitur in contritione: atqui si de voto seu desiderio implicito & generali Synodus dumtaxat loqueretur, inutile fuisset expressam facere illius mentionem, cùm certum sit tale votum omnium mandatorum Dei includi in contritione, nec ab ea posse separari.

Præterea, votum medii quod ex ordinatione divina necessarium est ad salutem, debet esse diversum à voto rei, quæ ex præcepto tantùm est necessaria: atqui votum rei istius debet esse saltem implicitum. Sic morti proximus debet implicitum saltem habere desiderium Eucharistiæ & Unctionis extremæ, quia utrumque Sacramentum ex præcepto necessarium est; ergo votum Sacramenti Pœnitentiæ, quod est medium absolutè necessarium ad salutem, debet esse explicitum: aliàs majoris necessitatis non foret votum Baptismi & Pœnitentiæ, quàm cujuslibet alterius mandati Christi.

Ratio est, quia cùm Sacramentum re perceptum necessarium est necessitate, ut vocant, medii, votum seu desiderium illius, Deo ita indulgente, supplet in casu necessitatis vices Sacramenti; ergo singulari aliqua ratione, distincta à desiderio observandi cætera Dei mandata, requiritur votum hujus Sacramenti: at non alia est singularis ratio magis distincta, nisi quòd rei, quæ necessaria est medii necessitate, desiderium debet esse explicitum, non verò rei, quæ necessaria est dumtaxat ex præcepto, cujus proinde votum implicitum sufficit.

## QUÆSTIO QUINTA.

*De contritione imperfecta, seu attritione.*

Attritionis nomen, inquit Estius in 4. dist. 16. paragr. 9. *Scripturæ & Patribus incognitum, à Scholæ Doctoribus distinctionis & doctrinæ causa fuit excogitatum, ad significandum dolorem de peccato, seu pœnitentiam quamdam imperfectam. Sicut enim* (pergit ille) *in corporalibus attritum dicitur, quod aliquo modo, nempe forinsecus tantùm, læsum est aut comminutum; contritum verò, quod totum intus & foris fractione in minima resolutum est, ita in spiritualibus attritio ab illis dicta est imperfecta quædam & aliquò usque tantùm progressa pœnitentia, contritio verò pœnitentia intima & perfecta.* Pag. 116.

Morinus Lib. 8. de Pœnit. cap. 2. num. 14. narrat qua occasione inductum sit in Scholas Theologorum, attritionis vocabulum. *Cùm*, inquit, *apud antiquos Scholasticos, Magistro & ipsius discipulis ab eo viva voce edoctis immediatè succedentes, ratum esset contritionem, justificationis & gratiæ gratum facientis esse pedissequam, nomen illis excogitandum fuit, quo præparationes ad gratiam gratumfacientem suscipiendam notare & indigitare possent. Hactenus enim contritione cordis & compunctione significatæ fuerant.... Nomen autem illud fuit Attritio, quo hæc omnia complexi sunt. Illo, ut jam in Scholis* Pag. 505. col. 2. C.

*vulga-*

*vulgato, utuntur Alexander Alensis, Guillelmus Parisiensis, & Albertus magnus, & posteriorum nemo illud preteriit. Nonnulli tamen eodem tempore illud aut non agnoverunt, aut neglexerunt; sed auctorum qui hos antecesserunt, nullus mihi cognitus attritionem commemoravit, licèt easdem cum his quæstiones agitarent: itaque nomen illud in Scholis vulgari cœpit post annum 1220. centum & paucissimis annis post natam Scholasticam.* Ita Morinus pag. 505.

Quomodo differat contritio & attritio. Quomodo autem differant inter se contritio & attritio, an specie seu natura, an tantùm intensionis gradu & accidentaliter, sicut perfectum ab imperfecto, non consentiunt Theologi: pendet istud ex varia eorum sententia circa motivum utriusque. Qui veram in utraque charitatem exigunt, illas non specie ac natura, sed tantùm accidentaliter, ratione intensionis graduum, differre; qui verò distinctum specie motivum, amorem scilicet veræ charitatis in contritione, & amorem spei in attritione postulant, ii specie ac natura contritionem & attritionem distingui arbitrantur: atque inde vario modo intelligitur decantatum istud apud veteres Scholasticos axioma, *Pœnitens in Sacramento Pœnitentiæ fit de attrito contritus*. Juxta priorem sententiam, cùm eadem charitas sive ante Sacramentum, sive vi Sacramenti gradu & intensione augetur, intra eamdem speciem attritio fit contritio: in posteriori verò sententia, attritio nunquam potest fieri contritio; quæ enim natura & specie differunt, in se invicem converti ac transmutari non possunt: pœnitens igitur de attrito contritus fieri dicitur, vel cùm amori concupiscentiæ seu spei accedit amor benevolentiæ seu charitatis; vel cùm virtute Sacramenti infunditur gratia sanctificans, quæ habitu & natura sua vera est ac perfecta charitas diffusa in cordibus per Spiritum sanctum.

Doctrina Concilii Tridentini. *To. 14. Conc. p. 817. D. E.* Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. postquam assignavit charitatem pro motivo contritionis perfectæ, de attritione hæc addit. *Docet sancta Synodus, illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cùm spe veniæ; declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat; & quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Synodus his verbis & errorem Lutheri perstringit, & attritionis duplex ordinarium assignat motivum, turpitudinem nempè peccati, & timorem pœnarum; tùm conditiones attritionis, & fructum seu utilitatem exponit. Conditiones istæ sunt, ut excludat voluntatem peccandi, adjunctam habeat veniæ spem, & sit ex impulsu Spiritus sancti; effectus verò in eo est, ut pœnitentem adjuvet, ipsi viam ad justitiam paret, eumque disponat ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam.

Duplex attritionis motivum. Ex istis porrò duplex dumtaxat motivum attritionis hìc expendimus, præcipuè verò timorem gehennæ ac pœnarum, de quo potissimùm disputatio movetur; de consideratione quippe turpitudinis peccati vix ulla difficultas est.

Turpitudo peccati quæ. Fatentur omnes non sufficere eam turpidinis peccati considerationem, ex qua pœnitens in opinione hominum quamdam infamiam contrahit; sed eam requiri, quæ ad offensam Dei, seu læsam divinam justitiam, ordinem ac

ac respectum includat. Unde Clerus Gallicanus anno 1700. meritò proscripsit inter alias multas, istam propositionem, n. 86. *Attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta & supernaturalis est. Hæc propositio*, ait Censura, *qua à dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.*

De solo igitur timoris motivo in præsenti Quæstione controversiam tribus sequentibus Articulis instituemus. Timor pœnæ.

Primus erit adversùs Novatores Lutheranos & alios, ac spectat naturam ipsam timoris, seu contritionis imperfectæ: an mala sit, vitiosa, non tantùm inutilis, sed etiam noxia, quæ hominem magis peccatorem & hypocritam reddat; an verò bona, honesta, laudabilis, & utilis ad salutem.

Secundus, an Concilium Tridentinum definierit vel non, amorem Dei necessarium esse in attritione, ut hominem disponat ad gratiam in Sacramento impetrandam.

Tertius, an & quis requiratur Dei amor in attritione, ut sit dispositio sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu percipiendum.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Utrùm attritio concepta ex gehennæ & pœnarum timore bona sit, honesta & laudabilis.*

#### *Varia timoris species distinguitur, & aperitur status quæstionis.*

SAnctus Thomas secunda secundæ q. 19. art. 2. in corpore, quatuor distinguit species timoris; mundani, servilis, filialis, & initialis inter utrumque medii.

I. Timor mundanus est, *quo quis sic malum timet, ut recedat à Deo*, ait Angelicus Doctor; hoc est, magis timet malum temporale quod inferri ab hominibus potest, quàm malum pœnæ æternæ. Timor ille mundanus malus est atque perversus, de quo dicebat Christus Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Hoc mundano timore correpti multi ex Principibus, qui Christo crediderant, cum palam & publicè profiteri non audebant, ne fortè Pharisæis displicerent & è Synagogis ejicerentur. Joan. 12. v. 42. *Propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Timor mũdanus.

II. Est timor servilis, per quem culpam aliquis fugit propter pœnam ipsi annexam: quod quidem cùm duplici modo fieri possit, duplex distinguitur timor servilis, unus simpliciter servilis, quo quis peccatum fugit ex metu pœnæ, tanquam ex motivo & fine proximo, & abstrahit ab eo quod ageret, si pœna peccatoribus non esset intentata; alter serviliter servilis, quo quis peccatum metu pœnæ exteriùs quidem non committit, sed ita est actu saltem implicitè & conditionatè affectus, ut si posset impunè, illud ultrò committeret. *Servilitas autem*, ait S. Thomas secunda secundæ qu. 19. art. 4. in corp. Timor servilis, & serviliter servilis.

corp. *non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis*. Vitium est non timoris, sed timentis. Duo ista malignè confundunt Novatores; & quæ de timore serviliter servili, qui malus est, à SS. Patribus dicuntur, ea transferunt ad timorem simpliciter servilem.

Timor filialis, & incipiēs & perfectus. III. Timor filialis dicitur, quia proprius est filiorum Dei, qui ex charitate & amore justitiæ, non timore pœnæ, Deum amantissimum patrem ac dominum peccando offendere pertimescunt; de quo timore dicitur Eccli. 2. v. 6. *Serva timorem illius, & in illo veterasce: nam qui sine timore est, non poterit justificari*. Et Psalm. 18. v. 10. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*. ibid. 1. v. 28.

IV. Timor initialis ille est, juxta S. Thomam, quo quis ad Deum convertitur, eique inhæret, tùm propter timorem culpæ, tùm propter timorem pœnæ. Audiatur S. Thomas loco mox citato secunda secundæ q. 19. art. 2. in corp. ubi mentem suam circa naturam timoris mundani, servilis, filialis, & initialis clarè aperit. *Cùm enim*, inquit, *objectum timoris sit malum, quandoque homo propter mala quæ timet, à Deo recedit, & iste dicitur timor humanus vel mundanus: quandoque autem homo propter mala quæ timet, ad Deum convertitur, & ei inhæret; quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis: si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis . . . . . si autem propter timorem utrumque, erit timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem*. Hæc S. Thomas, quibus certè nihil expressius desiderari potest.

Quæstio hìc non est de timore Dei filiali aut initiali; fatentur enim omnes, vel ipsi Novatores, bonum illum esse, rectum ac laudabilem.

Quæstio pariter non est de timore, aut mundano, aut serviliter servili, qui peccandi voluntatem nullo modo excludit: ab omnibus uterque reprobatur ac rejicitur.

Quæstio etiam non est, an timor gehennæ generatim ac secundùm se consideratus bonus sit, rectus ac licitus: non negat Jansenius Lib 5. de gratia Christi Salvatoris c. 21.

Quæstio igitur in eo versatur unicè, an timor simpliciter servilis, quo quis peccatum fugit propter pœnam ipsi impositam, tanquam motivum & finem proximum, abstractione facta finis ultimi ad quem ille per charitatem non refertur; utrùm, inquam, timor ille hìc & nunc semper malus, sit perversus, inordinatus, verumque saltem omissionis peccatum, eo ipso quòd ex motivo charitatis non fiat, nec ad Deum tanquam ad finem ultimum referatur; & utrùm timor ille nunquam peccandi voluntatem saltem implicitam & conditionatam excludat, sed è contra illam semper adjunctam habeat.

## ERRORES.

Asserit Lutherus, qui contritionem ex tali timore conceptam contendit liberam non esse, sed extortam, violentam & coactam, hominemque magis peccatorem & hypocritam facere: cujus erroris fundamentum & quasi radix est, omnem humanam actionem, quæ non provenit ex charitate perfecta, habituali & sanctificante, verum esse peccatum; atque ante illam homi-

hominem tantò à gratia comparanda remotiorem fieri, quantò magis ad eam se disponere ac præparare nititur.

Qui verò cum Bajo, Jansenio, Quenellio sentiunt non quidem habitualem, sed actualem charitatem propriè dictam, necessariam esse ad omnem humanam actionem, ut sit moraliter bona, non verum peccatum; ii consequenter ajunt attritionem ex solo metu pęnarum conceptam, vitiosam esse, verumque saltem omissionis peccatum, eo ipso quòd ex motivo charitatis non fiat, nec ad Deum, tanquam ad finem ultimum referatur. Erroris fundamentum est, nullum esse medium inter vitiosam cupiditatem, & laudabilem charitatem; & quidquid ab homine fit, esse vel à cupiditate, ac consequenter malum; vel à charitate, ideoque rectum & honestum. Fusè istud prosequitur Jansenius L. 3. de statu naturæ lapsæ c. 19.

Inde consectarium est ut doceant 1. sine actuali charitate, ac solo pęnarum metu nunquam excludi interiorem peccati voluntatem, saltem implicitam & conditionatam. 2. timorem illum pęnarum invitum ac violentum esse, non liberum. 3. timorem pęnæ, & opus ex isto timore factum, etiam fide supposita, non esse supernaturalem, seu ex gratia Christi, sed ex viribus naturæ. Hęc reipsa docet Jansenius L. 5. de gratia Christi Salvat. cap. *Edit.*
27. *Impossibile est*, inquit, *ut ille qui in peccandi proposito constitutus est, so-* *Rothom.*
*la pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatumque detestetur, ut non pec-* *p. 237. col. 2.*
*cet.* Ibid. c. 25. & 26. ex professo probat timorem illum, etiam supposita fide, B. C.
naturalem esse, ex propriis viribus naturæ, non verò ex impulsu & gratia
Spiritus sancti. Ibid. cap. 29. probat eum pęnæ timorem invitum esse ac violen- *p. 240.*
tum, *quo non peccatum, sed aliud quidpiam fugitur.* Rationem profert cap. 24. *col. 1.*
*quia nascitur*, inquit, *ex amore creaturæ & sui.* Denique L. 3. de statu naturæ *P. 234.*
lapsæ c. 17. *Ineptum est dicere*, inquit, *illum qui invitus fecerit præceptum quod* *col. 2.* *T. 2. p.*
*facit, opus moraliter bonum facere.* *208. col.*
Magistrum sequitur Quenellius. Inter multas ejus propositiones à Cle- *1.*
mente XI. tota suffragante per orbem diffusa Ecclesia, damnatas, istæ sunt quæ ad rem nostram pertinent. Sexagesima prima: *Timor nonnisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.* Sexagesima secunda: *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam reus est coram Domino.* Sexagesima. *Si solus supplicii timor animat penitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem.* Eodem quo Jansenius fundamento nititur; nempe, *non esse nisi duos amores*, (Prop. 44.) *unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remunerat; & amorem quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Idem Prop. 45. 46. & 47. cujus postremæ hæc verba sunt. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exteriùs: alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Et Prop. 49. *Ut nullum est peccatum sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.* Mitto alias.

Primum autem ac fundamentale hujusce doctrinæ principium, quod clarè insinuat jam relata Quenellii quadragesima quarta Propositio, istud est; nempe unumquemque, vi præcepti dilectionis Dei, sub pęna peccati, saltem

omiſſionis, teneri omnes ſuas actiones ex motivo propriæ charitatis ad Deum, tanquam ad finem ultimum, virtualiter ſaltem referre. Verùm obſerva hìc obiter, præceptum dilectionis Dei partim negativum eſſe, ac partim affirmativum. Certum autem videtur, qua parte negativum eſt, ſemper obligare; id eſt teneri ſemper hominem nihil omnino facere, quod huic præcepto adverſetur, ſeu nunquam peccare; qua parte verò affirmativum eſt, non obligare ſemper ac pro ſemper, pro natura ſcilicet præcepti affirmativi. Ita expreſsè S. Thomas, quem perpetuò hìc nobis opponunt, ſed cujus verba vel ex parte ſupprimunt, vel adulterant. Audiatur S. Doctor prima ſecundæ q. 88. art. 1. ad 2. *Præceptum*, inquit, *Apoſtoli* ( Omnia in gloriam Dei facite ) *eſt affirmativum, unde non obligat ad ſemper; & ſic non facit contra hoc præceptum, quicumque actu non refert in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit ergo quòd aliquis habitualiter referat ſe & omnia ſua in Deum, ad hoc quòd non ſemper mortaliter peccet, cùm aliquem lactum non refert in gloriam Dei actualiter.* Et q. 100. art. 10. ad 2. *Sub præcepto charitatis*, ait S. Thomas, *continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum . . . . Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt,* Honora parentes; *ſed ex vi hujus præcepti*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Et cùm iſta ſint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare; & ita poteſt contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi charitatis.* Ibid. q. 88. jam citata art. 1. ad 2. ſic loquitur S. Doctor. *Dicendum quòd illud preceptum Apoſtoli* ( primæ Cor. 10. ) *eſt affirmativum, unde non obligat ad ſemper.* Verùm his obiter prælibatis, de quibus ſuus proprius erit alibi dicendi locus,

Duo hìc diligenter obſervanda ſunt.

Primum, longum diſcrimen eſſe inter hæc duo; actum virtutis v. g. fidei, ſpei, aut timoris ſupernaturalis, ex ſeſe abſque charitate mereri non poſſe vitam æternam; & illum verum eſſe peccatum, ſaltem omiſſionis, dignum æternis ſuppliciis. Primum verum eſt: alterum in Novatoribus, velut erroneum damnamus.

Secundum, in homine peccatum ex metu pœnarum refugiente, iſta diſtinguenda eſſe. 1. actum exteriorem peccati. 2. abſolutam & efficacem hìc & nunc peccandi voluntatem. 3. hypotheticam voluntatem actualem, ſi non explicitam, ſaltem implicitam ac intùs latitantem, ſeu affectum actualem ad peccatum. 4. voluntatem habitualem peccati, ſeu affectum habitualem ad peccatum, qui nihil aliud videtur eſſe quàm habitualis quædam ac libera voluntatis ad peccatum converſio: dicitur autem libera, quatenùs ex peccato propria ac libera voluntate contracto, quodque retractari potuit, fluit ac ſequitur. 5. maculam ſeu reatum ex peccato nondum revocato ac dimiſſo, animæ inhærentem. 6. propenſionem generalem ad malum, ſeu concupiſcentiam, quæ à peccato eſt, & ad peccatum inclinat.

Certum eſt per timorem ſimpliciter ſervilem excludi actum exteriorem peccati, ſicut & abſolutam ac efficacem peccandi voluntatem. Certum eſt etiam, per eundem timorem non excludi habitualem voluntatem peccati, hoc eſt, maculam & reatum ex peccato nondum dimiſſo animæ inhærentem: ſola ete-

la etenim charitas justificat, & operit multitudinem peccatorum. Non excludit etiam generalem, quæ naturæ nostræ corruptæ inest, ad malum propensionem: namque semper hac in vita remanet concupiscentia, ad agonem & exercitium virtutis. Superest igitur quæstio, utrùm timor ille excludat affectum habitualem ad peccatum, aut saltem hypotheticam ac conditionatam peccati voluntatem, tùm explicitam, tùm etiam implicitam. Negant Recentiores nonnulli: scilicet existimant, timore servili duo esse secernenda, timorem nempe pœnæ; & servilitatem ei conjunctam, hoc est, voluntatem actualem peccatis intùs latitantem. Porro, inquiunt, voluntas illa actualis ac conditionata, seu affectus peccati, in ipsius animi medullis viget semper & latenter vivit, donec in corde regnet ac dominetur charitas propriè dicta.

Ut autem manifestè pateat hanc esse Recentiorum nonnullorum mentem circa vim timoris servilis, audiendus est unus ex illis Tractatu de Pęnitentia, parte 1. pag. 299. ubi hæc docet: *primùm, timorem continere à peccato exteriori; secundum, comprimere etiam posse absolutam & efficacem hic & nunc peccandi voluntatem, remanente tamen intùs hypothetica.* Eo ferè modo quo mercator furente tempestate, ac imminente naufragii periculo; merces in mare projicit, quas amat tamen & servare vellet. *Sic*, inquit, *qui ob timorem gehennæ propositum peccatum fugit, is sibi quidem fortè temperat etiam animo, ne in illud absoluta voluntate feratur: sed adjuncta tamen ea conditione, ut peccaret, nisi pœna & majoris infortunii metus cohiberet. Tertium, si homo in hanc voluntatem hypotheticam & intimam animi præparationem oculos reflectat, continget etiam forsan ut eam reprimat, nec erumpat in actum expressum & explicitum; sed ea nihilominùs in ipsius animi medullis vigebit semper, & latenter vivet, si non in hoc quod propositum fuit, saltem generatim in malum propensa. Quartum, si demus timore posse etiam omnem peccandi voluntatem expelli, id non præstabit, nisi alterius affectus substitutione: regnat enim semper in corde aliquis amor, non potest ergo quis sese à peccati affectu avocare, quin alium inducat: is autem erit aut amor sui, aut amor Dei: si amor sui, is adhuc vitiosus est, creaturæ enim affigit; si autem amor Dei, habemus quod omnibus votis exoptamus.* Aperta ista sunt nec involuta. Timor excludere quidem potest in mente illorum Theologorum, absolutam, imò & aliquando hypotheticam peccandi voluntatem, ac impedire ne in actum expressum & explicitum erumpat; attamen remanente semper in intimis animi medullis occulta & latitante etiam actuali voluntate seu affectu peccati. Neque dissimulat Auctor præcipuum hujusce doctrinæ fundamentum, nempe nullum esse medium inter amorem Dei & creaturæ, inter vitiosam cupiditatem, ac laudabilem charitatem; atque id omne quod ex motivo propriæ charitatis ad Deum, tanquam ad finem ultimum virtualiter saltem non refertur, verum esse saltem omissionis peccatum.

Alii Theologi, hoc rejecto erroneo principio, sentiunt, per timorem simpliciter servilem excludi, saltem actualem omnem ad peccatum affectum, sive absolutum, sive conditionatum, sive explicitum, aut implicitum, occultum ac latitantem. Ratio manifesta est: quia concipi non potest qua ratione timor possit disponere pęnitentem ad gratiam Sacramenti, quemadmodum docet Concilium Tridentinum, quamdiu vivit ac perseverat in eo actualis ad peccatum affectus, etiam implicitus, occultus ac latitans.

Dixi, per timorem excludi *ſaltem* omnem ad peccatum actualem affectum: plurimi enim ſunt Theologi, qui exiſtimant omnem omninò cujuslibet peccati affectum & voluntatem, tùm actualem, tùm etiam habitualem, ſolo pœnarum metu deponi & excludi, atque firmum & efficax propoſitum concipi non peccandi de cętero. His præmiſſis, ſit

## CONCLUSIO.

Contritio imperfecta, ſeu attritio, concepta ex motivo timoris pœnæ æternæ, quo peccatores ad fugam peccati & pœnitentiam moventur, bona eſt, laudabilis, donum Dei: unde non ſemper adjunctam habet, uti volunt Recentiores nonnulli, actualem peccandi voluntatem conditionatam, ſaltem implicitam ac intùs latitantem: nec peccati etiam omiſſionis reus eſt, qui ita timet.

Probatur 1. ex Scripturis, tùm veteris tùm novi Teſtamenti.

Exodi 2. v. 20. *Ut probaret vos venit Dominus, & ut terror illius eſset in vobis, & non peccetis.*

Deuteronomii 6. v. 13. *Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſervies.*

Proverbiorum 1. v. 7. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Etc. 14. v. 27. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.*

Eccli. 1. v. 22. & ſeq. *Corona ſapientiæ timor Domini, repetens pacem & ſalutis fructum .... Utraque autem ſunt dona Dei. Radix ſapientiæ eſt timere Dominum ... Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poteſt juſtificari.* Et cap. 2. v. 19. & ſeq. *Qui timent Dominum, inquirent quæ benè placita ſunt ei .... Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas ... & patientiam habebunt uſque ad inſpectionem ejus, dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* En clarè expreſſus pœnarum timor, qui eſt pœnitentiæ objectum, motivum, & finis proximus. Timorem hunc à Deo poſtulabat David Pſalmo 118. v. 120. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis tuis timui.*

Iſaias cap. 33. v. 14. æternæ pęnæ timorem peccatoribus velut frænum objicit; *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?*

Matthæi 10. v. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potiùs timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* At quomodo hæc omnia ſtarent, ſi in eo qui ob ſolum gehennæ timorem peccatum fugit, vigeret ſemper ac latenter viveret actualis quidam ac hypotheticus ad peccatum affectus, ſaltem implicitus?

Probatur 2. ex SS. Patribus, & Eccleſiæ conſtanti Traditione.

P. 128. C. Tertullianus L. de Pœnit. capite ultimo. *Si de exomologeſi retractas,* inquit, *gehennam ex corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet; & pœnæ priùs magnitudinem imaginare; ut de remedii adeptione non dubites.*

P. 273. S. Clemens Alexandrinus Lib. 2. Stromatum, ante medium: *Prima,* inquit, *ad ſalutem inclinatio nobis fides apparet, poſt quam timor & ſpes &*
ibid. B. *pœnitentia .... nos ducunt ad charitatem.* Et paulò poſt: *Qui timorem accuſant,*

*sant, legem insectantur; quòd si legem, clarum est quòd illum quoque qui legem dedit.* Et Lib.7.pag. 536. *Justitia est duplex: una quidem propter charitatem, alia verò propter metum; jam verò abstinentiam à malis operatur is qui timet.*

S. Cyprianus Tractatu de lapsis, *Deus*, ait, *quantùm pietate patris indulgens semper & bonus est, tantùm Judicis majestate timendus est.* P. 178.

Denique S. Augustinus, ut alios innumeros prætercam, in Psalm. 127. exponit quid sit timor castus, & non castus seu servilis. *Alius*, inquit, *non in hac terra pati timet, sed gehennas timet, unde terruit & Dominus. Audistis cùm Evangelium legeretur, Ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hoc homines; & quia verè futura sunt impiis, timent & continent se à peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam.* ( En character timoris servilis. ) *Cùm autem per timorem continent se à peccato*, pergit S. Doctor, *fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus; & jam incipit homo propterea justè vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat justitiam.* ( En progressus timoris servilis. ) Deinde adducta comparatione, egregiè illustrat S. Doctor quid sit timor servilis, & timor castus. *Pone*, inquit, *aliquam feminam castam timentem virum suum: aliam pone adulteram, & ipsa timet virum suum. Casta timet, ne discedat vir; adultera, ne veniat. Quid, si ambo absentes sunt? Illa timet ne veniat, illa ne tardet. Absens est quodammodo cui desponsati sumus, absens est qui nobis arrham dedit Spiritum sanctum ..... Absens est sponsus noster, interroga conscientiam tuam .... Quàm multi, si dicatur illis: Ecce jam Christus, cras dies Judicis, non dicunt, Utinam veniat! Qui enim dicunt, multùm amant; & si dicatur illis, Tardabit, timent ne tardet, quia timor castus est. .... Castus ergo timor venit de amore: ille autem timor nondum castus, præsentiam ( Domini ) & pœnas timet. Timore facit quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus sponsi pulcherrimi; sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor.* T. 4. p. 1439. F. Ibid. p. 1440. B. Ibid. F. Ibid. p. 1441. A.

Et Sermone 161. aliàs 18. de verbis Apostoli: *Cùm dicis mihi*, inquit, *gehennam timeo, ardere timeo, in æternùm puniri timeo: Quid? dicturus sum, Malè times, vanè times, non audeo .... Planè time, nihil melius times; nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te, Si non te videret Deus, quando facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? .... Si faceres, ergo pœnam times, castitatem nondum amas, charitatem nondum habes: serviliter times; formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem: timor enim iste quo gehennam times, & ideò mala non facis, continet te; & sic volentem peccare animum interiorem non finit. Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis; littera est minans, nondum gratia juvans: custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, & veniet charitas, intrat in cor tuum; & quantùm illa intrat, timor tantùm exit. Timor enim id agebat ne faceres; charitas id agit ut nolis facere, etiamsi impunè possis admittere.* T. 5. p. 778. F. Ib. G.

Apertè distinguit hic S. Augustinus, timorem simpliciter servilem nondum castum, qui à malo abstinet; & timorem serviliter servilem, qui peccatum externè quidem cohibet, sed internam & actualem supponit pec-

candi voluntatem, qua quis sic est actu animo affectus & præparatus, ut re ipsa peccatum exteriùs consummaret, si nulla ipsi foret imposita pœna: qui profectò timor rejicitur. Alter verò timor simpliciter servilis, judice S. Augustino, bonus ac laudabilis est, qui *volentem peccare animum interiorem non*
T. 9. p. 168. E. *finit*; seu, ut loquitur Lib. 2. contra Epist. Petiliani cap. 83. num. 184. *intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem; qui hominem continet ac custodit*. Falsa est igitur ac meritò damnata ista sexagesima prima Quenellii Propositio, *Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*. Cùm ergo S. Augustinus variis in locis asserit, nonnisi amore justitiæ excludi peccandi voluntatem, nomine amoris justitiæ non intelligit charitatem verè & propriè dictam, sed dumtaxat charitatem latiùs & genericè sumptam, pro qualicumque pio voluntatis affectu erga bonum. Et certè sanctum Doctorem uni & soli charitati vim non tribuisse excludendi actualem peccandi voluntatem, constat ex locis mox allatis: in iis siquidem expressè agnoscit timorem intra claustra cogitationis cupiditatem coercere, atque non sinere seu permittere interiorem animum peccandi.

Denique idem S. Doctor L. de catechisandis rudibus c. 17. distinguens aliquot genera hominum qui ad fidem veniunt, ait aliquos esse, *qui propter beati-*
T. 6. p. 281. n. 27. *tudinem sempiternam & perpetuam requiem quæ post hanc vitam Sanctis futura permittitur, volunt fieri Christiani, ut non eant in ignem cum diabolo, sed in Regnum æternum intrent cum Christo*, & hos dicit *verè Christianos esse*. Timor ergo bonus est, sanctus & laudabilis.

Probatur 3. auctoritate S. Thomæ pluribus in locis. Secunda secundæ q. 19. art. 2. in corpore. *Quandoque*, inquit, *homo propter mala quæ timet, ad Deum convertitur & ei inhæret; quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ, & malum culpæ: si ergo aliquis convertatur ad Deum ut ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis; si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis . . . si autem propter utrumque, erit timor initialis*. Vides S. Doctorem ibi expressè asserere, per timorem servilem hominem ad Deum converti, eique inhærere. Qua porrò ratione id fieri posset, si timor ille actualem peccandi voluntatem, saltem implicitam & conditionatam, semper adjunctam haberet?

Ibidem art. 7. probat timorem, tùm filialem tùm servilem, initium esse sapientiæ. *Timor servilis*, inquit, *est sicut principium extra disponens ad sapientiam; in quantùm aliquis timore pœnæ discedit à peccato, & habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, secundùm illud Eccli.* 1. Timor Domini expellit peccatum.

Rursùs ibid. art. 9. in corpore sic loquitur: *Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus sancti, licèt sit à Spiritu sancto*. Profectò timor qui à Spiritu sancto procedit, bonus est, honestus ac laudabilis, nec annexam semper habet actualem peccandi voluntatem, ut per se manifestum videtur: timor autem servilis, ex Angelico Doctore, ex Spiritu sancto procedit.

Probatur 4. ex Concilio Tridentino. Sess. 6. Can. 7. adversùs Lutherum
T. 14. Conc. p. 765. sic statuit: *Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quan-*

*tò quis*

tò quis vehementiùs nititur se disponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema sit. Et Can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

Sessione decima quarta paulò antè hic citata, timoris naturam, conditiones & effectus exponit, declarat, ac commendat. *Hoc timore*, addit, *utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt*. Et Can. 5. ejusdem Sessionis sic definit: *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demùm illum esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema sit.* Porrò si gehennæ timor ex se sine actuali charitate malus esset ac perversus, si nusquam excluderet actualem peccandi voluntatem, si peccatum omissionis semper includeret, an donum Dei dici posset, impulsus Spiritus sancti, ac hominem præparare ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam? *Ibid. p. 817. E. Ibid. p. 824.*

Meritò igitur Alexander VIII. S. P. an. 1690. die septima Decembris, Decreto suo duas istas Propositiones damnavit, decimam quartam & decimam quintam inter triginta & unam. *Timor gehennæ non est supernaturalis. Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* *Recueil des Bulles pag. 306.*

Probatur denique momentis theologicis.

I. Timor cupiditatem reprimit, *saltem*, ait S. Augustinus L. 2. contra Epistolam Petiliani cap. 83. n. 184. *intra claustra cogitationis*. Mala opera cohibet, instillat justitiæ amorem. *Fit consuetudo justitiæ, & incipit amari quod durum erat, & dulcescit Deus*, ait ibidem S. Doctor in Psalm. 127. *& jam incipit homo justè vivere.*

II. Charitati locum parat, ad eam disponit. *Timor*, ait S. Augustinus Epist. 140. ad Honoratum c. 18. *pellit consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum.* Et L. 2. de adulterinis conjug. c. 19. *Timor facit ut quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum*. Et Tract. 9. in Epistolam Joannis. *Timor*, inquit, *locum præparat charitati; cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantùm illa crescit, ille decrescit.... Major charitas, minor timor.... si autem nullus timor, non est quà intret charitas.* *To. 2. p. 439. A. To. 6. p. 417. B. C. To. 3. p. 2. pag. 888. B.*

III. Timor gehennæ, tùm ex objecto suo seu fine proximo, tùm ex effectu, seu medio quo ad finem suum tendit, bonus & ordinatus est. 1. Objectum seu finis timoris, est fuga pœnæ maximè formidandæ: *Nihil est*, ait jam laudatus S. Augustinus Serm. 161. *quod magis timere debeas*, utpotè contrarium possessioni summi boni. Timor quippè alicujus mali sumit rationem suam, & consequenter honestatem, ex bono illo cui tale malum opponitur; ex amore quippè ac desiderio boni, oritur odium, vel fuga mali: at bonum illud cui gehennæ malum opponitur, per se maximè honestum est & amabile; ergo & timor rectus est ac laudabilis. 2. Medium quo utitur

timor

timor ad fugiendam pœnam, est emendatio vitæ, detestatio peccati, firmum illud de cætero non committendi propositum. At stare illa non possunt, nisi timor internam & actualem peccandi voluntatem excludat; illud enim omne excludere debet, quod pœnam æternam (quam timor refugit) meretur: at voluntas ipsa actualis peccandi, peccatum est quod æternam meretur pœnam; ergo si rectus sit timor, si supernaturalis & efficax, voluntatem illam actualem interiorem non peccandi excludere debet: concipi etenim non potest, ut jam diximus, quomodo stare possit & propositum melioris vitæ, quod in omni contritione debet includi, & dispositio legitima ad gratiam in Sacramento percipiendam, quamdiu vivit ac perseverat in homine actualis ad peccatum affectus, etiam implicitus, ac in medullis animi, ut loquuntur, occultus & latitans.

IV. Timor gehennæ ac pœnarum, non tantùm imperfectis & incipientibus, sed etiam perfectis ac sanctis ipsis utilis est ac necessarius, ut in virtute firmiores sint, & inter media supplicia constantes ac intrepidi. *Majore timore*, ajunt Martyres apud sanctum Augustinum in Psalm.68. Conc.1.
To.4.p. 691.B. C. *minora contemnimus... Quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum?* Idem argumentum præclarè urget S. Ambrosius in Psalm. 118. Sermone 21. & ipsemet Augustinus nonne de seipso dicebat Lib.8. Conf. c.11.n.25. *Tenebar, & instabas tu Domine, in occultis meis*
To.1.p. 155.A. *severa misericordia, flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursùs cessarem, & non abrumperetur id ipsum exiguum ac tenue quod remanserat, & revalesceret iterùm, & me robustiùs alligaret.*

Ex tertia ratione mox exposita facile est inferre, actum timoris gehennæ ac pœnarum esse proximè à virtute spei. Namque ejusdem est principii
To.6.p. 11. amare aliquod bonum, & odio habere contrarium malum. *Nulli dubium est*, ait S. Augustinus L.83. Quæst. q.33. *nullam aliam esse metuendi causam, nisi id quod amamus.* Cùm ergo amor quo beatitudo diligitur, ad spem pertineat, consequenter actus quo timetur malum contrarium supremo illi bono, ad spem quoque revocandus est.

### *Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. Quod opponitur charitati, non potest esse donum Dei: atqui timor gehennæ opponitur charitati, per quam scilicet expellitur, pronuntiante S. Joanne Epist. 1. cap.4. v. 18. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.*

Resp. nego min. Ad probationem dist. Charitas mittit foras timorem, sicut magis perfectum excludit minùs perfectum; quo sensu visio Dei beatifica excludit fidem & spem, concedo: mittit foras timorem, tanquam contrarium & malum, iterùm dist. timorem mundanum & serviliter servilem, concedo: simpliciter servilem sensu antea exposito, nego.

Objicies 2. Qui culpam fugit propter pœnam, ille videtur suo proprio commodo unicè consulere, atque pœnæ fugam spectare velut suum finem ultimum; & ita majus malum, nempè fugam peccati, referre ad minus, nempè ad fugam pœnæ: atqui istud certè inordinatum est.

Resp. nego maj. Qui enim ex laudabili timore pœnæ fugit peccatum, is

pœnæ

pœnæ fugam non spectat ut finem positivè ultimum, à quo abstrahit, sed ut finem proximum, qui rectus ac laudabilis est. Quòd si in fuga pœnæ ultimò positivè inhæreret, atque ita esset actu animo affectus, ut si posset impunè, peccatum committeret, profectò culpandus ille foret, ac inordinatè omninò timeret; quamquam inordinatio illa seu defectus, & ut loquitur S. Thomas, servilitas illa, non timoris ipsius vitium est, sed hominis timentis. *Si enim servilitas*, ait S. Doctor secunda secundæ q. 19. art. 4. in corp. *esset de ratione timoris servilis, oporteret quòd timor servilis simpliciter esset malus, sicut adulterium simpliciter est malum, quia id ex quo contrariatur charitati, pertinet ad adulterii speciem: sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis; species enim moralis habitus vel actus ex objecto accipitur: objectum autem timoris servilis est pœna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis ultimus; & per consequens pœna timeatur tanquam principale malum.*

Ad probationem dist. pariter: ordinare majus malum ad minus, tanquam ad finem simpliciter ultimum *& principale malum*, est quid inordinatum, concedo: tanquam ad finem dumtaxat proximum, nego. Porrò qui fugit peccatum ex timore pœnæ, tanquam ex motivo ac fine proximo, ille non refert fugam peccati, quod est summum malum, ad fugam pœnæ, tanquam *ad principale malum* & finem simpliciter ultimum: adeoque in eo non peccat, quòd propter pœnæ timorem abstineat à peccato; imò rectè agit, tametsi de fine ultimo tunc non cogitet, sed ab illo abstrahat.

Instabis: Ut timor bonus sit, honestus ac laudabilis, necesse est ut culpa magis timeatur quàm pœna; culpa etenim majus malum est quàm pęna: porrò qui ex solo pœnarum metu à peccato abstinet, profectò plus timet pœnam quàm culpam; ergo &c.

Ad istud argumentum respondent aliqui cum Suare Disput. 50. Sect. 2. n. 9. negando majorem. Volunt illi scilicet, attritum eo actu quo detestatur culpam propter pœnam, magis quidem detestari pœnam quàm culpam; nihilominus tamen actum illum non esse inordinatum vel malum, quia non impedit quin idem ille homo simpliciter & propter alias rationes magis detestetur culpam quàm pœnam. Porrò, inquiunt, nullus tenetur semper & in omni actu suo magis detestari culpam quàm pœnam, modò non excludat rectum ordinem ad finem ultimum, seu ad Deum; eo enim ipso quo actus ex se bonus talem ordinem non excludit, virtualiter in ipsum refertur.

Respondet verò Sylvius Supplem. q. 1. art. 2. quæsito 1. & nostro quidem judicio rectiùs, negando minorem. Sicut enim non sequitur, Servus diligit dominum propter cibum quem ab eo expectat; ergo magis diligit cibum quàm dominum: Fideles Deum diligunt propter retributionem; ergo diligunt retributionem magis quàm Deum: ita nec sequitur, Pœnitens detestatur culpam propter pœnam; ergo magis detestatur pœnam. Ratio est, inquit Sylvius ibidem, quia licèt pęna sit finis proximus, non tamen excludit finem ultimum qui est Deus, ad cujus gloriam culpæ detestatio ac metus pœnæ est referibilis; & quamdiu non excluditur, ex se in illum tendit ac refertur.

Objicies 3. Timor qui non excludit peccandi voluntatem, sed eam potiùs supponit, bonus non est, nec honestus, nec supernaturalis: atqui talis est pœnarum timor. Minorem probant multis ex S. Augustino præsertim deprom-

To.2.p. depromptis testimoniis. Epist. 145. aliàs 144. *Inaniter*, inquit, *ille pu-*
470.n.4 *tat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi foris non im-*
*pletur negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis*. Et
Ibid. p. postea . . . *Inimicus Justitiæ est, qui timore pœnæ non peccat.... Nam qui ge-*
471.B. *hennas metuit, non peccare metuit, sed ardere*. Et in Psalm. 118. Conc. 25.
*Timor quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est;*
To.4.p. *& ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet*
1345.F. *in opere, quando speratur impunitas: cùm verò pœna creditur secutura, latenter*
*vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere quod Lex vetat*.

Multa alia hujuscemodi congerit Jansenius ejusdem S. Doctoris testimonia L. 5. de gratia Christi cap. 27. 28. & 29.

Resp. 1. nego maj. Simili argumento probaretur, actum fidei informis malum esse, quia ex sese non excludit peccandi voluntatem: atqui tamen actus fidei informis ex suo objecto, officio, & fine proximo bonus & honestus est: *informitas* enim illa, ut sæpiùs ex S. Thoma diximus, non pertinet ad speciem seu substantiam fidei informis, sicut *servilitas* non pertinet ad speciem timoris servilis; & idcircò ex suo objecto ac fine proximo, bonus, rectus ac laudabilis est timor servilis. Porrò eo ipso quo actus ex suo objecto ac fine proximo bonus est, rectus ac laudabilis, nec ulla prava afficitur circumstantia, in Deum ipsum tanquam in finem simpliciter ultimum, tùm ex natura & intentione operis, tùm ex intentione operantis saltem implicitè refertur.

Resp. 2. nego min. Timor quippe ex se bonus, honestus ac supernaturalis, id omne potest ac debet excludere, sine quo ad finem quem intendit, nempè fugam æternæ pœnæ, pervenire non potest: atqui si actualem peccandi voluntatem seu affectum non excludat, pœnam quam timet, effugere non potest: namque non modò actus exterior peccati, sed & actualis interior peccandi voluntas æterno punitur supplicio.

Ad probationem ex S. Augustino, dico locis eum citatis & aliis hujusce modi non paucis, loqui non de timore simpliciter servili, quem locis à nobis inter pro-
To.5.p. bationes Conclusionis relatis laudat ac commendat; sed de timore *serviliter*
778. servili, ut loquitur ipse S. Doctor citato Sermone 161. aliàs 18. de verbis Apostoli, hoc est de illo timore, qui actualem supponit in homine peccatore peccandi voluntatem, quàm hìc & nunc peccando adimpleret, nisi futuram aut præsentem reformidaret pœnam. An verò possit timor sine ullo dilectionis Dei initio voluntatem illam peccandi superare ac excludere, non negativè dumtaxat, sed etiam positivè, ita ut qui timet, firmum, absolutum & efficax concipiat non peccandi de cætero propositum, alia quæstio est de qua inferiùs.

Objicies 4. sæpissimè S. Augustinus asserit, nullum esse medium inter amorem Dei, & creaturæ; nullum inter vitiosam cupiditatem, & laudabilem
To.6.p. charitatem. Enchiridii cap. 117. n. 31. *Regnat*, inquit, *carnalis cupiditas, ubi*
240. *non est Dei charitas*. Lib. de Grat. & lib. arb. cap. 18. *Quidquid se putaverit*
T.10.p. *homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fit benè*. Ergo fit malè,
737. seu ex mala cupiditate. Jam verò vel actus timoris pœnæ est à cupiditate & amore creaturæ, vel à charitate & amore Dei: si prius, malus est ac vitiosus; si posterius, bonus ac rectus, non quidem ex se, sed ex charitate. Mul-
To.2.p. ta eam in rem, more suo, S. Augustini testimonia coacervat Jans. L. 3. de statu
111. naturæ lapsæ cap. 19. & seq.

Confir-

Confirmant ex discrimine Legis utriusque, veteris & novæ, quod ex S. Augustino L. contra Adimantum cap. 17. his duobus verbis continetur, *timor* & *amor*: timor ad veterem; amor ad novam Legem pertinet.

Resp. dist. ant. nullum est medium inter amorem Dei & creaturæ, inter vitiosam cupiditatem & laudabilem charitatem, habitualem & ratione subjecti, seu hominis qui vel justus est, vel injustus, ac consequenter in quo regnat & dominatur vel habitualis charitas seu gratia sanctificans, vel cupiditas, concedo: nullum est medium ratione actus, seu motivi ex quo agit homo, nego. Cùm igitur S. Augustinus dixit, *regnare carnalem cupiditatem, ubi non est Dei charitas*, sensus non est, actionem, quæ ex charitate Dei non elicitur, eo ipso esse à carnali cupiditate, adeoque formaliter malam. Sicut enim omnis actio hominis justi in quo regnat ac dominatur charitas, bona semper non est; aliàs justus nunquam peccaret: ita quoque omnis actio hominis in peccato existentis in quo viget cupiditas, mala semper non est; aliàs nihil boni operari usquam posset, quo ad gratiam in Sacramento percipiendam se disponeret, & ita converti ad Deum nusquam ille posset, quod certè & falsum, & perabsurdum est: ut enim justus non semper operatur ex charitatis imperio, ita nec injustus ex tyrannide dominantis in se cupiditatis, sed aliquando ex ductu luminis naturalis & ex amore honestatis. Sensus igitur S. Augustini est, in subjecto seu persona agente regnare quoad habitum carnalem cupiditatem, ubi non est Dei charitas; quod certè verissimum est. Homo quippè, ut jam diximus, vel justus est, vel injustus: si justus, regnat in eo charitas; si injustus, cupiditas: charitas autem & cupiditas nullam imponunt voluntati necessitatem ad actus sibi conformes semper ac necessariò eliciendos: avarus non semper agit ex avaritia, prodigus non semper ex prodigalitate: habet scilicet quælibet virtus moralis suum proprium objectum ex officio ac fine proximo bonum & honestum, abstractione etiam facta finis ultimi. Ita S. Augustinus Serm. 349. aliàs 52. de tempore, duplicem distinguit charitatem, unam divinam, & alteram humanam, licitam, vel illicitam: charitas quidem aliarum virtutum actus imperat, sed non elicit; ac necessaria est, ut virtus alicujus sit ad vitam æternam meriti ac valoris. *Potest quidem aliquis esse actus bonus ex suo genere*, ait S. Th. 2. 2. q. 23. art. 7. ad 1. *non tamen perfectè bonus; quia deest debita ordinatio ad finem ultimum*. Ergo sine illa ordinatione actus virtutis moralis ex objecto & fine proximo bonus est, licèt non perfectè bonus, id est meritorius vitæ æternæ, si fiat sine charitate. Non semel id à nobis observatum jam fuit. To. 5. p. 1345.

Ad confirmationem, dico in utraque Lege locum fuisse & timori, & amori. Nonne extitere viri sancti in Lege veteri? An sine amore Dei sancti fuere? Discrimen itaque inter utramque Legem istud est, quòd in veteri Lege timor prævaluit, in nova amor. *Quamquam utrumque in utroque sit*, ait S. Augustinus, de moribus Ecclesiæ L. 1. c. 28. n. 56. *prævalet tamen in vetere timor, amor in novo*. To. 1. p. 706.

ARTI-

## ARTICULUS II.

*An Concilium Tridentinum definierit amorem Dei necessarium esse in attritione, ut hominem disponat ad Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu percipiendum.*

IN duas extremas partes hic abeunt nonnulli. Sunt qui volunt Tridentinum Concilium definiisse, contritionem ex charitate perfectam dispositionem esse necessariam ad Sacramentum Pœnitentiæ. Sunt ex adverso, qui putant Concilium *adeo expresse statuisse, attritionem, quæ non vivificat animam, quæque supponitur esse sine amore Dei, sufficere ad absolutionem, ut anathema pronuntiaverit adversùs negantes*. Quæ sententia damnata est à Clero Gallicano in Comitiis generalibus an. 1700. *tanquam falsa, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducens.*

Mem. du Clergé, T. 1. 733.

## CONCLUSIO.

Concilium Tridentinum nihil definivit adversùs sententias Theologorum qui pugnant vel pro necessitate contritionis perfectæ, vel pro sufficientia contritionis imperfectæ, ex solo pœnarum timore conceptæ.

Probatur 1. Quia certum est Patres Tridentinos prudenter semper præcavisse, ne suis decretis ullum inferrent præjudicium liberis Scholæ opinionibus. *Nec enim*, ait Pallavicinus L. 4. Hist. Conc. Trid. cap. 10. *collecta fuerat Synodus ad decidendas opiniones, sed ad errores rescindendos.* Et apposite ad præsens nostrum argumentum L. 12. c. 10. ait: *Quantùm ex Actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam inhonestum improbantium pœnæ timorem; non item ut ferrent sententiam de scholastica quæstione, an hujusmodi timor, non solùm absque contritione animi perfecta (de quo controversia vix fuit, sicut patebit) sed etiam absque eo quòd ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem. In Patrum conventu*, pergit Historicus, *id pauci attigerunt. Aliquod dumtaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris, in iis quæ Granatensis disputavit: at verò Joannes Æmilianus, Hispaniensis Tudetanus Antistes, extremum oppositæ sententiæ tenuit; hoc est, opus esse contritione perfecta.*

To. 2. p. 311. Ibid. p. 322.

Atqui certum est nostram hanc præsentem quæstionem in utramque partem à Theologis Scholasticis fuisse agitatam & etiamnum agitari, illæsa Concilii auctoritate.

Pro necessitate contritionis perfectæ scripserant Magister, Hugo, S. Bonaventura, Alensis, & plures alii: quin & à multis Concilio Tridentino supparibus & coætaneis Scriptoribus propugnatam fuisse, ostendit Launojus in Dissertatione de mente Concilii Trid. circa contritionem & attritionem parte 2. cap. 2. Ex Concilio Tridentino reduces Fredericus Nausea Episcopus Viennensis in Austria, & Franciscus Sonnius Antuerpiensis, necessitatem inchoatæ charitatis ad Sacramentum Pœnitentiæ docuerunt, ille in Catechismo, iste Tractatu 4. de Pœnit. cap. 6. Pro sufficientia verò attritionis pugnant, Franciscus Victoria, Andreas Vega, Dominicus Soto, Mel-

Melchior Canus, qui tres Concilio Tridentino interfuerunt, & alii non paucì. An verò in tot varias & oppositas opiniones distracti fuissent Theologi, si quid à Concilio hìc definitum fuisset?

Probatur 2. Quia si quæstionem propositam dirimere ac definire voluissent Patres Tridentini, proculdubio pro more suo illam in præviis disputationibus ac consultationibus ventilassent & expendissent: sed disputatum esse, vel in deliberatione positum, utrum contritio sit in Sacramento Pœnitentiæ necessaria necne; aut utrum attritio sufficiat vel non, ad obtinendam in Sacramento culpæ remissionem, nec ipsum Concilium, nec Scriptores ii qui Concilio æquales aut suppares fuerunt, testantur; imò paucos quæstionem hanc attigisse narrat mox citatus Concilii Historicus.

Probatur 3. expendendo ea ipsa loca in quibus Synodus mentem suam declaravit circa dispositiones necessarias ad obtinendam justificationis gratiam.

Duobus maximè in locis id effecit, nempè Sess. 6. cap. 6. & 14. & Can. 3. & Sess. 14. cap. 4. & Can. 4. Atqui nulla ex his locis definitio, nullum decretum extundi potest, quo præsens controversia dirimatur.

I. Non ex Sess. 6. cap. 6. Ibi quidem inter varias dispositiones necessarias ad justificationem, requirit Synodus ut qui *disponuntur ad justitiam, Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant; ac propterea moveantur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem.* *To. 14. Conc. p. 759. A*

Atqui duo hìc explorata satis ac certa non sunt, sed in dubio ac controversia adhuc versantur. 1. qualem amorem Dei Synodus desideret in eo qui se ad justitiam præparat: an amorem super omnia; an eo minor sufficiat: an amorem charitatis qui tendat in Deum, quatenus in se bonus est ac perfectus; an amorem qui spei dicitur, & Deum considerat quatenus nobis bonus est: quam distinctionem Synodus non exprimit, sed exigit tantùm ut Deus incipiatur *diligi tanquam fons omnis justitiæ*, non exponendo motivum illius dilectionis, an sit Deus quatenus fons omnis nostræ justitiæ, an quatenus est in se absolutè justus.

Nodum controversiæ vidit Andreas Vega, qui huic Sessioni sextæ interfuit, quam insigni commentario illustravit. *Synodus*, inquit Lib. 6. cap. 29. *non statuit hoc loco, an dilectio Dei quæ disponit ad justitiam, sit dilectio Dei super omnia. Temperatum prorsus est à verbo*, super omnia: *tantùmque est definitum, dilectione Dei disponi peccatores ad justitiam.* *P. 118. col. 1.*

II. Non constat inter Theologos, an Concilium loquatur de dispositione necessaria ad justitiam habendam in Sacramento, vel extra Sacramentum. Sunt enim, inter quos Isambertus noster, de Sacramento Pœnitentiæ disput. 14. art. 7. n. 8. qui existimant citato in loco Concilium loqui de dispositione necessaria ad justitiam extra Sacramentum obtinendam: an meritò vel immeritò istud contendant, hìc non curamus; sufficit inde concludere, rem esse in dubio & controversia positam apud Theologos. Addit citato in loco Concilium, ejusmodi homines moveri adversùs peccata per odium aliquod: non ait, per odium perfectum quod sit ex charitate, sed per aliquod odium; qua restricta loquendi ratione satis innuit, nolle se rem inter Theologos controversam dirimere.

Adde, testimonium Concilii adductum, non ex Canonibus, sed ex capite 6. colligi: at certum est definitiones Canonibus contineri & exprimi. Doctrina

ctrina exponitur quidem & declaratur in capitibus; sed in Canonibus definitur: at nullus est Canon qui expresse statuat, amorem Dei necessariam esse dispositionem ad gratiam in Sacramento percipiendam.

To.1.p. 771. Observat Cardinalis Pallavicinus Lib.8.Hist. Concilii Trid. caput ipsum 6. ex quo laudata sunt verba, primò sic efformatum fuisse ut nullam omninò contineret dilectionis Dei mentionem; sed multos contrà reclamasse Theologos, quorum votis cessit Synodus, & amoris mentionem fecit inter dispositiones necessarias ad justificationem.

To.14. Conc.p. 762. Capite 14. ejusdem Sess.6. agens Concilium de lapsis post Baptismum, & eorum reparatione, ait: *Docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali, eaque contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorumdem sacramentalem confessionem &c.* Atqui nec his verbis definit Synodus, ex quo motivo debeat esse peccatorum detestatio, an ex motivo charitatis propriè dictæ, an ex motivo spei: unde de industria, ne litem hanc finiret, detestationis, non verò contritionis nomine uti voluit. Audiatur P.581. col.2. jam laudatus Vega L.13.c.17. *Quamvis*, inquit, *hic mentis affectus, quo mentem à peccatis admissis revocamus, detestatio peccatorum hoc loco appelletur, tamen despiciendum non est communius in Schola contritionis vocabulum .... Ea verò ratione, communiori hoc detestationis nomine usi videntur*, (Patres Tridentini) *ne attritionem, quæ imperfectus est dolor de peccatis, à partibus Pœnitentiæ viderentur excludere.*

Pariter Canon 3. ejusdem Sess.6. rem nostram non attingit. Ait enim solùm: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus* To.14. Conc.p. 764.D. *adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Cujus Canonis scopus est, ut per se patet, astruere necessitatem gratiæ divinæ ad dilectionem Dei, non verò necessitatem dilectionis Dei in Sacramento Pœnitentiæ. Ita testatur oculatus testis Vega L.6.c.29. P. 118. col. 1. *Ex qua definitione*, inquit, *colligi non potest, dilectionem Dei super omnia antecedere justificationis gratiam, sed solùm inde colligitur, ad quamcunque sufficientem dilectionem opus esse auxilio Spiritus sancti speciali.* Et verò ipse Vega L.13.c.24. & 25. & c. 34. pugnat pro sufficientia attritionis.

II. Sess.14. cap.4. & Can.4. nihil quoque circa præsentem controversiam pronuntiavit Synodus Tridentina, quamquam in præfatione hujus To 14. Conc p. 815.C. Sessionis promittat *se exactiorem & pleniorem definitionem de Sacramento Pœnitentiæ tradituram, in qua demonstratis & convulsis, Spiritus sancti præsidio, universis erroribus, Catholica veritas perspicua & illustris fiet.*

Non Canone 4. quo dumtaxat definitur, *tres actus pœnitentis, videlicet* Ibid. p. 824.A. *contritionem, confessionem & satisfactionem esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ;* adversùs Lutherum qui duas tantùm Pœnitentiæ partes admittebat, *terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio &c.* En Canonis Scopus: de necessitate verò contritionis, quæ fit ex charitate perfecta in Sacramento Pœnitentiæ, ne verbum quidem. Nec obstat quòd inter partes Pœnitentiæ recenseat contritionem: quippè non exprimit, an perfectam intelligat, vel imperfectam; sed contritionem generatim tantùm, prout abstrahit à perfecta vel imperfecta, & qualem

eo

eo in capite describit, appellavit, data Theologis licentia, quam voluerint interpretandi.

Non cap. 4. in quo primùm de contritione generatim sumpta; tùm de perfecta, tùm de imperfecta seu attritione tractat. Quæ de contritione genericè sumpta exponit, v. g. quòd sit animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, contritioni tùm perfectæ, tùm imperfectæ ex æquo conveniunt, neque rem nostram attingunt.

De perfecta verò contritione duo tantùm affirmat Synodus. 1. contingere aliquando eam charitate perfectam esse, & reconciliare hominem Deo, priusquam Sacramentum actu percipiatur. 2. reconciliationem hanc contritioni non esse adscribendam, sine voto Sacramenti quod in ea includitur: utrum verò contritio perfecta sit dispositio necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ, Synodus non pronuntiat. Revera quidem longè verisimiliùs ex ejus verbis infertur non esse dispositionem necessariam, sicut anteà docuimus: verùm per ratiocinium ac discursum theologicum id infertur; hìc verò claram & expressam quærimus definitionem, non ratiocinium theologicum.

De contritione verò imperfecta seu attritione, quatuor docet. 1. hanc attritionem non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, sed esse donum Dei. 2. esse impulsum Spiritus sancti. 3. per illam pœnitentem sibi viam præparare ad justitiam. 4. licèt per se peccatorem ad justificationem perducere nequeat, eum tamen disponere ad Dei gratiam in Sacramento obtinendam.

Atqui hæc invictè non demonstrant, attritionem illam, prout contra perfectam contritionem distinguitur, esse dispositionem immediatam, proximam ac sufficientem ad gratiam Sacramenti percipiendam.

I. Quia quatuor illa mox dicta capita, fidei non minùs, quàm attritioni adaptari possunt; nec tamen fides sola dispositio est sufficiens ac proxima ad gratiam Sacramenti.

II. Quia ea quatuor ex professo requirit Synodus in attritione, de quibus litem movebant Lutherani, qui attritionem ex metu gehennæ conceptam bonam esse, laudabilem & honestam negabant; imò extortam & coactam asserebant: à quorum calumniis contritionem imperfectam Synodus vindicare voluit. An verò necessarius in ea foret amor Dei, & ita disponere posset ad Sacramentum, minimè controversum fuit Catholicos inter & Hæreticos.

III. Concilium ait quidem attritionem illam disponere peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento percipiendam; verùm non explicat nec determinat quomodo disponat, an proximè, an remotè, de quo disputant Theologi, & adhuc sub judice lis est. Nec obstat si dixeris, attritionem illam alio modo disponere in Sacramento, & alio extra Sacramentum: porrò extra Sacramentum disponit remotè; ergo disponit proximè in Sacramento. Namque, ut jam diximus, Scholæ ratiocinium est, non Ecclesiæ definitio. Quamquam, qui pugnant pro necessitate contritionis perfectæ, respondent, non immeritò dici posse, attritionem alio modo disponere cum Sacramento, & alio extra Sacramentum: quippè disponit, inquiunt, remotissimè extra Sacramentum, & remotè cum Sacramento. Verùm quidquid sit de hac responsione, hoc unum tamen probat, quod hic volumus, scilicet rem esse in Scholis controversam, & minimè à Concilio definitam.

IV. Denique observat Pallavicinus L. 12. Hist. Concilii Tridentini cap. 10. verbum, *disponit*, substitutum fuisse verbo, *sufficit*, quod primùm usurpatum fuerat cùm caput illud 4. digestum est. *Oportet scire*, inquit, *postea Decretis doctrinam complexis verba hæc fuisse adjecta: Illam contritionem, quam Theologi vocant attritionem, quòd imperfecta sit, & solùm vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipitur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de commissis delictis exprimat, statuit hæc sancta Synodus, & declarat, non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem.... verùm etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, cùm sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munit.* En tenor Decreti quale primùm conceptum fuerat. *Sed Joannes Æmilianus Hispaniensis Tudetanus Antistes,* pergit Historicus, *monuit, falsò dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse: quòd autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare auctorum sententias; adeoque id esse tollendum. Quamobrem Decretum sicuti nunc extat, reformatum est.*

To. 2. p. 312.

Probatur denique auctoritate Alexandri VII. S. Pontificis, qui an. 1667. die 5. Maji, ad pacem inter Scholæ Theologos fovendam, & extinguenda exortæ dissensionis semina, Decreto suo prohibuit, *Ne quis audeat alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Supponit igitur S. Pontifex, nihil ea in re ab Ecclesia definitum fuisse in Concilio Tridentino.

Rec. des Bulles p. 466.

Atque inde est, quòd cùm Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700. Censuræ suæ subjecisset propositionem istam, *Attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu; quia talis honesta & supernaturalis est*, postremam dumtaxat partem attigit, nulla facta prioris mentione. *Hæc propositio*, ait Censura, *quà à dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.*

Mem. du Clergè, To. 1. p. 733.

## ARTICULUS III.

*An amor Dei, & qualis necessarius sit in attritione ut sit dispositio sufficiens ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam.*

EX dictis Quæstione 4. Art. 1. Conclusione 1. omnis verus Dei amor debet esse super omnia. Ibidem Conclusione 3. duplicem Dei amorem distinximus, unum perfectum, qui est veræ charitatis; alterum imperfectum seu minùs perfectum, qui fundamentum habet in spe christiana. Primus amor dicitur amicitiæ & veræ charitatis, quo Deus diligitur quia in se summè bonus ac perfectus; alter dicitur concupiscentiæ seu spei, quo

Deus

Deus diligitur quia nobis bonus: ex duplici autem motivo formali distincto, tùm charitatis, tùm spei, duplicem illum amorem distingui, & charitatis perfectionem ex suo motivo, non ex intensione graduum repeti debere ostendimus. Ibidem Art. 3. probatum est conditionem perfectam, quæ justificat ante Sacramentum, non esse dispositionem necessariò requisitam ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Quæstio itaque jam movetur, utrum in attritione imperfecta aliquis & qualis necessarius sit Dei amor, ut pœnitens sufficienter dispositus dicatur ad gratiam Sacramenti percipiendam. Variæ sunt Theologorum sententiæ.

I. Qui ex veteribus Scholasticis post Magistrum censuerunt perfectam contritionem Sacramento Pœnitentiæ præire debere, ac priùs coram Deo pœnitentem justificatum esse, quàm à Sacerdote absolveretur, ii procul dubio amorem Dei super omnia ex vera & perfecta charitate necessarium esse arbitrabantur.

II. Cùm alii plures ex adverso Theologi animadverterent, Magistri sententiam multùm detrahere de virtute ac efficacia sacerdotalis absolutionis, quæ declaratoria dumtaxat foret remissionis peccatorum à Deo jam impetratæ per contritionem perfectam, (quæ opinio conciliari vix potest cum doctrina Concilii Trid.) hanc Magistri sententiam deseruerunt, qua parte contendit contritionem, quæ priùs hominem Deo reconciliet, quàm accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, esse omninò necessariam; retenta nihilominus necessitate contritionis ex motivo veræ ac propriæ charitatis, quæ ex se hominem non justificat, nisi fuerit in certo quodam intensionis gradu qui Deo soli cognitus est. In mente illorum Theologorum, ut jam observavimus, contritio & attritio non differunt specie, cùm idem sit utriusque essentiale motivum charitatis, sed tantùm accidentaliter intra eandem speciem, ratione scilicet majoris vel minoris intensionis seu perfectionis graduum; atque pœnitens de attrito dicitur fieri contritus virtute Sacramenti, quia ipsius contritio augetur & intenditur.

III. In extremam omninò partem declinavere, qui docuerunt, vel attritionem naturalem, modò honestam, sufficere, quam sententiam Clerus Gallicanus in Censura sua anni 1700. declarat *hæreticam esse*: vel, *attritionem ex gehennæ metu sufficere, etiam sine ullo ad Deum offensum respectu. Quæ propositio*, ait ibidem Clerus Gallicanus, *temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.* *Mem. du Clergé, To. 1. p. 733.*

IV. Multi Scholæ Theologi, maximè post Concilium Tridentinum, existimaverunt attritionem, qualem describit Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. conceptam vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ ac pœnarum metu, si voluntatem peccandi excludat, sufficientem esse dispositionem ad gratiam Sacramenti Pœnitentiæ percipiendam: quam opinionem suo tempore inter Scholasticos communiorem fuisse testatur Alexander VII. S.P. in suo Decreto an. 1667.

Inter Theologos qui sententiam hanc propugnavere, tres sunt maximè conspicui, Concilio Tridentino suppares, quique & ipsi præsentes interfuere, scilicet Melchior Canus, Dominicus Soto, & Andreas Vega Franciscanus. Soto & Vega contendunt attritionem hanc, ut sufficiat, debere bona fide existimari esse contritionem; Canus verò etiam cognitam ut simplicem attri-

 tionem,

tionem, tanquam sufficientem admittit: quo verò sensu iidem Theologi fateantur, doctrinam hanc nec antiquam esse, nec satis tutam, exponemus inferiùs in solutione objectionum.

Unum hic observatione dignum maximè arbitror: nempè Theologos illos, qui post Concilium Tridentinum sententiam attritionis vel defendunt, vel impetunt, omnem Dei amorem ab attritione non excludere; sed eum solum qui veræ ac propriæ charitatis est, ac justificat hominem ante Sacramentum actu perceptum. Et verò non alia ipsis mens videtur fuisse, quàm ut exclusa hujus amoris seu charitatis justificantis necessitate, suam Sacramento vim & efficaciam servarent, & adversùs Magistrum ejusque discipulos ostenderent, absolutionem sacramentalem non tantùm declarare dimissa; sed etiam verè dimittere peccata. Porrò etiam exclusa illa charitatis justificantis necessitate, nonne datur alicui vero Dei amori locus; illi scilicet, quo Deus ut nobis bonus, seu ut nostra felicitas æterna in ipso consequenda, diligitur? Quapropter cùm iidem Theologi asserunt, *solo* pœnarum metu conceptam attritionem sufficere, illa exclusiva *solo* non omnem excludunt Dei amorem, sed illum dumtaxat qui veræ charitatis est, hominemque Deo reconciliat ante Sacramentum re perceptum.

Id porrò ita esse, duo maximè suadent. Primum, Theologos illos ignorare non potuisse, Concilium Tridentinum exigere ut timor gehennæ ac pœnarum excludat *voluntatem peccandi*, & junctus sit *cum spe veniæ*. Atqui spes illa veniæ necessariò includit amorem rei quæ speratur, sicut timor rectus & laudabilis amorem boni quo privari metuimus. Alterum, communiter eos ipsos Theologos attritionis patronos, quos Janseniani tanquam infensissimos hostes, ac destructores magni præcepti amoris Dei, ad invidiam ac per summam calumniam traducunt, eos, inquam, Theologos, aliquem amorem Dei in attritione agnoscere. Unus instar omnium sit Isambertus noster disput.14. de Sacramento Pœnitentiæ art.14. ubi conceptis verbis ait, *attritionem includere aliquem verum amorem Dei super omnia, quamvis non eliciatur ex ea supernaturali dilectione quæ est propria charitati.*

*Tom.6. p. 112. col. 2.*

V. Communior Theologorum sententia est, attritionem ex solo metu pœnarum, sine ullo Dei amore saltem inchoato & initiali, non sufficere; sed aliquem in ea, ut sit dispositio sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè ac utiliter percipiendum, requiri Dei amorem: non eum quidem qui veræ charitatis est, hominemque justificat ante Sacramentum, sed eum qui ex spe nascitur, ut suprà jam exposuimus. Quæ quidem sententia adversarios habet 1. eos qui veram ac propriè dictam, si non ex intensione gradus saltem ex objecto ac motivo charitatem exigunt; id est amorem Dei propter semetipsum, abstractione facta proprii amantis commodi. 2. eos qui cum Lutheranis & Quietistis, amorem spei, quo Deus diligitur propter mercedem æternam in ipso consequendam, velut perversum, illicitum & inordinatum rejiciunt ac damnant. 3. eos qui amorem proprii commodi, seu felicitatis æternæ in Deo consequendæ, ad charitatem propriè dictam revocant, tanquam secundarium ac minùs principale illius objectum.

In mente illorum qui quintam istam opinionem tuentur, contritio & attritio specie differunt, quia diversis specie motivis, nempè charitatis aut spei, nituntur, nec una unquam potest fieri altera: atque pœnitens in ea opinione dicitur

tur de attrito fieri contritus, non quidem semper actu, quasi in ipso præcisè momento quo percipitur Sacramentum, actualis in anima excitetur perfectæ contritionis actus; sed habitu saltem, quia sanctificantem recipit gratiam, quæ habitu est perfecta contritio.

Variis istis opinionibus & alia potest adjungi, quæ videtur esse Guillelmi Episcopi Parisiensis; eum scilicet pœnitentem, qui pravam peccandi consuetudinem, qua irretitus tenetur, excutere, & ad Deum redire summo ardore desiderat, tametsi nondum habeat firmum non amplius peccandi propositum, attamen ad Sacramenti gratiam Deo miserante disponi, atque propositum illud virtute Sacramenti ipsi infundi.

*Piè credimus & sentimus*, ait Guillelmus Lib. de Pœnit. cap. 4. *eos, qui cum fide hujus Sacramenti, & vehementi desiderio redeundi in Dei pacem & gratiam, licèt timore infirmitatis suæ & oppressione malæ consuetudinis propositum abstinendi consuetis & eadem emendandi non habeant, interdum de divinæ pietatis abundantia virtute clavium & Sacramenti istius præstari hujusmodi propositum & infundi: conantibus enim ad Deum reverti, dexteram auxilii sui porrigere patrem misericordiarum dubitandum non est. Quemadmodum ille qui lunaticum filium attulit ad Dominum Jesum, credere quidem nitebatur, sed nondum fidem, ad quam conabatur, habebat; propter quod & dicebat*, Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. *Merito tamen sui conatus, & filio sanitatem, & ipsemet fidei donum obtinuit. Sic de similiter conantibus, quòd præsto sit eis divinæ beneficentiæ auxilium, pia fides non dubitat.* To.1.p. 462.col. 1.H.

In eamdem quoque sententiam adducere fortè quis posset Declarationem Cleri Gallicani factam in Comitiis generalibus an. 1700. de dilectione Dei in Pœnitentiæ Sacramento requisita. En verba. *Neque verò satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet.* Hæc itaque animi præparatio, qua quis ad exequendum amoris Dei præceptum seipsum excitat ac provocat, sufficiens nonnullis videri potest dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ, absque ullo prævio amoris Dei actu. Verùm fallerentur qui ita sentirent: siquidem Clerus Gallicanus aliquem exigit Dei amorem in pœnitente sese ad gratiam Sacramenti percipiendam disponente; & reipsa, *Deum jam amat, qui Deum desiderat*, ajunt SS. Augustinus & Gregorius Magnus. His præmissis, fit Mem. du Clergé, To.1.p. 741.

## PRIMA CONCLUSIO.

Contritio imperfecta, seu attritio, aliquem saltem inchoatum & initialem Dei amorem includere debet, quo nempè pœnitens diligere incipiat Deum tanquam fontem totius justitiæ.

Probatur 1. testimoniis Scripturæ, quæ generatim commendant ac exigunt conversionem ex toto corde, & dilectionem Dei.

Deuteronomii 4. v. 29. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.*

Isaiæ 55. v. 7. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.*

Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*

Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.*

1. Joan. 3. v. 15. *Qui non diligit, manet in morte.*

1. Corinth. ultimo v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.*

Scio equidem hæc Scripturæ testimonia, si ad litteram urgeantur, non imperfectum modò, sed etiam perfectum ac veræ charitatis amorem Dei, & conversionem peccatoris extra Sacramentum exprimere: verùm illa cum aliqua restrictione, & accommodatè ad efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ intelligi debent & exponi, ita ut contritio perfecta ex amore Dei perfecto necessaria sit ad gratiam justificationis extra Sacramentum obtinendam; imperfecta verò ex amore Dei non ita perfecto, sufficiat cum Sacramento quod instituit Christus in subsidium infirmitatis humanæ, & ut medium efficax assequendæ gratiæ. Ex citatis ergo testimoniis probatur saltem, in omni vera contritione necessariam esse peccatoris ad Deum conversionem, quæ sine amore aliquo Dei vix potest intelligi, sive perfecto, sive minùs perfecto, appositè ad modum quo justificatio obtinetur, in Sacramento aut extra Sacramentum.

Probatur 2. ex SS. Patribus quorum plurima testimonia congessit Launojus cap. 8. primæ partis Dissertationis de mente Concilii Trid. circa contritionem, & solent à nonnullis Recentioribus, pace eorum dixerim, & parum cautè, & sine delectu minùsque appositè ad præsentem controversiam, laudari.

I. Non satis cautè hìc ea SS. Patrum testimonia proferuntur, quæ contritionem ex charitate perfectam exigunt; nisi ea cautione intelligantur, qua mox citata Scripturæ testimonia: quam cautionem non videntur adhibuisse ii Theologi, qui contrionem illam ex charitate perfectam postulant, ut dispositionem necessariam ad Sacramentum Pœnitentiæ; hanc etenim opinionem rejecit Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700. Hanc sua Censura jam confixerat sacra Facultas Parisiensis an. 1638. verba superiùs relata sunt Art. 3. Qu. 4.

II. Minus appositè, nostro quidem judicio, ad præsentem nostram controversiam laudantur innumera ferè SS. Patrum testimonia, quæ generatim dumtaxat, & abstractione facta ab usu & necessitate Sacramentorum, commendant necessitatem conversionis ad Deum, contritionis ex toto corde, amoris Dei super omnia &c. Extra propositum ista sunt; quis enim Orthodoxus ea unquam negavit?

Igitur ea dumtaxat SS. Patrum testimonia ad rem nostram propiùs attinent, quæ loquuntur de dispositionibus necessariis ut ministerio clavium & per Sacramentum Pœnitentiæ gratia reconciliationis obtineatur. Eum in sensum in medium afferri possunt

*Pagina 121. C.* Tertullianus Lib. de Pœnit. cap. 3. ubi exigit à pœnitente, *ut intelligat quid boni sit Deus.* cap. 4. *ut pœniteat errorum, reperta veritate; pœniteat* *Pagina 123. A.*

amas-

*amasse, quæ Deus non amat: quando ne nos quidem ipsi*, inquit, *servulis nostris, ea quibus offendimur, non odisse permittimus. Obsequii enim ratio, in similitudine animorum constituta est.*

S. Cyprianus Tractatu de lapsis, ab iis qui lapsi fuerant in persecutione, & à Sacerdotibus reconciliari postulabant, exigit, *ut singuli delictum suum confiteantur, & ad Dominum toto corde convertantur & redeant.* P. 177

S. Chrysostomus Hom. 4. in 2. ad Corinth. *Cùm peccaveris*, inquit, *ingemisce: non quòd pœnas daturus sis, nihil enim hoc est; sed quòd Dominum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut filium quoque suum tua causa tradiderit.* Ed. Cômel. p. 768.

S. Augustinus pluribus in locis necessitatem amoris Dei in pœnitente confirmat.

Sermone 7. de tempore, qui in postrema editione rejectus est in Appendicem, & est n. 117. *Pœnitentiam*, inquit, *certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei.* Tom. 5. Appen. p. 213. A.

Sermone 278. aliàs 34. de diversis c. 12. *Omnia præterita*, inquit, *conversis dimittuntur. Cæterùm hujus vitæ sunt quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritus, & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ.* Ibid. p. 1127. F. Loquitur ibi sanctus Doctor de remissione peccati per Sacramentum Pœnitentiæ: postulat autem contritionem cordis *vehementissimam*; quo verbo, non gradus intensionem, sed veram ac sinceram intelligit contritionem, quæ certè absque aliquo Dei amore saltem inchoato nec stare, nec concipi potest.

Libro contra Adimantum Manichæum cap. 17. discrimen veteris & novæ Legis ait ex timore & amore repeti. *Hæc est*, inquit, *brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet.* To. 8. p. 137. E. Mens S. Doctoris non est, ut antea observavimus, excludere omninò aut à veteri Lege amorem, aut à nova timorem; sed hoc unum vult, prævaluisse in veteri Lege timorem, in nova verò prævalere amorem, sicut ipsemet declarat L. de moribus Ecclesiæ c. 28. n. 56.

Lib. de Gratia Christi cap. 26. *Etsi mandatum Dei videtur aliquando non à diligentibus, sed à timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur.* T. 10 p. 241. G. Quibus verbis non damnat sanctus Doctor omnem timorem, sed eum, ut dictum est suprà, qui serviliter servilis est, & non excludit actualem affectum peccati: neque etiam dilectionem, quæ sit veræ charitatis, requirit, nisi voluerit eum generatim loqui de bono opere meritorio vitæ æternæ extra ipsum Sacramentum, quo casu necesse est ut fiat ex motivo veræ charitatis; verùm intelligi rectè potest sanctus Doctor generatim de necessitate alicujus dilectionis ad omne opus bonum.

Denique necessitatem alicujus saltem inchoati & imperfecti amoris Dei probat sanctus Doctor, iis omnibus locis in quibus asserit, timore pœnæ si solus fuerit, multò minùs si serviliter servilis, absque amore justitiæ, nec peccatum declinari, nec bonum fieri. Ita Epistola 145. aliàs 144. superiùs laudata inter Objectiones Articuli 1. hujus Quæstionis.

Lib. de natura & gratia c. 57. *Qui timore supplicii*, inquit, *quod lex minatur, non amore justitiæ, sesentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est*, Ibid. p. 156. C.

*nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, quia mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè desiderat.*

To.4.p. 823.B. In Psal.77. *Ex corde nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ. Nam quantùm attinet ad facta quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant justitiam, non furantur; & ideo pares sunt manu, dispares corde; pares opere, dispares voluntate.*

Tom.7. p. 636. C.D. Denique Lib.21. de Civitate Dei cap.16. *Neque id fit veraciter atque sinceriter, nisi vera dilectione justitiæ.... Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur.*

Cave putes S. Doctorem his in locis damnare tanquam malum, servilem pœnæ timorem, quem donum Dei esse affirmat; aut velle eum semper peccare, qui ex illo timore agit. Unum igitur perstringit timorem serviliter, atque eò unicè dumtaxat tendit, ut ostendat solum pęnæ timorem sine aliquo amore justitiæ, non excludere peccandi affectum, adeoque insufficientem illum esse ad gratiam in Sacramento percipiendam, quamquam ex se seu ex officio suo & objecto semper bonus sit.

To.3.p. 2. pag. 367.C. S. denique Gregorius Magnus in c.15. L.1. Regum. *Tria*, inquit, *in unoquoque considerandа sunt veraciter pœnitente, videlicet conversio mentis, confessio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur? Peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur. Nonnulli quidem sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo nequaquam detestantur. Hi profectò confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde & salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat dicens: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cùm ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ conversionis.*

His accedit Clerus Gallicanus Declaratione facta in Comitiis generalibus anni 1700. ubi loquendo de dispositionibus necessariis ad Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta, ait: *Neque satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ incboandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet. Placet etiam*, addit Clerus Gallicanus, *caveri à Sacramenti Pœnitentiæ administris, ne in hoc Pœnitentiæ Sacramento*, aliisque Sacramentis conferendis sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: *Neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pęnitendo inchoate saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit, gravster peccaturi in hoc salutis discrimine*, vel eo solo quòd certis incerta præponant.

N. Mem. du Clergé, T.1. p. 741.

Probatur 3. ex iis quæ docet Concilium Tridentinum, tùm Sess.6. circa dispositiones necessarias ad justificationem; tùm Sess.14. circa naturam contritionis generatim, & speciatim attritionis.

Meminisse autem oportet, quod antea probavimus, Concilium circa præsentem controversiam nihil decretoriè pronuntiasse; quapropter discursu dumtaxat & ratiocinio theologico sententiam nostram ex verbis Concilii confirmamus. Itaque

Sessio-

Sessione 6. cap. 6. postquam recensuit actus fidei & spei necessarios in iis qui se præparant ad justificationem, de amore addit, *Deumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. En amor initialis seu inchoatus & imperfectus, quem Synodus requirit ad justificationem, perinde ac actus fidei & spei, quos necessariò prærequiri nemo negaverit. Observavimus antea ex Pallavicino Lib. 8. Hist. Concilii Tridentini cap. 13. verba mox laudata, quæ omissa fuerant in Decreto, quale primùm conceptum ac delineatum fuerat, addita postmodum fuisse urgentibus & efflagitantibus multis Theologis, quia, inquiebant, (referente ibidem Pallavicino) *si pœnitentia tota esset ex timore, sine amore justitiæ, & non propter Dei offensam, infructuosa esset*. Ipse pariter Dominicus Soto, qui in hac ipsa Sessione 6. verba fecit, L. 2. de natura & gratia cap. 13. testatur Synodi mentem fuisse declarare actum dilectionis Dei, sicut fidei & spei, natura debere antecedere gratiam habitualem seu sanctificantem. T. 1. 772. P. 96. & seq.

Revera lis est inter Theologos, utrum eò loci Synodus agat de dispositionibus necessariis ad obtinendam justitiam in Sacramento, vel extra Sacramentum, qua de causa movemur ne rem à Synodo definitam asseramus. Verùm ex tota serie hujus capitis non obscurè colligitur, Concilium generatim loqui de dispositionibus necessariis ad justitiam tùm in Sacramento, tùm extra Sacramentum assequendam. *Propterea*, inquit, *moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum &c.* quæ certè verba innuunt, loqui Patres Tridentinos de iis qui sese ad Baptismum præparant ac disponunt. To. 14 Conc. p. 759. A.

Sessione 14. c. 4. contritio genericè sumpta definitur *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*: atqui singulæ illæ contritionis dotes ac proprietates important necessitatem alicujus amoris Dei.

I. Quia est *dolor de peccato*; dolor autem, juxta S. Augustinum L. 14. de Civitate Dei c. 7. & S. Thomam in Supplemento q. 3. art. 1. in amore fundatur rei illius, de cujus jactura dolemus. Deinde dolor ille debet esse de peccato, quia est offensa Dei. Hoc innuit ipsa Synodus cap. 1. Sess. 14. *Fuit*, inquit, *penitentia universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore necessaria . . . ut perversitate abjecta & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur*. Ita pariter docet S. Thomas 3. part. qu. 85. art. 3. *Penitens*, inquit, *debet dolere de peccato commisso, in quantùm est offensa Dei*. Ita Vega Lib. 13. cap. 25. in Concilium Tridentinum. *Necessarium est*, inquit, *dolere de peccatis, quia offensa Dei sunt; & hoc est quia potissimùm nobis debet esse amarum in peccatis nostris... Et donec in hanc tantam perfectionem noster excreverit dolor, quantuscunque ille sit, & quacunque alia ratione habeatur, nunquam perfectus erit, nec sufficiens ad reconciliandum nos Deo*. Ita pariter Theologi de quibus Pallavicinus L. 8. Hist. Concilii Tridentini c. 13. mox citato, & Clerus Gallicanus in sua Censura anni 1700. Ib. p. 815. E. P. 611. col. 1.

Porrò vix concipi potest dolor ille *de offensa Dei*, sine aliquo Dei amore. *Actus enim virtutis pœnitentiæ*, ait S. Thomas 3. p. q. 85. art. 6. *est contra peccatum ex amore Dei*. Et q. 86. art. 3. *Ad rationem penitentiæ requiritur ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum*.

II. Quia

II. Quia contritio est *detestatio* seu odium peccati commissi: atnon potest homo verè detestari & odisse peccatum, quatenùs est offensa Dei, sine aliquo saltem imperfecto Dei amore. *Tantùm quisque peccatum odit*, ait S. Augustinus Epist. 145. aliàs 144. *quantùm justitiam diligit*. Ratio est, quia odium rei alicujus nascitur ex amore contrarii; ad eamdem quippe virtutem pertinet, diligere bonum, & odio habere malum contrarium. Igitur si homo detestatur peccatum, quia est offensa Dei, ergo amat Deum; amor enim ille, vel est creaturæ, vel Dei, aut in se summè boni ac perfecti, aut nobis præcisè boni, nullus hic datur medius: non est autem amor creaturæ; ergo est amor Dei. *Duo sunt amores, ex quibus omnes prodeunt voluntates*, ait S. Leo Serm. 5. de jejunio septimi mensis, *ita diversæ inter se qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi: in dilectione Dei, nulla nimia; in dilectione autem mundi, cuncta sunt noxia.*

T. 2. p. 471. C.

T. 1. p. 357.

III. denique, quia contritio, tùm perfecta tùm imperfecta, non solùm negativè, sed etiam positivè debet *excludere voluntatem peccandi*, & firmum includere propositum vitæ melioris: atqui non potest satis intelligi, quomodo ea ratione excludi possit voluntas peccandi, & firmum ac efficax concipi vitæ melioris propositum, sine aliquo amore Dei; tùm quia ex mox laudatis S. Augustini testimoniis, timor gehennæ solus vix potest sine adjuncto aliquo amore justitiæ, peccandi affectum positivè excludere; tùm quia, qui affectum illum deponit, in ea debet esse animi præparatione, ut Deum creaturis omnibus anteponat: at quis animo concipiat istud fieri posse sine aliquo Dei amore? Tum denique quia debet homo pœnitens averti à creatura, & converti ad Deum: at hæc conversio ex amore Dei saltem initiali profluit.

Deinde verò in contritione etiam imperfecta, includatur necesse est firmum melioris vitæ ineundæ, & mandatorum Dei observationis propositum: at tale propositum concipi non potest sine aliquo Dei amore; inter illa etenim mandata, dilectio Dei primum ac præcipuum locum tenet: sed qui firmiter proponit diligere Deum super omnia, jam incipit diligere, ut antea Art. 1. Qu. 4. Conclusione 1. in responsione ad secundam Objectionem ostendimus ex SS. Augustino & Gregorio.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Sufficit ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, amor Dei qui dicitur spei, quo Deus diligitur quia nobis bonus, nostra beatitudo ac finis ultimus; qui etsi comparatè ad amorem charitatis, sit imperfectus aut minùs perfectus, in se tamen castus est, gratuitus, bonus & honestus. Hæc postrema pars est adversùs Lutheranos & Quietistas.

Prima Conclusionis pars ex dictis hactenus sequitur, nec indiget ulteriori probatione. Namque si perfectio charitatis non ex intensione gradus, sed ex formali ac specifico ejus motivo ducitur; si charitas essentialiter ex suo formali ac specifico motivo perfecta, in quocunque gradu sit, hominem Deo reconciliat; si aliunde certum sit, charitatem perfectam, quæ hominem

Deo reconciliat ante Sacramentum actu perceptum, non esse necessariam ad Sacramentum dispositionem, proculdubio amor charitatis veræ ac propriè dictæ non requiritur, sed amor qui dicitur spei sufficit ad Sacramentum debitè percipiendum: hæc autem omnia hactenus probata sunt. Igitur

Probatur secunda pars adversùs Lutheranos & Quietistas.

I. Scripturæ testimoniis: tùm iis quibus motivum æternæ mercedis nobis proponitur, ut ad mandatorum Dei observationem incitemur; tùm iis quibus laudantur viri sancti & perfecti; qui ex hoc motivo egerunt.

Primi ordinis testimonia illustriora sunt

Deuteronomii 6. v. 3. *Audi Israel, & observa ut facias quæ præcipit tibi Dominus, & benè sit tibi.*

Lucæ 10. v. 25. cùm quidam Legis peritus postulasset à Christo, quid facto esset opus ut vitam æternam obtineret, respondet Christus: *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo . . . . Hoc fac & vives.*

Ibidem v. 20. Apostolis dicit Christus: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in Cœlis.*

Matth. 5. Christus octo beatitudines enumerat, & unicuique suum assignat præmium quo incitemur & moveamur. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.*

Et cap. 19. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Coloss. 3. v. 23. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus; scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.*

Secundi ordinis testimonia nobis proponunt exempla sanctorum & perfectorum, qui intuitu mercedis æternæ operati sunt. Ita

Abraham, de quo dicitur Ecclesiastici 44. v. 20. *Non est inventus similis illi. Expectabat enim*, ait Apostolus Hebr. 11. v. 10. *fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor est Deus.*

Moyses quoque perfectus fuit: *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est.* Ecclesiastici 45. v. 1. *Aspiciebat autem in remunerationem*, ait ibidem Apostolus v. 26.

David Psalmo 118. v. 112. *Inclinavi*, inquit, *cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

Denique S. Paulus ad hanc æternam mercedem respiciebat, cùm 2. ad Timoth. 4. v. 7. & 8. dicebat: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Deus in illa die justus judex: non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus.*

Probatur 2. auctoritate S. Augustini.

Sermone 334. in natali Martyrum aliàs 48. de Sanctis. *Hoc est*, inquit, *Deum gratis amare; de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari. Ipse enim sufficit tibi, præter illum nihil sufficit tibi.* T. 5. p. 1299. C.

Et Sermone 178. aliàs 19. de verbis Apostoli cap. 10. *Aliud est timere pœnam, aliud est amare justitiam. Amor castus in te esse debet; quo amare desideres videre, non Cœlum, & terram &c. . . . sed desidera videre Deum tuum . . . . Ecce propter quam visionem fac bonum: ecce propter quam noli facere malum.* Ibid. p. 853. E. F.

Et

Ibid. p. 763. G. Et Serm. 158. aliàs 16. de verbis Apostoli: *Unusquisque*, inquit, *inspiciat se intus, appendat se, probet se in omnibus factis suis, bonis operibus suis quæ faciat cum charitate; non expectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei. Non enim quidquid tibi Deus promittit, valet aliquid præter ipsum Deum. Omnino me non satiaret Deus, nisi promitteret mihi seipsum Deum.*

Denique, ut alia infinita omittam, Enarratione in Psalm. 72. non procul à fine, explicans ista verba, *Pars mea Deus in sæcula. Factum est cor castum*, T. 4. p. 766. G. inquit, *gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult servire Deo, carius facit quod vult accipere, quàm ipsum à quo vult accipere. Quid ergo, nullum præmium Dei? Nullum, præter ipsum. Præmium Dei, ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor.*

S.Thomas 2.2.qu. 19. art. 4. ad 3. docet eum dumtaxat amorem Dei esse mercenarium, quo diligitur Deus propter temporalia. *Dicendum*, inquit, *quòd amor mercenarius dicitur, qui Deum diligit propter bona temporalia: quod secundùm se contrariatur charitati; & ideo amor mercenarius semper est malus*. Lege & articulum 8. ejusdem quæstionis, ubi Doctor Angelicus duplicem amorem distinguit, unum perfectum ex charitate, alterum minùs perfectum ex spe.

Probatur denique ex Concilio Trid. Sess. 6. cap. 11. *Constat*, inquit, *eos* T. 14. Conc. p. 761. D. E. *orthodoxæ Religionis doctrinæ adversari, qui statuunt justos in omnibus operibus peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut imprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam, cùm scriptum sit: Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem. Et de Mose dicat Apostolus, quòd respiciebat in remunerationem.*

Ib p. 763. C. D. Et cap. 16. *Benè operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim corona illa justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à justo Judice sibi reddendam.*

Et Canone 31. ejusdem Sess. *Si quis dixerit justificatum peccare, dum in-* Ib p. 767. B. *tuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit.*

Diximus in Conclusione, amorem illum spei quo Deus diligitur ut merces nostra, beatitudo ac finis ultimus, imperfectum, aut potius minùs perfectum esse, comparatè scilicet ad amorem charitatis: tùm quia ex dictis antea Quæstione 4. Art. 1. Conclusione 3. motivum charitatis perfectius est motivo spei; unde fit ut charitas hominem justificet, non verò spes: tùm quia in amore illo spei timor adhuc prædominatur, non ita in amore perfectæ charitatis, quæ foras expellit timorem. Inde inchoatus, initialis seu incipiens amor dicitur, quia nondum ad perfectum charitatis motivum pervenit; sed ad illud homo pœnitens, & per timorem æternæ pœnæ, & per amorem beatitudinis, quasi per gradus se præparat ac disponit. *Debet enim ita animo esse præparato*, ait Cleri Gallicani Declaratio citata Conclusione 1. *ut ad exequendum dilectionis Dei ex toto corde mandatum, sese excitet ac provocet*.

Hos

Hos gradus proficientis hominis, & ex timore pœnæ, ac amore felicitatis pervenientis ad amorem charitatis, distinguit S. Augustinus L. de Catechisandis rudibus cap. 17. *Qui propter beatitudinem sempiternam*, inquit, *& perpetuam requiem quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in Regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est; cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, ne frangatur adversis..... Qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plùs amet Dominum quam timeat gehennam: ut etiamsi illi dicat Deus, Utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantùm potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris, exhorrescat, & omnino non peccet, non jam ut in illud quod timebat, non incidat, sed ne illum quem sic amat, offendat.* T. 6. p. 281. F.

*Solvuntur Objectiones adversùs primam Conclusionem.*

1. Objicies 1. Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. tractans ex professo de attritione ejusque motivis, non alia assignat, quàm vel considerationem turpitudinis peccati, vel gehennæ ac pœnarum metum, nulla omnino facta mentione amoris Dei; atque ex his motivis conceptam attritionem disponere ait ad gratiam in Sacramento percipiendam, & quidem proximè, ut nos ipsi concessimus suprà Art. 3. Quæstionis 4. inter probationes Conclusionis. At verisimile non videtur, quòd si Concilium existimasset amorem Dei absolutè necessarium esse in attritione, ut sit dispositio sufficiens ad Sacramentum, silentio illum prætermisisset, præsertim cùm in præfatione hujus Sessionis 14. promittat, se *exactiorem & pleniorem de Sacramento Pœnitentiæ definitionem traditurum.*

Confirmatur 1. Quia eodem cap. 4. opponit Synodus contritionem imperfectam, perfectæ; & postquam dixit contritionem aliquando *charitate perfectam esse*, subinde attritionem describit eam quæ non ex charitate, sed vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ concipitur, quæ sanè oppositio manifestè innuit mentem Concilii esse, nullam charitatem seu amorem Dei necessarium esse, ut attritio sit dispositio sufficiens ad Sacramentum.

Confirmatur 2. Quia, narrante Pallavicino L. 12. Hist. Conc. Trid. cap. 10. jam hìc Articulo 2. citato, Concilium in Decreto, quale primùm conceptum fuerat, loco verbi *disponit*, quod jam legitur, posuerat, *sufficit*; quo verbo satis apertè declaraverat Concilium, quam in partem inclinaret.

Resp. ex hoc argumento rectè colligi, quod antea probavimus, noluisse Concilium Tridentinum quæstionem inter Theologos agitatam dirimere ac definire; atque verba sua ita sapienter librasse ac temperasse, ut nulli sententiæ orthodoxæ præjudicium inferrent: quapropter nec charitatis, nec dilectionis Dei mentionem fecit expressam, cùm motiva contritionis imperfectæ exposuit; atque ea ipsa de causa, loco *sufficit*, substituit verbum *disponit*, quod cùm genericum veluti sit, & de dispositione sive remota, sive proxima possit intelligi, Theologorum disputationibus locum & occasionem liberam reliquit: nihilominus tamen ex iis quæ docet Synodus circa naturam contritionis, sive perfectæ sive imperfectæ, rectè infertur ratiocinio & discur-

discursu theologico, aliquem Dei amorem necessarium esse. Adde quòd Sess. 6. cap. 6. conceptis verbis requirit Synodus, ut qui se disponunt ad justitiam, *Deum diligere incipiant, tanquam omnis justitiæ fontem*. Inde patet responsio ad secundam confirmationem.

Ad primam verò dico, rectè inde probari in attritione non eum requiri amorem qui sit veræ & propriæ charitatis, quæ ex se hominem Deo reconciliat: at quemlibet alium amorem Dei à Synodo excludi tanquam non necessarium, minimè inde probatur.

Instabis. Concilium suo Decreto docet eam attritionem sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ, quam Lutherus negabat esse sufficientem; imò quam malam esse contendebat; atqui attritio hæc ex solo pœnarum metu concipitur, sine amore Dei; nusquam etenim Lutherus negavit, attritionem conceptam ex timore junctо cum charitate seu aliquo amore Dei esse bonam & honestam, ut constat ex assertione articulorum quos damnavit S. P. Leo X. *Si dixerint*, ( ait Lutherus ) *se loqui de contritione in charitate facta, jam articulus nihil ad me*; *non enim unquam sic docui: imò quia ut meum damnant, de contritione naturali & impia extra fidem eos loqui oportet*. Docet igitur Concilium, attritionem conceptam ex solo metu gehennæ sufficere ad Sacramentum.

Resp. nego maj. Concilii quippe mens ac scopus adversùs Lutherum, non est ut probet attritionem conceptam ex metu gehennæ sufficere, hanc quippe quæstionem Theologis discutiendam reliquit: verùm ut probet eam non esse malam, non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, sicut dicebat Lutherus, imò bonam esse, laudabilem, ex impulsu Spiritus sancti; & consequenter disponere ad gratiam in Sacramento percipiendam, quocunque tandem modo disponat, sivè remotè, sive proximè, quem modum non figit nec determinat Concilium. In duobus scilicet peccabat hic Lutherus. 1. omnem pœnæ timorem esse per se malum, ac semper habere adjunctam peccandi voluntatem: fundamentum erroris erat, quòd motum timoris coactum semper ac violentum esse putaret. 2. nullum opus bonum fieri posse ante charitatem diffusam in cordibus, hoc est ante gratiam sanctificantem; unde concludebat, actum timoris, qui præcedit justificationem, malum esse ac inordinatum: fundamentum erroris erat, quòd præter gratiam gratum facientem seu sanctificantem, nullam aliam actualem præparantem ad justitiam agnosceret. Adversùs illum Concilium docet 1. timorem pœnæ bonum & honestum esse. 2. illum esse ex impulsu Spiritus sancti, nondum quidem inhabitantis, sed moventis. 3. illum disponere ad Sacramenti gratiam: ex quo planè ruit calumnia Lutheri Orthodoxos infamantis, quasi naturalem contritionem tanquam sufficientem admitterent.

Instabis 2. Concilium requirit in attritione, ut excludat peccandi voluntatem: atqui solus timor gehennæ sine amore Dei talem voluntatem excludere potest. Namque excludit illud omne quod pœnam meretur & accersit: at non tantùm actus exterior peccati, sed & ipse affectus ad peccatum pœnam meretur & accersit; ergo &c.

Resp. 1. Etsi concederemus solo timore absque ullo Dei amore posse omnem peccandi voluntatem tùm actualem tùm etiam habitualem excludi, non idcirco tamen rectè inferretur, Concilium statuisse satis esse ut ex solo motivo timo-

timoris ille peccati affectus excludatur; sed dici non immeritò posset, Synodum præter motivum timoris, exigere etiam motivum alicujus amoris Dei, saltem inchoati & initialis, quo Deus incipit diligi tanquam fons omnis justitiæ. Vide quæ diximus ex Concilio Tridentino inter probationes.

Resp. 2. dist. min. Solus timor gehennæ voluntatem peccandi excludere potest, actualem, concedo: habitualem subdist. Timor gehennæ adæquatè sumptæ, iterùm concedo: timor gehennæ inadæquatè sumptæ, nego. Gehenna seu pœna adæquatè sumpta complectitur pęnam damni & sensus: gehenna sumpta inadæquatè pœnam sensus dumtaxat includit. Timor gehennæ inadæquatè sumptæ, seu pęnæ sensus, excludit actualem omnem peccandi voluntatem, hoc est tùm absolutam, tùm conditionatam, eamque sive explicitam, sive etiam implicitam; seu, ut loquitur S. Augustinus Lib. 2. contra Epist. Petiliani c. 33. *intra claustra cogitationis malam cupiditatem coercet*: timor verò gehennæ adæquatè sumptæ, prout scilicet complectitur pęnam tùm damni, tum sensus, voluntatem peccandi sive actualem sive etiam habitualem excludit ac removet. ( Consule quæ suprà dicta sunt Art. 1. hujusce Quæst. ) Verùm timor ille non est absque amore spei: ut enim antea diximus ex S. Thoma 1. 2. q. 25. art. 2. timor mali nascitur ex amore boni contrarii, atque in ipso fundatur.

Instabis 3. Timor pœnæ est bonus, honestus, & supernaturalis, ex impulsu Spiritus sancti; ergo sufficiens est dispositio ad Sacramentum Pęnitentiæ.

Resp. nego consequentiam. Namque fides pariter est bona, honesta, supernaturalis, ex impulsu Spiritus sancti, an idcirco sola sufficit? minimè.

Objicies 2. Amor ille Dei quem exigimus, est super omnia: atqui omnis amor Dei super omnia ex se sanctificat hominem, & Deo reconciliat; ergo amor ille hominem priùs Deo reconciliaret, quàm accederet ad Sacramentum: atqui, ex antè dictis, talis amor Dei non est necessarius, nec stare potest cum efficacia Sacramenti.

Resp. dist. min. Amor Dei super omnia, qui est à charitate, quo quis finem suum ultimum, tùm objectivum tùm subjectivum, positivè ac explicitè in Deo constituit, sanctificat hominem, concedo: amor Dei super omnia, qui non est à charitate propriè dicta, nec positivè ac explicitè finem ultimum, tùm objectivum tùm subjectivum in Deo constituit, nego. Vide superiùs Art. 1. Quæst. 4.

Objicies 3. Si præter Sacramentum amor Dei requiritur, melior fuit Judæorum, quàm Christianorum conditio; illi etenim per solum Dei amorem sine jugo Sacramenti poterant in gratiam cum Deo redire.

Resp. nego maj. Quamquam enim necessarius foret amor Dei perfectus cum Sacramento, ( qui tamen, Deo infirmitati humanæ consulente, necessarius non est ) nihilominus multis aliis titulis melior longè foret nostra, quàm Judæorum conditio: tùm propter revelationem magis evidentem mysteriorum fidei; tùm propter gratiæ abundantiam, Sacramentorum facilitatem & efficaciam; tum propter immunitatem ab innumeris ferè legalibus præceptis & ceremoniis quibus gravabantur Judæi; tùm denique quia lex amoris suavissima est: ubi enim amatur, *non laboratur*, ait S. Augustinus, aut saltem *labor ipse amatur*. *To. 6. p. 384.*

*Solvun-*

*Solvuntur Objectiones adversùs secundam Conclusionem.*

Objicies 1. contra primam partem Conclusionis, testimonia Scripturæ à nobis ipsis adducta in probationem primæ Conclusionis. Aut enim ipsum veræ charitatis amorem illa exprimunt, aut nullibi in Scripturis talis amor exprimitur: quibus adde istud Apostoli 1. Corinth. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam.... nihil sum.*

Resp. laudata Scripturæ testimonia non sine aliqua restrictione ac cautione hic urgenda esse; aliàs efficeres, non tantùm charitatem ex motivo suo formali perfectam, sed etiam intensione gradus summam, necessariam esse: quippe loquendi formulæ, *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex totis viribus*, nisi aliqua ratione temperentur, æquè natæ sunt significare summam hanc gradus intensionem, ac solam appretiationem seu majorem objecti æstimationem, ut jam observatum fuit, tùm Qu. 3. in responsione ad quæsitum 4. tùm Quæst. 4. Art. 1. in responsione ad Objectiones contra secundam Conclusionem.

Itaque citata testimonia vel de habitu, vel de ipso actu charitatis intelligi possunt. Si de habitu, verè dixit Apostolus, *Si charitatem non habuero, nihil sum*; quia nempe homo sine habituali charitate nihil potest ad salutem de condigno meritorium operari, cùm sit in statu peccati, Deo exosus & inimicus. Si verò de actu charitatis, distinctione opus est: vel enim sermo est de justificatione habenda extra Sacramentum, vel in Sacramento: si prius, ( quo maximè sensu loquitur Scriptura ) actus charitatis perfectæ necessarius est; si posterius, sufficit cum Sacramento amor Dei qui spei dicitur.

Objicies 2. Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 6. videtur exigere in iis qui se ad Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ disponunt, verum amorem Dei ex motivo charitatis.

I. Postquam dixit actus fidei & spei esse necessarios, adjungit & *ipsam dilectionem seu amorem Dei*. Ergo amor ille motivo distinctus est à spe; ergo est amor veræ charitatis. Idem planè constat ex Declaratione Cleri Gallicani, ubi distinctos exigit actus fidei, spei & dilectionis.

II. Quia amorem hunc vocat dilectionem *incipientem*: atqui amor spei seu concupiscentiæ, alius non est incipiens, & alius perfectus, sed statim perfectus est, utpote naturæ consentaneus; ergo amor ille est veræ charitatis.

III. Quia dicit Deum illo amore diligi tanquam *omnis justitiæ fontem*: atqui hæc dilectio est à charitate, juxta S. Thomam 2. 2. qu. 26. art. 4. in corp. *Deus*, inquit, *diligitur ut principium omnis boni, super quo fundatur dilectio charitatis.*

IV. Quia asserit ex illo amore sequi odium ac detestationem peccati, & propositum novæ vitæ inchoandæ, & Legis divinæ servandæ: atqui hæc ab alio non possunt oriri principio, quàm à charitate.

Resp. nego ant.

Ad primam probationem, fatemur Concilium præter fidem & spem, exigere dilectionem Dei; sed qualis illa sit, non apertè explicat: quia generali potius voce *dilectionis* usi sunt Patres, non charitatis, non amoris super omnia, ne rem dirimerent controversam. Hanc equidem dilectionem distinguunt

guunt à ſpe: at quis certò aſſerere poteſt, an eam diſtinguant vel tanquam rem à re, vel tantùm ut effectum à cauſa, partem à toto, proprietatem à natura?

Ad ſecundam: Diximus amorem illum incipientem appellari, tùm quia ab eo ad amorem veræ charitatis homo gradum facit; tùm quia non ita perfectus eſt ac amor charitatis.

Ad tertiam, diſt. min. Dilectio qua Deus diligitur ut omnis fons juſtitiæ, in ſe abſolutè ſine ullo explicito ad nos reſpectu, eſt à vera charitate, concedo: ut eſt fons juſtitiæ noſtræ, ſeu quatenus eſt noſtra juſtitia, felicitas & finis ultimus, nego. S. Thomas citato loco vult dumtaxat eum eſſe charitatis ordinem, ut tum primùm feratur in Deum bonum per eſſentiam, deinde in ſeipſum & proximum, in quibus eſt bonitas participata.

Ad quartam, nego min. Iſta quippe ex amore Dei inchoato, qualem deſcripſimus, oriri poſſunt.

Inſtabis. Idem Concilium Seſſ. 14. multa docet ex quibus videtur colligi neceſſitas amoris Dei ex motivo charitatis.

I. Cap. 1. aſſerit, pœnitentiam quolibet tempore fuiſſe neceſſariam ad gratiam & juſtitiam aſſequendam: ſed talis pęnitentia procul dubio includit amorem charitatis.

II. Cap. 3. inter partes Sacramenti Pęnitentiæ recenſet contritionem ſimpliciter: at contritio ſimpliciter ſumpta charitatem includit.

III. Cap. 4. definiens contritionem generatim ſumptam, ait eam non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere . . . atque in ea cor novum, & ſpiritum novum fieri: ſed iſta fieri non poſſunt ſine charitate; charitas ergo includitur in contritione genericè ſumpta: quod verò convenit contritioni genericè ſumptæ, convenit etiam attritioni quæ ſpecies eſt verę contritionis.

IV. Eodem capite, attritionem vocat contritionem imperfectam: atqui imperfectum non diſtinguitur à perfecto, eſſentialiter, ſed accidentariò tantùm: contritio igitur perfecta dicitur, cùm includit perfectam charitatem; imperfecta verò ſeu attritio appellatur, cùm imperfectam habet, hoc eſt remiſſam & minùs intenſam charitatem.

Reſp. ad primum, Concilium ibi loqui de virtute pęnitentiæ, quæ omni profectò tempore neceſſaria fuit ad obtinendam veniam peccatorum, atque ex motivo charitatis perfectæ debet oriri: de Sacramento verò Pęnitentiæ quis affirmaret, omni tempore neceſſarium illud fuiſſe?

Ad ſecundum: Loquitur Concilium de contritione generatim, prout à perfecta vel imperfecta abſtrahit; quo ſenſu eam inter partes Sacramenti Pęnitentiæ recenſet. Et verò, poſtquam cap. 4. definivit contritionem, quam præcedenti capite dixerat eſſe partem hujus Sacramenti, illam dividit in perfectam, & imperfectam, qua certè diviſione manifeſtum eſt, contritionem ſumptam fuiſſe à Concilio in genere, prout ſcilicet abſtrahit à perfecta & imperfecta.

Ad tertium: Patet ex jam dictis, imperfectum Dei amorem ſufficere ad ea omnia quæ hic proponuntur.

Ad quartum: Attritio non dicitur contritio imperfecta, tantùm propter gradum remiſſum; ſed maximè propter motivum, quod cùm ſit ſpecie di-

versum in contritione & attritione, differunt inter se essentialiter contritio & attritio.

Objicies 3. Cùm SS. Patres necessitatem amoris Dei etiam inchoati toties commendant, non alium profectò, quàm veræ charitatis amorem intelligunt. *Quid est bonicupiditas*, ait S. Augustinus L. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 9. *nisi charitas?* Et L. de Gratia Christi cap. 26. postquam dixit: *Ubi non est dilectio, nullum opus bonum imputari, nec rectè opus bonum vocari*; statim explicat qualis sit illa dilectio: *Quia*, inquit, *omne quod non est ex fide, peccatum est; & fides per dilectionem operatur. Ac per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet*. Idem sanctus Doctor pluribus in locis repetit, ex solo timore pœnæ sine amore justitiæ verè peccatum non declinari; amorem autem illum justitiæ esse à charitate, inde constat, quòd illum opponat timori qui expellitur per charitatem.

T. 10. p. 444. G. Ibid. p. 243. A.

Resp. nego maj. Patet quippe ex testimoniis Conclusione tertia hic relatis, amorem quo Deus diligitur, quia nobis bonus, nostra felicitas ac finis ultimus, laudari & commendari à S. Augustino: at amor ille, ex probatis antea Quæstione 4. non ad charitatem, sed ad spem revocatur.

Cùm verò SS. Patres sæpius commendant, tanquam omnino necessarium, amorem Dei ex motivo proprio charitatis, vel loquuntur de habitu charitatis sine quo nullus potest esse justus, vel de actu necessario ad obtinendam veniam peccatorum extra Sacramentum, non verò in Sacramento. Porro quæ in Objectione laudata sunt sancti Augustini testimonia, non sunt ad rem: nomine quippe charitatis intelligit ibi sanctus Doctor gratiam supernaturalem sine qua nihil boni possumus; non verò propriè dictam charitatem, quæ virtus est theologica. Id verò manifestum est tùm ex scopo illius; tùm ex verbis ipsis citatis. Oppugnat scilicet Pelagianos negantes necessitatem gratiæ; & probat, sine dilectione, hoc est sine gratia, nihil boni fieri posse in ordine ad vitam æternam. Ait quidem citato cap. 26. Lib. de Gratia, per illam gratiam *diffundi charitatem in cordibus*, quod verum est; sed non ait omnem illam gratiam esse veram & propriè dictam charitatem, quod tamen supponit objectio. Quo verò sensu dixerit sæpius, timorem pœnæ sine amore justitiæ non excludere ipsum peccati affectum, jam non semel exposuimus; scilicet S. Doctorem loqui vel de timore serviliter servili, vel exigere dumtaxat amorem imperfectum, qui dicitur spei: quæ autem objici solent ad probandum talem Dei amorem ad charitatem etiam pertinere, solvimus suprà ad quæstionem quartam.

Objicies 4. Qui peccavit contra fidem aut spem, non potest Deo reconciliari, etiam in Sacramento, nisi præmittat actus fidei & spei; ergo pariter cùm omne peccatum mortale sit contra charitatem, non potest peccator justitiam assequi, etiam in Sacramento Pœnitentiæ, sine prævio charitatis actu.

Resp. nego consequentiam. Disparitas est, quia fides & spes sunt initium, fundamentum & radix justificationis nostræ, ut ait Concilium Trid. Sess. 6. cap. 8. at charitas est finis, aut ipsa forma, qua justificamur; unde necesse est actus fidei & spei præcedere, tanquam media & dispositiones ad gratiam sanctificantem, non verò ipsam charitatem, quæ non est medium sed finis. Ratio verò & causa propter quam actus charitatis necessarius est ad obtinen-

tinendam justitiam extra Sacramentum, non ista est, quia peccatum omne mortale est contra charitatem; ( istud enim ipsi convenit, sive habeatur justitia extra Sacramentum, sive in Sacramento ) sed quia sine actu charitatis extra Sacramentum, nulla datur causa quæ divinam misericordiam moveat & excitet ad gratiam sanctificantem liberaliter ac gratis concedendam: nullus enim alius actus est, quàm charitatis, qui, non quidem ex merito, ut ajunt, de condigno, sed de congruo saltem, aliquam habeat cum gratia sanctificante proportionem: *Nihil quippe eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur*, ait Conc. Trid. Sess. 6. c. 8. To. 14. Conc p. 760. C.

Objicies denique: Quamquam multi Theologi existiment amorem charitatis necessarium non esse, attritionem verò ex metu pœnæ conceptam sufficere; nihilominus non dissimulant illi, sententiam hanc novam esse, nec satis tutam, adeoque in mortis articulo eum non satis saluti suæ consulturum, qui sine amore Dei super omnia accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ita Dominicus Soto in 4. Sent. dist. 18. q. 3. art. 2. *Doctrina hæc*, inquit, *de attritione quæ in Sacramento fit contritio, licèt sit vera, non est tamen ita multùm vetus. . . . . revera enim qui mihi diceret non se pœnitere propter Deum, absolvere non auderem.*

Melchior Canus parte 5. de Pœnitentia: *Contritio*, inquit, *ponitur pars Sacramenti, quia est certa & indubitata materia. Quòd autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen adeo certum & indubitatum.* P. 879.

Suares q. 90. in 3. partem S. Th. art. 4. disputatione 15. n. 17. *Licèt*, inquit, *sit opinio probabilis, attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa, & potest esse falsa . . . . Ergo qui sciens & videns ita se mori permittit, voluntariè exponit se periculo morali æternæ damnationis.* T. 4. p. 208. col. 1. C.

Comitolus L. 1. Responsorum moralium q. 32. n. 7. & 8. *Plures*, inquit, *magnique Theologi in pœnitente, antequam absolvatur, contritionem veram charitate formatam requirunt: neque usque adeo certum est, attritionem pœnitentis esse satis.*

Becanus Tractatu 1. cap. 4. de bonitate actuum internorum: *Fateor*, inquit, *tutius esse cum contritione accedere ad confessionem; ac proinde eum, qui scit se non esse contritum, sed tantùm attritum, consultius facturum, si conetur in se excitare contritionem.*

Idem docet Sanchez in Decalogum L. 1. c. 9. n. 34.

Resp. Launojum cujus est ista objectio aut non satis assecutum fuisse illorum Theologorum mentem, aut minùs sincerè illam retulisse, amputatis iis quæ vel antecedunt, vel sequuntur. Et verò vel ex hoc uno lector præjudicet quale sit Launoji criterium in referendis Ecclesiasticorum Scriptorum testimoniis: certum quippe est, ut mox patebit, & Dominicum Soto, & Melchiorem Canum existimasse attritionem naturalem, quæ bona fide contritio putatur, sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ; quantò magis sufficere putarunt attritionem supernaturalem ex solo pœnarum metu conceptam? An istam, quæso, rejecissent, altera admissa? Credat Launojus, non ego. Igitur Dominicus Soto loquitur de attritione quæ concipitur ex solo pœnarum metu, sine ullo ad Deum offensum respectu, quam meritò rejicit. Namque in 4. dist. 17. qu. 2. art. 5. docet contritionem ab attritione distingui ex parte objecti,

P. 455. col. 1. *quia*, inquit, *contritio est dolor de offensa Dei*, *attritio verò dolor peccati ob timorem inferni*, *aut aliorum nocumentorum temporalium*. Requiritur enim, ait Soto dist. 18. q. 3. art. 2. *detestatio peccati*, *quatenus est offensa Dei*; aut saltem ut pœnitens bona fide existimet se ex tali motivo pœnitere: quin & Clerus Gallicanus contrariam sententiam proscripsit. Idem tamen Soto eadem dist. q. 3. art. 3. docet, attritionem etiam naturalem, quæ invincibiliter ut talis ignoratur, sufficere: verùm hæc opinio meritò ab aliis Theologis rejicitur, & ab eodem Clero Gallicano damnata fuit.

P. 495. col. 1.

P. 497.

II. Melchior Canus parte 6. de Pœnitentia, conceptis verbis docet, attritionem efficacem ex timore pœnarum supernaturalium idoneam esse dispositionem ad gratiam Baptismi & Pœnitentiæ percipiendam: imò & attritionem quæ procedit ex amore naturali Dei, sufficere, ibidem insinuat, quamquam non ita assertivè; *forsitan*, inquit, *est dispositio idonea*. Loco igitur in Objectione citato solvit argumentum Durandi, quo probat contritionem non esse partem Sacramenti; sed totam ejus essentiam in una absolutione repositam esse: argumentum autem illud inde petitur, quòd attritio sufficiat ad Sacramentum; unde concludebat Durandus, contritionem non esse partem Sacramenti. Respondet Canus 1. nomine contritionis comprehendi & ipsam attritionem, cui generica contritionis definitio competit. 2. idcirco Concilium Florentinum contritionis potius, quàm attritionis nomine usum esse in designanda parte Sacramenti, quia contritio est certa & indubitata materia, non verò attritio, de qua disputant inter se Theologi. *Non enim hic est certitudo fidei*, ait Dominicus Soto in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. *sed Doctorum opinio.* Cùm igitur Canus dixit sententiam de sufficientia attritionis certam non esse, non ex propria & privata loquitur sententia, ( ipse siquidem sententiam hanc ibidem ait esse veram, eamque sequitur & approbat parte 6. ) sed loquitur ex placitis seu ex sententia aliorum Theologorum, qui disputant de sufficientia illius attritionis, circa quam Ecclesia nihil pronuntiavit.

P. 932.

P. 455.

III. Suares loco citato quærit, an saltem in articulo mortis necessaria sit contritio, remque proponit in utramque partem, pro varia Theologorum sententia; & quæ in Objectione referuntur, non sententiam ipsius Suaris exprimunt, sed aliorum: quam ubi retulit, ipse quæstionem solvit adhibita distinctione: his verbis: *Dico tamen*, inquit, *fidelem hunc constitutum in articulo mortis*, *qui benè novit solam attritionem de peccatis suis habuisse*, *& cum ea confessum & absolutum esse*, *ex vi justitiæ ad Deum*, *seu pœnitentiæ non teneri ad perfectiorem pœnitentiam agendam.... nihilominus teneri tam ex charitate Dei*, *quàm propria*: quod deinde rationibus confirmat, ex quibus perspicuum est, Launojum objectionem seu aliorum sententiam, quam sibi proponit Suares, pro ipsamet Suaris sententia incautè retulisse.

T. 4. p. 208. col. 2. A.

IV. Comitolus loquitur de illa attritione, qua quis non detestaretur peccatum, quia est offensa Dei, sed purè & simpliciter propter metum gehennæ; quam speciem attritionis certum est non sufficere: unde meritò ibidem ait citatus Auctor, *Sacerdotis partes præcipuas esse debere*, *urgere pœnitentes ardenti cohortatione*, *ut propter Deum peccata admissa execrentur*. Non aliam esse Comitoli mentem fatebitur, quisquis duplicem casum quem proponit initio q. 32. inspiciat. *Primus est*: *Domitius flagitia sua apud Sacerdotem confitetur*, *eorum nullo suscepto dolore*. *Secundus*: *Lucilius negat sibi propter*

*Deum*

*Deum sua scelera displicere. Quæritur an utrumque absolvere possit debeatve Sacerdos.*

V. Becanus ait quidem eum consultiùs facturum, qui conatur in se excitare contritionem; at non ait irritum propterea fore Sacramentum, si cum sola attritione accedat quis ad Sacramentum Pœnitentiæ.

VI. denique, Sanchez cum Suare consentit, & putat peccare quidem contra charitatem ministrum qui pœnitenti in articulo mortis accedenti ad Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione, cùm habere posset contritionem, sacramentalem absolutionem impenderet; nimirum propter grave damnationis æternæ periculum: at titulo justitiæ & ad veritatem Sacramenti necessariam esse contritionem, nec attritionem sufficere, non docuit Sanchez; imò potius in eo ipso loco qui objicitur, contrarium probat. Auctores igitur à Launojo citati non eam rejiciunt attritionem, quam hic propugnamus, sed illam tantùm quæ non dolet de peccatis quia sunt offensa Dei: quod motivum absolutè necessarium est in omni vera & supernaturali attritione.

*Objectiones contra secundam Conclusionis partem.*

Objicies 1. contra secundam Conclusionis partem. Operari intuitu mercedis charitati adversatur. 1. Corinth. 13. v. 5. *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Et Isaiæ 1. v. 23. *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Ergo amor Dei quatenus nobis bonus, non est bonus nec licitus, sed mercenarius.

Resp. dist. ant. intuitu mercedis temporalis quæ sit à Deo distincta, concedo: intuitu mercedis æternæ, quæ sit ipse Deus, subdistinguo: adversatur charitati agere intuitu mercedis æternæ, quæ ad nos refertur tanquam ad finem *qui*, seu ultimum, concedo: quæ ad nos refertur tantùm tanquam ad finem *cui*, nego. S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 6. rem totam exponit his verbis. *Amor sui tripliciter se potest habere ad charitatem: uno enim modo contrariatur charitati, secundùm quod aliquis in amore proprii boni finem constituit: alio verò modo, in charitate includitur, secundùm quod homo se propter Deum, & in Deo diligit: tertio modo, à charitate quidem distinguitur, sed charitati non contrariatur, puta cùm aliquis diligit seipsum, secundùm rationem proprii boni; ita tamen quòd in hoc proprio bono non constituat finem. Sicut etiam & ad proximum potest esse aliqua alia specialis dilectio præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo, dum proximus diligitur ratione commoditatis, consanguinitatis vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis sit ad charitatem.* Nihil certè iis Angelici Doctoris verbis expressius desiderari potest, ut jam suprà diximus, quo probetur, juxta S. Doctorem dari quemdam amorem rectum & honestum, qui tamen non sit amor charitatis propriè dictæ. Relege quæ dicta sunt Qu. 4. Art. 1. Conclusione 3. Isaias loco citato eos arguit, qui amore rerum temporalium à vero justitiæ tramite deflectunt.

Sunt qui respondent. Apostolum eò loci agere adversus illos qui suis duntaxat privatis commodis student, & omnia iis metiuntur, cùm è contra charitas publicam utilitatem ac Dei gloriam quærat in omnibus. Vide Estium in hunc locum.

Objicies 2. S. Bernardus Epistola ad Guigonem Priorem Cartusiensem 11.

n. 3. non approbat amorem quo Deus diligitur quia nobis bonus. *Qui magis*, *inquit*, *aut certè solum diligit suum*, *convincitur non castè diligere bonum*,
T. 1. p. *quod utique propter se diligit*, *non propter ipsum*. *Et hic talis non potest obe-*
17. D. *dire Prophetæ*, *qui ait*: *Confitemini Domino quoniam bonus*. *Confitetur quidem*, *quia fortasse bonus est sibi*; *non quia bonus est in se*.

Resp. dist. ant. S. Bernardus non approbat amorem quo Deus diligitur quia nobis bonus, propter bona caduca & temporalia, quæ ab ipso petimus aut accipimus, ita ut istud unicum sit amoris nostri motivum, concedo: propter bona spiritalia eaque æterna, quæ non sunt ab ipso Deo distincta & diversa, iterum distinguo: damnat illum amorem qui referret bona illa æterna seu beatitudinem ad nos tanquam ad finem ultimum, solùm subjectivum, sed etiam objectivum, concedo: qui non referret, imò potius nos ipsos ad Deum ordinat ac refert tanquam ad finem ultimum objectivum, nego.

Porrò S. Bernardum improbare dumtaxat amorem Dei propter bona temporalia, non verò propter beatitudinem æternam ab ipso non distinctam,
ibid. p. patet ex Sermone 9. in Psalm. 90. num. 8. *Sunt*, inquit, *fortè nonnulli*, *qui à*
853. B. *Domino obtinere temporalia seu spiritualia quælibet concupiscunt*: *sed perfecta charitas solùm sitit quod summum est*, *tota desiderii vehementia clamans*, Quid enim mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum . . . . *Singularis est puritatis*, *singularis gratiæ*, *singularis perfectionis*, *non modò nihil sperare nisi à Deo*, *sed nil quærere nisi eum*.

Instabis. Eadem Epistola sic prosequitur S. Bernardus. *Est qui confitetur*
Ib. p. 29. *Domino*, *quoniam potens est*, *& est qui confitetur*, *quoniam sibi bonus est*; *&*
E. *item qui confitetur*, *quoniam simpliciter bonus est*. *Primus servus est*, *& timet sibi*: *secundus mercenarius*, *& cupit sibi*: *tertius filius*, *& defert patri*. *Itaque & qui timet*, *& qui cupit*, *uterque pro se agunt*: *sola quæ in filio est charitas*, *non quærit quæ sua sunt*. *Quamobrem puto de illa dictum*: *Lex Domini immaculata convertens animas*; *quòd sola videlicet sit*, *quæ ab amore sui & mundi avertere possit animum*, *& in Deum dirigere*. *Nec timor quippe*, *nec amor privatus convertit animam*: *mutant interdum vultum vel actum*, *affectum nunquam*. Ex quibus sic arguitur: Ille amor castus non est, sed perversus, qui sibi soli cupit, qui pro se agit, qui affectum nunquam mutat, qui animum non potest à sui & mundi amore avocare: atqui talis est amor quo Deus diligitur ut nobis bonus.

Resp. dist. min. quo Deus diligitur ut nobis bonus, in rebus temporalibus, concedo: in rebus spiritualibus, præsertim verò in ipsa æterna felicitate, iterum distinguo: si felicitas illa æterna propter nos, seu privatum nostrum commodum diligatur tanquam finis quem ad nosmetipsos referamus, sicuti ad finem *cujus gratia*, seu objectivum, concedo: sicuti ad finem *cui*, seu subjectivum, nego. Finis *cui* seu subjectivus, est persona cui optamus bonum: finis *cujus gratia*, seu objectivus, est bonum illud propter quod comparandum aliquid fit. Turpe foret ac flagitiosum, Deum ad se referre tanquam ad finem *cujus gratia*; hoc enim est Deum minoris facere, quàm nos ipsos: sed piè & honestè Deum referimus ad nos tanquam ad finem *cui*, in eo quippe testamur summam ejus perfectionem: sic refertur causa ad effectum, fons ad rivu-

rivulum, perfectum ad perfectibile &c. Porrò in amore spei Deum ad nos ipsos referimus tanquam ad finem *cui*, non verò tanquam ad finem *cujus gratia*: bonus est ergo, honestus ac laudabilis amor ille, nec de eo loquitur S. Bernardus loco in objectione laudato. Id ita esse

Patet 1. quia eodem loco profitetur se de eo amore loqui, in quem dirigitur istud opprobrium à Propheta, *Confitetur tibi, cùm benefeceris ei.* Ps. 48. Atqui nemo dixerit opprobrium esse, diligere Deum ut beatitudinem nostram v. 19. ac finem ultimum.

Deinde, Propheta Regius, quem laudat ibi sanctus Bernardus, agit de iis qui Deum colunt propter renumerationem temporalem: *Confidunt*, inquit, *in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.*

Patet 2. quia S. Bernardus eum amorem vocat ibi mercenarium, quo qui ducitur, propria cupiditate trahitur, arctatur &c.

Instabis 2. Idem sanctus Doctor L. de diligendo Deo cap. 7. vult amorem illum, quo diligimus Deum ut bonum nostrum, esse mercenarium. *Non* T. 1. p. *sine præmio*, inquit, *diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit.* 591. D. *Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est; quippe non quærit quæ sua sunt . . Verus amor præmium non quærit, sed meretur.*

Resp. dist. ant. Diligendus est Deus absque præmii intuitu, quod sit à Deo diversum & infra Deum, concedo: quod sit Deus ipse, nego. Loquitur eò loci S. Bernardus de præmio quod diversum sit à Deo & infra Deum: *Verus*, inquit, *amor seipso contentus est. Habet præmium, sed id quod amatur.* Ibid. D.

Objicies 3. Vel ille amor Dei qui in spe fundatur, & dici solet concupiscentiæ, excludit affectum peccati, vel non: si prius, justificat hominem; nihil quippe amplius requiritur ad reconciliandum hominem Deo, quàm ut deponat affectum peccati, & Deum diligat super omnia: si posterius, amor ille castus non est, sed inordinatus.

Resp. per illum amorem excludi dumtaxat actualem, non verò habitualem peccati affectum, seu maculam ex peccato actuali animæ inhærentem, ut antea de timore ipso diximus: unde mirum non est, quòd hujus amoris virtute homo non justificetur; istud enim ad solam charitatem pertinet, non ad I. Pet. spem: *Charitas operit multitudinem peccatorum. Remittuntur ei peccata multa,* 4. 8. *quia dilexit multùm.* Luc. 7. v. 27.

Instabis. Spes affectum peccati non tollit, siquidem compatitur cum peccato mortali in peccatoribus; ergo proprium est charitatis, affectum illum expellere; amor ergo Dei quo talis affectus tollitur, est amor charitatis.

Resp. dist. ant. Spes non semper tollit affectum peccati, concedo: non tollit quando adjunctum habet amorem illum cujus ipsa fundamentum est, nego.

Instabis iterum: Proprium non est spei amare, sed tantùm sperare; sicut proprium non est charitatis sperare, sed amare: aliàs confunderentur motiva virtutum, & consequenter virtutes ipsæ.

Resp. dist. ant. Proprium non est spei amare, amore amicitiæ & benevolentiæ, concedo: amore concupiscentiæ, nego.

Objicies 4. Amor concupiscentiæ malus est; Ecclesiastici 18. v. 30. *Post concupiscentias tuas non eas.* Atqui amor ille, de quo loquimur, est concupiscentiæ.

Resp. dist. ant. Amor concupiscentiæ carnalis, concedo: concupiscentiæ

 spiri-

spiritualis & laudabilis, de qua dicit David Psal. 83. v. 1. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*, nego.

Instabis: Amor concupiscentiæ est amor proprius, vel saltem oritur ex amore proprii commodi: atqui amor proprius vitiosus est.

Resp. dist. ant. Est amor proprius, ad finem supernaturalem rectè ordinatus, concedo: est amor proprius naturalis inordinatus, nego.

Objicies denique: Hujus rei amor castus & purus non est, qua viri sancti & perfecti privari exoptant: atqui æterna beatitudine viri sancti & perfecti privari exoptant, ac anathema fieri pro suis fratribus. Ita Moyses Exodi 32. v. 32. in gratiam populi dicebat Deum alloquens: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de Libro tuo.* Et Apostolus Rom. 9. v. 3. *Optabam*, inquit, *ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus.*

Quidquid sit de majori propositione, ad minorem

Resp. 1. Moysen & S. Paulum exponi debere non de salute æterna, sed morte temporali quam pro fratribus suis subire parati erant. Ita exponunt sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 36. p. 580. & Oratione 44. p. 711. S. Hieronymus ad Algasiam Tom. 4. part. 1. Epistola 8. aliàs 151. qu. 9. Neque enim unquam crediderunt, ( quod sine errore credi non potest ) Moyses & S. Paulus, se innocuos, propter salutem aliorum, de Libro vitæ æternæ deleri posse, & ita anathema seu maledictum evadere posse.

Resp. 2. Moysen & S. Paulum id exoptasse ex abundantia & pio charitatis excessu, ac sub conditione, quam impossibilem judicabant; certi
Edit. nempe ac securi fieri non posse, ut propter alios, ipsi immerentes æterna
Commel. p. privarentur felicitate. Ita S. Chrysostomus Hom. 16. in Epistolam ad Ro-
183. manos, & S. Aug. Quæstionibus in Exodum cap. 147. *Securus hoc dixit*,
T. 3. p. 1. ( Moyses ) ait, *ut à consequentibus ratiocinatio concludatur; id est, ut quia*
p. 464. *Deus Moysen non deleret de Libro suo, populo peccatum illud remitteret.*
G. T. 5. p. Idem repetit S. Doctor Serm. 88. de verbis Evangelii num. 24. postre-
482. C. mæ editionis.

## QUÆSTIO SEXTA.

*De confessione, quæ secunda pars est Sacramenti Pœnitentiæ.*

QUatuor Articulis complectemur quæ de confessione nobis dicenda sunt & probanda.

I. de nomine & definitione confessionis.
II. de institutione, seu divino præcepto confessionis.
III. de præcepto Ecclesiastico confessionis.
IV. de conditionibus confessionis.

De ministro autem dicemus inferiùs ad Quæstionem decimam.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De nomine & definitione confessionis.*

SAnctus Thomas 2. 2. q. 3. art. 1. ad 1. observat triplicem in Scripturis distingui confessionem, nempe laudis, fidei, & peccatorum.

*Confes-*

*Confessio laudis*, ait Estius in 4. dist. 17. paragr. 4. *ea est qua Deum ut summè bonum, summèque laudabilem, & ejus beneficia atque judicia cum gratiarum actione cognoscimus & prædicamus*. Hoc sensu Psal. 34. v. 18. dicitur: *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te*. Et Matth. 11. v. 25. Christus ait: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Tom. 2. part. 2. p. 221. col. 1. A

Confessio fidei ea est, qua fidem nostram exteriùs declaramus & profitemur: quo sensu dixit Apostolus Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

Confessio denique peccatorum, de qua hìc agimus, est declaratio peccatorum facta vel Deo soli, vel Deo ejusque ministro, de qua frequens occurrit in sacro textu mentio. 1. Joan. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra*. Et Psal. 31. v. 6. *Dixi, Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. Confessio hæc peccatorum Deo facta, semper necessaria fuit ad veniam eorum impetrandam.

Confessio peccatorum quæ fit homini, multiplex potest distingui: alia quippè est civilis, qua reus coram Judicibus suum crimen fatetur; alia est satisfactoria, quæ fit ad placandum proximum & eum nobis reconciliandum; alia consolatoria, & quæ fit per modum consilii, per quam scilicet peccata nostra effundimus in sinum viri docti & prudentis, ab eo percepturi consolationem, consilium, ac remedium, de qua Sapiens Proverb. 28. v. 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur*. Alia legalis quam Lex ipsa Mosaica faciendam præscribebat ab iis qui rei erant, & mundari exoptabant. Levitici 5. & Numerorum 5. Ad hanc peccatorum confessionem obstrictos fuisse Judæos, testantur rerum Judaicarum periti. Lege Morinum L. 9. de Pœnitentia cap. 33. 34. 35. & 36. Quin & Pagani ipsi, vel ipso suggerente dæmone mysteriorum Dei æmulo, aliquam exigebant peccati confessionem ab eo qui sacris initiari volebat. Narrat eam in rem Plutarchus in Apophtegmatis, Antalcidam, cùm erat initiandus, à Sacerdote fuisse interrogatum, cujus maximi peccati esset sibi conscius. Plura vide apud Illustrissimum Huetium, quæstionum Alnetanarum L. 2. cap. 20. Alia denique est confessio peccatorum sacramentalis, quæ una ad præsens nostrum institutum pertinet. Apophtegma sciè dictum.

Definitur verò, *Sacramentalis accusatio peccatorum suorum, quæ post Baptismum commissa sunt, facta Sacerdoti à pœnitente, ad eorum veniam virtute clavium Ecclesiæ obtinendam*.

Dicitur 1. *accusatio*, non simplex declaratio, non historica narratio, multò minùs excusatio, vel ostentatio. Dicitur *accusatio*, ait Catechismus Romanus de Pœnitentia parte 2. n. 51. *quòd peccata ita commemoranda non sunt, quasi scelera nostra ostentemus, ut ii faciunt, qui lætantur cùm malè fecerint; aut sic enarranda, ut si rem aliquam gestam otiosis auditoribus delectandi causa exponamus. Verùm accusatorio animo ita sunt enumeranda, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus*. Definitio confessionis.

Dicitur 2. *sacramentalis accusatio*, quia ordinem dicit ad Sacramentum Pœnitentiæ, cujus pars est essentialis.

Dicitur 3. *peccatorum suorum*, non verò aliorum: quibus verbis designatur propria materia confessionis.

Dici-

Dicitur 4. quæ post Baptismum commissa sunt: præcedentia quippè peccata per Baptismum perfectè condonantur sine ministerio clavium.

Dicitur 5. *facta Sacerdoti*, quia solus Sacerdos est minister Sacramenti Pœnitentiæ. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Dicitur denique, *ad obtinendam peccatorum veniam virtute clavium Ecclesiæ*: quæ verba finem confessionis ejusque efficaciam significant; *ac per hoc, distinguitur*, inquit Catechismus mox citatus n. 52. *a confessione quæ fit in Judicio civili ac forensi, ubi pœna & supplicium, non culpæ venia constituta est confitentibus.*

Apud Græcos idem significat ἐξομολόγησις, quod apud nos confessio. Est enim ἐξομολόγησις, juxta vim nominis, declaratio, & manifestatio à verbo ἐξομολογέω, confiteor, palam prædico. Hoc sensu usurpatur Matth. 3. v. 6. Act. 19. v. 18. Jacobi 5. v. 16. Joan. 1. v. 9. Eodem sensu passim usurpatur à Scriptoribus Græcis, imò & à Latinis, ad quos vox ista *exomologesis* obtinuit, teste Tertulliano L. de Pœnit. cap. 9. S. Cypriano tractatu de lapsis & passim in Epistolis, & aliis benè multis.

Illustrissimus & doctissimus Albaspinæus L. 2. Observationum, Observatione 27. Morinus L. 2. de Pœnit. c. 2. n. 4. Petavius Animadversionibus in S. Epiphanium, ad hæresim 59. quæ est Novatianorum, pag. 249. observant apud veteres Scriptores frequenter per *exomologesim* significari totam laboriosæ & publicæ pœnitentiæ actionem, præsertim verò tertium ipsius gradum, qui dicebatur *substratio*, quique totus in fletu, mœrore, jejuniis aliisque carnis macerationibus transigebatur. Hoc sensu Tertullianus loco
Pagina mox citato ait: *Exomologesis prosternendi & humilificandi disciplina est, con-*
127. A. *versationem injungens misericordiæ ilicem, de ipso quoque habitu & victu man-*
Pagina *dat &c.* Et L. de Oratione c. 7. *Exomologesis est petitio veniæ*, inquit, *quia*
132. B. *qui veniam petit, delictum confitetur.*

Ea nostrorum observatione abutuntur Novatores, Dallæus imprimis, ut elevent vim argumenti quod Catholici pro necessitate confessionis colligunt ex illa *exomologesi* toties apud Veteres commendata; nihilque aliud eo nomine significari contendunt, quàm vel totam publicæ pœnitentiæ actionem, vel publicam confessionem, quæ illius pars erat non minima. Verùm patebit ex decursu hujus disputationis, eos multùm aberrare, atque non pro sola duntaxat aut penitentia, aut confessione publica, verùm & pro privata & auriculari, ut vocant, secretorum peccatorum declaratione à Veteribus usurpari *exomologesis* nomen. Unde scitè Petavius loco citato, *Ne-*
P. 250. *que inficior*, inquit, *quin exomologesis interdum veram & Sacramenti propriam, adeoque privatam peccatorum expositionem significet: sed cautè & prudenter*, pergit ille, *in hujus vocis interpretatione versandum est, ut ex ipso narrationis contextu, quo sensu à Patribus usurpata sit dijudicare possimus.* Et verò probabile non videtur, non eo sensu à veteribus Scriptoribus usurpatam fuisse vocem *exomologesis*, quo sciebant usurpari à Scriptoribus Ecclesiasticis: at apud illos *exomologesis* significat confessionem peccatorum, non solam penitentiæ actionem. Quin non alia de causa vox ista translata videtur ad significandam totam actionem pœnitentiæ, quàm quod propriè significet peccatorum declarationem: Penitentia enim est veluti quædam continua peccati confessio. *Qui veniam petit*, ait Tertullianus citatus, *delictum confitetur.*

Atque

Atque ut plura hic omittamus Veterum testimonia, certum est *exomologesim* apud S. Cyprianum Epistola 13. usurpari pro confessione, non pro sola penitentiæ actione; siquidem agens de lapsis qui libellos à Martyribus obtinuerant, ut ab agenda canonica penitentia liberi & immunes fierent, statuit, ut si premi in infirmitate cępissent, exomologesi facta reconcilientur: quo loco *exomologesis* haud dubiè non significat canonicam pęnitentiam, à qua præ infirmitate lapsi illi dispensabantur; ergo significat peccatorum confessionem. *Si premi*, inquit, *infirmitate aliqua & periculo cœperint*, *exomologesi facta*, *& manu eis à vobis in pœnitentiam imposita*, *cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur*. Pag. 26.

Ætate S. Isidori qui obiit an. 636. & sequentibus, *exomologesis* nomen translatum fuit ad significandas Litanias: Litania verò est supplex deprecatio cum summæ demissionis testificatione conjuncta. *Inter Litanias*, inquit S. Doctor L. 6. Originum c. 19. *& exomologeses hoc differt*, *quòd exomologeses pro sola peccatorum confessione agantur*; *Litaniæ verò indicantur propter rogandum Deum & impetrandum in aliquo misericordiam ejus*. *Sed nunc jam utrumque vocabulum sub unâ designatione habetur*; *nec distat vulgò utrum Litaniæ an exomologeses dicantur*. Idem erat hujus vocis usus tempore Concilii Moguntini an. 813. ut constat ex Can. 32. qui totus ex verbis S. Isidori expressus est. P. 84. E. Tom. 7. Conc. p. 1249. D

## ARTICULUS II.

### *De divino confessionis præcepto.*

Circa divinam confessionis institutionem errant Novatores, nostrique Scholastici varias in partes scinduntur, non quidem circa necessitatem confessionis jure divino, quam agnoscunt, sed circa vim probationis quæ ex Scripturis colligi potest.

### *Novatorum error.*

Præter Hæreticos qui Sacramento Pęnitentiæ bellum indixere, de quibus diximus Qu. 1. Art. 2. divinam Confessionis institutionem ac necessitatem propiùs oppugnarunt

I. Illi de quibus Concilium Cabillonense II. an. 813. Can. 33. & Magister L. 4. dist. 17. *Quidam dicunt Deo solummodo confiteri debere peccata*. Tom. 7. Conc. p. 1279. A

II. Flagellantes negabant confessionem sibi esse necessariam, quam sanguine per flagella excusso abundè suppleri arbitrabantur. Ita refert Gersonius, Tomo 1. parte 1. pag. 636.

III. Inter articulos Wiclefi proscriptos à Concilio Constantiensi an. 1415. Sess. 8. hic numero septimus legitur, *Si homo debitè fuerit contritus*, *omnis confessio exterior est superflua & inutilis*. To. 12. Conc. p. 46. A.

IV. Petrus de Osma Doctor Salmaticensis docuit *confessionem peccatorum in specie*, *ex Ecclesiæ universalis statuto*, *non divino jure*, *compertam esse & peccata mortalia quoad culpam & pœnam alterius sæculi*, *absque confessione sola cordis contritione*; *pravas verò cogitationes*, *sola displicentia deleri*. Damnatus ille fuit à Sixto IV. Summo Pontifice an. 1478.

V. Lu-

V. Lutherus utilem esse ac meritò retinendam confessionem peccatorum scripsit. *Occulta confessio quo modo celebratur*, inquit ille Lib. de Captivitate Babylonica cap. de Pœnitentia, *miro modo mihi placet, & utilis, imò necessaria est; nec vellem eam non esse, cùm sit afflictis conscientiis remedium*. Et in parvo Catechismo expressè dicitur, *Ministris confitenda esse peccata*; atque eo ferè ipso ritu danda præscribitur absolutio, quo apud nos. Inde Illustrissimus Bossuetius Meldensium Episcopus L. 3. Variationum cap. 47. & 48. infert Lutherum ea in parte à nobis non dissensisse. At quamquam usum confessionis retinendum duxerit Lutherus cum suis, tanquam utilem, non tamen necessariam illam esse jure ac præcepto divino, sed planè liberam uniuscujusque arbitrio permittendam existimavit; & hanc ipsam confessionis legem, quam agnoscit Romana Ecclesia, appellat in Assertione articuli noni inter eos quos damnavit Leo X. *cruentissimam carnificinam*. Melanchon ait esse *conscientiarum laqueum*. Confessio Augustana anni 1530. *planè impossibilem vocat*. Ita Lutherani in jam dicta Confessione Augustana, in Saxonica anni 1551. & in Wittembergensi anni 1552. Idem planè constat ex articulis Lutheri Patribus Tridentinis oblatis ut expenderentur & damnarentur, quos refert Pallavicinus L. 12. Hist. Concilii Trid. c. 10. quorum
To. 2. p. 314. hic unus est. *Confessio secreta sacramentalis juris divini non est; nec apud antiquos Patres ante Concilium Lateranense ejus facta est mentio, sed publicæ pœnitentiæ*. Item, *Enumeratio peccatorum in confessione non est necessaria ad illorum remissionem, sed libera, & tantùm utilis ad erudiendum pœnitentem, & consolandum*. Item, *Confessio peccatorum quam Ecclesia faciendam præcipit, est impossibilis, & traditio humana à piis abolenda &c.*

Calvinus L. 3. Institutionis c. 4. paragr. 13. utilitatem confessionis pluri-
P. 226. mùm etiam commendat: *Qui enim*, ait, *impeditam habent conscientiam, re-*
P. 223. *ferre inde possunt singularem fructum*. Ibid. paragr. 7. non dissimulat antiquum esse auricularis Confessionis usum: verùm, nec necessariam esse, sed liberam; nec à Christo institutam, sed ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi
P. 224. contendit; imò eam ibidem *tyrannidem*, & paragr. 9. vocat *rem pestilentem*,
Opusc. *multisque nominibus Ecclesiæ noxiam*. Et in Antidoto Concilii Tridentini ait,
p. 716. *nullum fuisse per annos mille in Ecclesia confessionis usum, donec Innocentius III. laqueum hunc populo Christiano induxit, quem Tridentini Patres adstringunt*: unde *tormentum Innocentianum* à Calvinistis solet vulgò appellari.

Inter recentiores Calvinistas Dallæus amplam edidit Dissertationem quatuor Libris comprehensam adversùs sacramentalem confessionem, in qua multa arte conatur tùm infirmare ac elevare omnia Catholicorum argumenta, tùm oppositum errorem defendere.

Itaque quæstio non est cum Novatoribus, utrum confessio peccatorum sit Deo facienda; fatentur. Neque utrum sit utilis & consulenda ea quæ fit homini; hanc etenim & laudant & commendant: sed quæstio est, utrum sit libera, an verò necessaria jure ac præcepto divino.

P. 345. Observat Arcudius L. 4. de Pœnit. c. 2. Pontifices & Sacerdotes Græcos ferè nunquam sua confiteri peccata, non quidem ex errore, quasi existiment confessionem non esse juris divini; eo enim in capite utramque Ecclesiam semper consensisse ostendit Leo Allatius L. 3. c. 16. & 17. verùm ex metu pœnarum quæ à Canonibus certis peccatis imponuntur.

*Variæ*

*Variæ Scholasticorum opiniones circa vim probationis quæ infertur ex Scripturis pro necessitate confessionis.*

Discrepantes illas aliquorum ex nostris opiniones invidiosè nobis opponunt Novatores, ut efficiant nequidem constare inter nos de necessitate confessionis jure divino.

Verùm I. dogmatis Catholici firmitas & certitudo non pendet, neque debet æstimari ex obscura aliquorum privatorum opinione, sed ex communi Fidelium sententia & praxi, ex Conciliorum Decretis ac Canonibus, ac publicis fidei professionibus. Etsi igitur daremus aliquos ex nostris Scholasticis in dubium aliquando revocasse divinam esse confessionis institutionem, nullum inde causæ nostræ Catholicæ detrimentum accederet.

II. Scholastici Doctores non circa dogmatis substantiam variant, sed circa vim probationis quæ infertur ex Scripturis.

Primò, qui cum Thoma Valdensi Tom.2. cap. 40. confessionis originem & institutionem repetunt vel ab ipso mundi exordio, cùm scilicet Deus ab Adamo & Eva delicti confessionem postulavit, quam etiam Judæis Levitici 5. & Numerorum 5. faciendam mandavit, quique idcircò affirmant, Christum novum non dedisse confessionis faciendæ præceptum, sed tantùm nonnulla quæ deerant; supplevisse, ii confessionis necessitatem ex jure divino confirmant maximè, nedum impetunt; atque hoc unum dumtaxat volunt, nempè confessionem, cujus tam antiquus usus est, per Christum ad dignitatem Sacramenti evectam fuisse, qua caruit antea, sive in Lege naturæ, sive in Lege Mosaica.

Secundò, nec eidem divinæ confessionis institutioni adversantur, qui docent Christum instituendo Sacramentum Pœnitentiæ, expressum & conceptis verbis non dedisse præceptum confessionis; sed Apostolis suis provinciam hanc & curam demandasse, ut præceptum & modum confitendi peccata definirent. Si verò quæras ab illis, quare Christus clarè & expressè tale præceptum non dederit, respondebunt cum Hugone Victorino Lib.2. de Sacramentis parte 14. cap.1. quia necesse non erat. Cùm enim Christus Sacerdotes clarè instituisset morborum animi judices & medicos, qui ægri sunt præcepto non indigent ut medicos adeant, ad quos adeundos satis ex se movet & incitat recuperandæ sanitatis desiderium. Quia verò intellexerunt Apostoli, homines salutis animæ parum sollicitos negligere remedium à Christo institutum, idcircò, juxta eorum Theologorum sententiam, expressum confessionis mandatum promulgarunt. Ita videntur exponendi S. Bonaventura, Hugo Victorinus, Alexander Alensis, & alii nonnulli. Ita quoque Patres Concilii Cabillonensis II. Can. 33. cùm ajunt, *Sacerdotibus esse confitenda peccata, quia secundùm institutionem Apostoli confiteri debemus alterutrum peccata nostra, & orare pro invicem ut salvemur*. Institutionem appellant Apostoli, declarationem seu promulgationem quam Apostolus fecit institutionis à Christo factæ. Cùm verò addunt ibidem, *confessionem, quæ Deo fit, purgare peccata; eam verò quæ fit Sacerdoti, docere qualiter ipsa purgentur peccata*, sensus eorum non est, quòd confessio quæ fit Sacerdoti verè non purget peccata, sed quòd Sacerdos non propria & privata auctoritate ea dimittat, sed virtute ipsius Christi, qui aliquando per se solus ea dimittit, aliquando

Tom.7. Conc.p. 1279.

verò

verò ministerio Sacerdotum: *Deus namque*, inquiunt, *salutis & sanitatis auctor & largitor, plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione, plerumque medicorum operatione*.

Tertiò, inter hostes confessionis jure divino necessariæ recenseri meritò non possunt, qui licèt necessitatem illam fateantur, litigant tamen circa Scripturæ loca ex quibus probari illa efficaciter potest.

Sunt enim qui cum Alexandro Alensi, necessitatem illam inferunt ex istis Christi verbis apud S. Matth. cap.4. *Pœnitentiam agite*; non verò ex istis apud S. Joan. cap.20. *Quorum remiseritis peccata &c.*

Sunt qui cum Scoto eam probant tùm ex istis verbis, *Diliges Dominum Deum tuum*: *quo præcepto*, inquit, *tenetur ad Deum converti qui mortaliter peccavit*; tùm ex istis, *Quorum remiseritis peccata &c.* quibus confertur Sacerdotibus auctoritas absolvendi à peccatis; tenetur autem quisque assumere faciliorem viam redeundi ad Deum, & obtinendi veniam peccatorum.

Sunt qui eam inferunt ex istis verbis Joan. 5. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*.

Sunt qui cum Bellarmino & aliis benè multis adducunt tùm figuras varias confessionis, quæ præcesserunt in veteri Lege; tùm hæc novi Testamenti loca, Act.19.v.18. *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos*. 2. Corinth.5. v.18. *Dedit nobis ministerium reconciliationis*. Jacobi 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra*. 1. Joan.1. v.9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra*.

Quamquam verò multò major Theologorum pars confessionis necessitatem probet ex istis verbis Christi apud S.Joan. c.20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos..... Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*: non omnes tamen consentiunt inter se, an ex illis solis verbis certò & efficaciter confessionis necessitas eruatur; an recurrendum sit ad intentionem Christi quam viva voce suis Apostolis declaravit, & habemus in Traditione Ecclesiæ expressam. Aliqui enim existimant, ex citatis verbis tam inferri posse Baptismi, quàm Pœnitentiæ necessitatem. Ita Jansenius Gandavensis cap.147. Concord. & S.Cyrillus Alexandr. Comment. in Joan. Scotus pariter docet, citatis verbis expresè quidem ac distinctè Sacerdotibus conferri potestatem dimittendi peccata, eorum nempè qui liberè se illis subjiciunt; verùm contendit, non ita facilè, sine Traditionis subsidio, probari posse, omnibus Fidelibus legem & necessitatem vi illorum verborum imponi, ut se subjiciant Sacerdotibus, quasi non possit alia via obtineri remissio peccatorum. Disputant similiter nonnulli, utrum necessitas confessionis ex utroque adducta propositionis membro æquè colligatur; hoc est, tam ex potestate remittendi, quàm retinendi peccata: sunt enim qui ex priori potissimùm, non ex posteriori illam deduci existimant.

Quartò, qui docent pœnitentem certis in casibus non adstringi lege confitendi peccata, v.g. cùm unius dumtaxat Sacerdotis habet copiam, atque moraliter certus est ab eo revelandum esse peccatum, aut aliquod aliud grave, sive in vita, sive in bonis detrimentum & incommodum inde sequuturum, qui, inquam, ita docent, ii absolutè ac simpliciter non impugnant necessitatem confessionis, sed tantùm in certis casibus legem ipsius non obligare arbitrantur.

Quin-

Quintò denique, qui cum Estio infrà referendo in 4. dist. 17. cap. 8. docent modum confitendi peccata secretò, seu in aurem Sacerdotis non esse à Christo præscriptum, nec ad substantiam sacramentalis confessionis pertinere, sed ad disciplinam tantùm, ii absolute non negant confessionem peccatorum jure divino esse necessariam; sed tantùm modum confitendi secretò, quamquam antiquum & retinendum, non esse institutionis ac præcepti divini. Siquidem, inquiunt, Christus non prohibuit, quin aliquis delicta sua publicè confiteri possit, si voluerit, quæ publica confessio æquè valida est, ac secreta quæ fit in aurem Sacerdotis: ex quibus omnibus perspicuum est, hac inter nostros sententiarum varietate ac discordia minimè lædi Catholicum de necessitate confessionis dogma.

Cùm verò Dallæus tota sua Dissertatione pugnaciter contendat, neque ex Scripturis, neque ex Traditione ullum efficax argumentum erui posse pro demonstranda necessitate Confessionis jure divino, utrumque istud argumentum sigillatim tractandum nobis est, ac Catholicæ veritati asserendum.

*Utrum necessitas confessionis sacramentalis efficaciter probari possit ex Scriptura.*

## CONCLUSIO.

Necessitas sacramentalis confessionis efficaciter probatur ex cap. 20. S. Joannis.

In hoc uno Scripturæ testimonio vim faciemus, tùm quia decretorium nobis videtur; tùm quia cætera, quæ passim laudantur à Bellarmino & aliis, etsi vim suam habeant, non ita tamen efficacem ac supra omnem exceptionem.

Itaque Christus Joan. 20. v. 23. Apostolis suis potestatem remittendi & retinendi peccata his verbis concessit. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Potestatem hanc jam promiserat & delineaverat Christus apud S. Matth. cap. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcunque solveritis, erunt soluta & in Cælo.* In illa verò Apostolis eorumque successoribus data potestate remittendi peccata, continetur lex & obligatio confessionis peccatorum faciendæ ab illis omnibus, qui veniam peccatorum obtinere desiderant. Quomodo enim Sacerdotes possunt remittere peccata, tanquam judices & medici morborum animarum nostrarum, nisi peccata illa & morbos cognoscant, ut aptum ipsis applicent remedium; (neque enim ea potestate cæco quodam ac indiscreto modo uti debent Ecclesiæ ministri.) Quomodo verò peccata illa cognoscent, occulta potissimùm & secreta, nisi qui rei sunt, ea confiteantur? Auctoritas igitur quæ est in Sacerdotibus dimittendi peccata, secum importat in omnibus Fidelibus obligationem confitendi peccata, ut eorum veniam ab iisdem Sacerdotibus obtineant: sicut ergo auctoritas illa Sacerdotum juris est divini, ita & lex confessionis. Nostrum non est istud argumentum, sed Concilii Tridentini Sess. 14. c. 5. *Ex institutione*, inquit, *Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino inte-*

To. 14. Conc. p. 818. A.

*integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divina necessariam existere, quia Dominus Jesus Christus è terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi Fideles ceciderint, quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent.* Hæc Synodus in capite 5.

Istud Concilii argumentum firmum ac efficax fore non diffitetur Calvinus, si verum sit Sacerdotes à Christo judices fuisse institutos in tribunali Pœnitentiæ: at id prorsus negat. *Quod contendunt*, inquit L. 3. Institutionis c.

P.228. 4. paragr. 18. *non posse fieri judicium nisi causa cognita, in promptu est solutio, temerè hoc sibi arrogare qui sunt à seipsis judices creati. Ac mirum est tam securè sibi fabricare principia, quæ nemo sanæ mentis admittet &c.*

Verùm non satis attendit Calvinus, eo ipso Sacerdotes à Christo Domino judices institui, quo ipsis remittendi vel retinendi peccata, solvendi vel ligandi auctoritatem concessit: qua enim ratione discernere possent quæ sunt remittenda, quæve retinenda peccata, nisi judicum personam sustinerent, ac verum exercerent judicium? Nonne Sacerdotes Levitici judices erant in distinguenda lepra à non lepra? An ipsis inferiores sunt Sacerdotes Evangelici? Nonne verum judicis officium exercuit sanctus Paulus, cùm incestuosum Corinthium satanæ primùm tradidit, tùm absolvit, *ne fortè abundantiori tristitia absorberetur. Ego quidem*, inquit 1. Corinth. 5. v. 3. *absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est &c.* An cæco modo & incognita causa promiscuè laxanda est omnibus peccatorum venia? non certè. Igitur Sacerdotes in administrando Sacramento Pœnitentiæ veri sunt judices, qui cognoscere priùs debent per confessionem pœnitentium, quæ sint eorum peccata, ut secundùm leges à Christo præscriptas, ea vel remittant, vel retineant. Sanæ mentis non est, ait Calvinus, ista principia admittere: imò sanæ mentis est ea admittere, quæ tota retrò antiquitas agnovit, & universa semper agnovit Ecclesia.

Probatur præterea Conclusio: Quia, juxta effatum S. Augustini L. 4. contra Donat. c. 24. *si quisquam in hac re auctoritatem divinam quærat, quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Atqui talis est obligatio confitendi peccata; neque enim assignari potest quo in Concilio primùm fuerit instituta. Quod enim de Concilio Lateranensi IV. an. 1215. garriunt Novatores, fabula est. 1. quia Concilium istud institutam confessionis faciendæ legem supponit, cujus dumtaxat tempus ac modum assignat: neque magis dici potest instituisse confessionem, eo quòd præscribat utriusque sexus Fidelibus, ut quotannis proprio suo Sacerdoti peccata sua confiteantur, quàm instituisse Eucharistiam, eo quòd semel in anno à singulis Fidelibus eam esse percipiendam statuat. 2. quia nova non est lex quam imponit confessionis faciendæ, sed eam proprio Sacerdoti, ob singulares causas, quotannis faciendam esse decernit. 3. quia ab omni verisimili planè alienum est, utramque Ecclesiam, Græcam & Latinam, conspirasse in illo

Tr. 9. p. 142. C.

novo

novo confessionis faciendæ jugo, quod sanè permolestum ac grave est, recipiendo, nemine reclamante ac contradicente. Non ita profectò facilè inducuntur novi ritus, præsertim ubi molesti sunt, duri & graves: porrò adversùs Decretum Lateranense, quod novum & insolitum supponunt Novatores, nullæ reclamarunt Ecclesiæ, nulli Episcopi, nulli Fideles. De sensu quidem & interpretatione *proprii Sacerdotis*, multùm disputatum fuit, & etiamnum disputatur; at de ipsa necessitate confitendi peccata, nullus dubium movet Orthodoxus. 4. denique, quia patebit ex testimoniis SS. Patrum paulò post referendis, longè Concilio Lateranensi antiquiorem esse confessionis usum, & ipsi Ecclesiæ à Christo fundatæ coævum.

*Solvuntur Objectiones Dallæi adversùs probationem ex Scriptura, pro demonstranda necessitate confessionis jure divino.*

Dallæus duos suæ Dissertationis Libros integros insumit, tùm ut solvat argumenta quæ ex Scripturis adducunt Catholici, pro demonstranda necessitate confessionis jure & præcepto divino; tùm ut ex iisdem Scripturis nonnulla objiciat. Ea verò breviter hìc referemus & solvemus, quia vix ullam habent difficultatem alicujus ponderis: nam si verborum luxuriantem copiam, si pompam & apparatum detraxeris ab objectionibus Dallæi, pauca sanè superesse intelliges quæ vim habeant.

Objicies itaque 1. In citato testimonio Joan. 20. nulla fit expressa mentio confessionis: hanc autem non omisisset Christus, si necessariam existimasset, sicut non omisit Baptismum, Eucharistiam &c. Deinde nostri Doctores disputant inter se de vi & robore argumenti quod ex citatis Christi verbis colligimus. *Dallæus L. 1. c. 5.*

Resp. confessionis necessitatem ita necessario nexu colligatam esse cum potestate Apostolis data remittendi peccata, ut vel ista neganda sit, vel illa agnoscenda; unde necesse non fuit magis expressam ipsius fieri mentionem: Catholici verò, etsi disputent de vi & robore argumenti quod infertur ex citatis verbis Scripturæ, non disputant tamen de ipsa necessitate confessionis jure divino.

Objicies 2. Totum nostrum argumentum falso substruitur fundamento, scilicet Sacerdotes veros sedere judices in tribunali Pœnitentiæ. *Ib. c. 7.*

Namque I. Sunt tantùm ministri & dispensatores mysteriorum Dei 2. Corinth. 5. v. 20.

II. Solus Deus peccata dimittit, Isaiæ 43. v. 25. Marci 2. v. 17. ministri verò, judices & prætores propriè non dimittunt peccata, sed legem à Principe latam vel applicant, vel exponunt.

III. Non magis ex citatis verbis Christi Joan. 20. probari potest Sacerdotes esse judices, quàm & reges & monarchas, qui sua auctoritate peccata dimittere possint, vel retinere.

IV. Non magis Sacerdotes dici possunt veri judices, propterea quòd acceperint à Christo potestatem remittendi vel retinendi peccata, quàm dici possint servatores hominum, eo quòd dicantur aliquando in Scripturis, homines servare. 1. ad Timoth. 4. v. 16. Rom. 11. v. 14.

Resp. nihil eo Dallæi argumento levius ac infirmius esse, quod in mera

 nomi-

nominis æquivocatione versatur. Judicis quippè nomine placet illi semper eum intelligere, qui suprema & independenti auctoritate ad arbitrium peccata dimittit, vel retinet nullis regulis ac legibus astrictus: sed ultrò concedimus ac fatemur, Sacerdotes hoc sensu judices nō esse; habent enim sibi à Christo præscriptas leges in discernendis peccatis quæ vel dimittere debent vel non dimittere, quas si non observaverint, & peccant, & nihil efficiunt. *Causæ ergo pensandæ sunt*, ait egregiè S. Gregorius Magnus Hom. 26. in Evangelia, *& tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, & quæ pœnitentia secuta est post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat*. Facta itaque distinctione judicis supremi, primarii, independentis, & judicis secundarii, dependentis, ac ministri, totum evanescit Dallæi argumentum. Namque

Tom. 1. p. 1555. D.

Ad primum, dist. ant. Sacerdotes sunt ministri simul & judices à primo & supremo Judice Christo dependentes, concedo: sunt ministri tantùm, nullo verò modo judices delegati, nego.

Ad secundum, dist. pariter: Solus Deus peccata dimittit, tanquam causa principalis, suprema & independens, concedo: secluso Sacerdotum ministerio & judicio, nego. Ita objiciebant olim Novatiani. Lege quæ diximus ad Qu. 2. hujus Tractatus Art. 1. & 2.

Ad tertium, patet responsio ex jam dictis.

Ad quartum, dist. Sacerdotes non possunt dici servatores hominum, redemptione, seu satisfactione & pretii solutione, concedo: solus enim Christus *Mediator est inter Deum & homines, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*. Non possunt dici servatores ministerio, quasi pretium sanguinis Christi tanquam veri ministri & judices à Christo instituti nobis non applicent, nego.

1. Tim. 2. v. 6.

Objicies 3. Esto Sacerdotes sint à Christo instituti judices ordinarii Joan. 20. in remittendis vel retinendis peccatis, non tamen vi hujus testimonii probatur eos judices esse necessarios, ad quos absolutè confugere teneantur Fideles, quibus rectus ad Deum ipsum aditus non est interclusus: quemadmodum etsi Rex judices ordinarios præfecerit subditorum litibus solvendis, possunt tamen litigantes aut inter se lites componere, aut ad Regem ipsum rectà tendere. Esto igitur possint Sacerdotes absolvere eos qui se eorum judicio liberè subjiciunt; at illis lex & necessitas imposita non fuit se subjiciendi Sacerdotibus.

Cap. 4. et 5.

Resp. nego ant. Ad probationem, revera nulli hominum interclusus est ad Deum aditus per veram & sinceram cordis contritionem; at illa sincera esse non potest, nisi includat voluntatem observandi omnia Christi mandata, & ipsi placendi in omnibus: cùm igitur hæc sit Christi voluntas, ut qui post Baptismum lapsi sunt, se clavibus Ecclesiæ ac Sacerdotum judicio subjiciant per sinceram & integram peccatorum confessionem, nemo potest veniam à Deo consequi, nisi vel de facto peccata sua confessus fuerit Sacerdoti, vel habuerit propositum ea confitendi. Comparationes adductæ aptæ non videntur: tùm quia lex non prohibet quin litigantes possint inter se transigere, & litem componere sine forensi strepitu: tùm quia Rex supremus est subditorum suorum Judex, qui potest ad se unum rei alicujus notitiam & discussionem referre, omisso inferiorum judicum ministerio. Quòd si Rex è contra decrevisset, nullam finiendam esse litem nisi per judices à se institutos,

tutos, sanè necesse foret ad eos judices recurrere: at hoc ipsum fecit Christus qui supremus est animarum Pastor & Judex; voluit nimirum ut qui peccatorum veniam sperant, se Sacerdotum subjiciant judicio.

Instabis 1. Etsi Sacerdotes sint judices peccatorum venialium, non tamen necessaria est, sed planè libera eorum confessio; ergo pariter sentiendum de peccatis mortalibus, de quibus judicium quidem ferre possunt, quando pœnitens liberè ea declarat, at nulla lege tenetur ea declarare. *Cap. 4. p. 18.*

Resp. nego consequentiam & paritatem. Disparitas est, quia peccata venialia possunt aliis remediis expiari & remitti; unde necesse non est ea judicio Sacerdotis in tribunali Pœnitentiæ subjicere per confessionem sacramentalem: at peccata mortalia, Christo ita volente, non remittuntur ordinariè nisi per Sacramentum Pœnitentiæ, adeoque nisi facta Sacerdoti eorum declaratione. Ratio est, quia peccata venialia non extinguunt charitatem nec hominem ligant coram Deo, sicut mortalia: illa verò peccata solvi necessariò debent à Sacerdotibus in terris, quæ ligant coram Deo.

Instabis 2. Licèt in administrando Sacramento Baptismi minister judicium exerceat, quo dignos admittit rejectis indignis, non tamen exigit distinctam peccatorum singulorum confessionem, sed generalem dumtaxat, qua Catechumenus peccatorem se agnoscens, præteritam vitam detestatur, & meliorem inire proponit. Pariter igitur, ut Sacerdos suum judicis adimpleat officium in tribunali Pœnitentiæ, necesse non est ut pœnitens sua sigillatim ei enumeret peccata; sed satis est, si generatim se peccatorem agnoscat & fateatur, qui beneficium absolutionis suppliciter efflagitat.

Resp. antecedens supponere falsum, scilicet administrationem Sacramenti Baptismi fieri per modum judicii, quemadmodum fit in Pœnitentia. Judicii enim ratio postulat, ut non tantùm dimittantur peccata, sed etiam retineantur aliquando, id est puniantur ac pœnis canonicis coerceantur: at peccata nondum baptisatorum Ecclesia non punit, nihil enim potest in eos *qui foris sunt*, 1. Cor. 5. v. 12. Non igitur de illis propriè judicat, quamquam exploret præviis quibusdam excercitiis pietatis & religionis, eorum dispositiones & affectus: at non est hoc propriè judicium seu jurisdictionem exercere, sicut exercetur in tribunali Pœnitentiæ; & consequenter non est eadem ratio exigendi distinctam peccatorum confessionem in Baptismo, sicut in Pœnitentia.

Objicies 4. Neque S. Paulus, neque cæteri Apostoli peccatorum sacramentalem confessionem exegisse leguntur à Fidelibus. *Cap. 1. et 2. Lt 2.*

Resp. argumentum illud negativum nullius esse momenti, cùm positiva suppetunt momenta: multa quippè vera & retinenda esse fides docet, fatentibus ipsis Calvinistis, quæ tamen scripta non sunt in sacris Codicibus; v. g. baptisandos esse infantes, Baptismum ab Hæreticis datum ratum esse: ubi enim hæc asserit scriptura? Pariter confessionem peccatorum utilem esse non negant Novatores, dicant ubinam S. Paulus utilitatem hanc commendaverit. Igitur dici meritò potest cum Tertulliano Lib. de corona militis cap. 4. *Si legem expostules Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* *P. 102. A. B.*

Objicies 5. Sacræ Litteræ tùm veteris tùm novi Testamenti veniam peccatorum promittunt verè & ex animo pœnitentibus, nulla facta confessionis peccatorum mentione. *Cap. 3. et 4.*

Resp. ea ipsa testimonia quæ congerit Dallæus, nullam quoque facere mentionem Baptismi: an inde concludet illum non esse ad salutem necessarium? Testimonia ergo illa veram supponunt in homine cordis conversionem: at vera non est, ut diximus, nisi juncta sit cum observatione mandatorum Christi, aut saltem cum firmo proposito ea observandi; inter illa verò mandata lex confessionis suum locum habet.

Cap. 5. & 6. Objicies 6. Fideles postulant à Deo in Oratione Dominica, ut sibi peccata dimittat, sicut ipsi dimittunt suis fratribus: atqui sic peccata dimittunt, ut ab illis non exigant confessionem singulorum delictorum.

Resp. dist. maj. Postulant sibi dimitti peccata, sicut ipsi aliis dimittunt, simpliciter & quoad dimissionem, concedo: quoad modum, quasi idem debeat esse modus quo Deus nobis dimittit, & nos dimittimus debitoribus nostris, nego. Deus quippè dimittit nobis per infusionem gratiæ, nos verò nihil operamur in iis quibus offensas dimittimus: Deus non dimittit nisi se diligentibus, nos & ipsis inimicis dimittere debemus: Deus peccatores sua gratia prævenit, ipsisque dat unde sibi satisfaciant; at nos nihil tale facimus erga proximum: Deus denique in nova Lege exigit delicti confessionem factam Sacerdoti, nos non exigimus ab iis quibus remittimus. Itaque hac Oratione Dominica postulamus simpliciter, ut Deus nobis dimittat peccata nostra, sicut nos dimittimus proximo nostro; verùm servatis semper legibus à Christo præscriptis, inter quas est confessio peccatorum.

*Utrum necessitas confessionis sacramentalis secretæ seu auricularis probari possit ex constanti SS. Patrum doctrina & traditione.*

Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. de modo confitendi peccata, To. 14. Conc. p. 819. A. sive publico, sive secreto, hæc tradit: *Quoad modum*, inquit, *confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cùm à sanctissimis & antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modò etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, quæ eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur.*

Istud Concilii testimonium, quo Catholica circa confessionem auricularem doctrina declaratur, postquam laudavit Estius in 4. dist. 17. paragr. 8. Tom. 2. p. 228. col. 1. C. D. hæc addit: *Ex qua Concilii doctrina*, inquit, *colligitur primùm, non pertinere ad essentiam confessionis sacramentalis, ut sit secreta.... Deinde nec præcepti divini esse, ut secretò fiat: non enim vetuit Christus aliqua lege, quin publicè aliquando fieri posset: imò satis declarant verba Concilii, posse etiam laudabiliter & cum fructu eam publicè fieri. Tertiò, publicam confessionem non esse præcepti divini. Quartò, eandem non esse humana lege præcipiendam. Postremò, secretam confessionem, tanquam à Patribus commendatam & perpetuo usu Eccle-*

*Ecclesiæ comprobatam, omninò retinendam esse. Quod autem* ( pergit Estius ) *Patres Concilii, tùm in Decreto, tùm in Canone 6. ejusdem Sess. asserunt ac definiunt, modum secretè confitendi soli Sacerdoti non esse alienum ab institutione & mandato Christi, non hoc sentiunt, quòd modum illum Christus præceperit: si enim præcepisset, consequenter vetuisset confessionem publicè fieri, quod apertè negant Patres; sed tantùm volunt; modum secretè confitendi, neque contrarium, neque dissentaneum esse præcepto & institutioni Christi, quin potius maximè cum eo congruere*. Ita Estius.

Ex quibus Theologi quamplures duo inferunt.

Primum, modum ipsum confitendi peccata non pertinere ad substantiam seu essentiam sacramentalis confessionis; sive enim publica sit, sive secreta confessio, perinde est ad substantialem Sacramenti veritatem: aerem igitur verberat Dallæus & inaniter laborat, cùm ad infirmanda veterum Scriptorum pro necessitate confessionis testimonia, respondet illos de publica dumtaxat loqui confessione, quæ pars erat pœnitentiæ publicæ in usu tunc temporis receptæ. Esto enim ita sit; at saltem inde constat, Veteres illos agnovisse planè necessariam esse confessionem peccatorum ad eorum veniam virtute clavium obtinendam, sive publica illa sit sive arcana & secreta, qui modus ad substantiam confessionis non pertinet: quamquam patebit ex testimoniis mox laudandis, ipsam secretam confessionem in usu fuisse eo ipso tempore quo disciplina publicæ pœnitentiæ vigebat, imò confessionem secretam fuisse regulam confessionis & pœnitentiæ publicæ.

Alterum ex citatis verbis Estii inferunt, nempè secretam confessionem non esse præcepti divini, quamquam antiquus sit & meritò retinendus ipsius usus: quam sententiam aptiorem esse & commodiorem existimant refellendis Novatoribus, & dogmati Catholico demonstrando.

Alii è contra, & verbis & menti Concilii conformiorem putant sententiam eorum qui secretam confessionem à Christo institutam & præceptam fuisse contendunt: tùm quia expressè dicit Concilium, *non esse divino præcepto mandatum ut delicta publicè declarentur, imò nec satis consultè id humana aliqua lege præcipiendum fore*; ergo ipsa secreta confessio à Christo præcepta est. Namque vel publica, vel secreta est præcepti divini; non est enim alius ordinarius confitendi modus: atqui ex Concilio ipso publica non est à Christo præscripta; ergo privata & secreta. Tùm quia idem videtur esse in mente Concilii, secretam confessionem esse præcepti divini, & eam non esse alienam à præcepto divino; quamquam ingenuè fatendum sit, ea loquendi ratione de industria usos esse Patres, ne expressè definirent rem inter Theologos controversam. Neque verò ex ista sententia sequitur, quod inferebat Estius, nempè, *si præcepit Christus confessionem privatam & secretam, ergo vetuit publicam*: namque meritò dici potest, Christum ita præcepisse usu communi & ordinario secretam confessionem, ut non vetuerit aliquibus in casibus eam publicè fieri.

Ut igitur rei caput statim aggrediamur contra vanos Dallæi conatus, demonstrandum nobis est, verè affirmasse Concilium Tridentinum secretam seu auricularem confessionem sacramentalem vel à primis Ecclesiæ sæculis usurpatam fuisse. Multa eam in rem per varias Ecclesiæ ætates digesta SS. Patrum testimonia legere poteris apud Bellarminum & alios Polemicos Do-

ctores: nos brevitatis causa, ad certa quædam generalia argumenta revocabimus probationes quæ ex Traditione colligi possunt in confirmationem Catholici dogmatis. Itaque sit

## CONCLUSIO.

Antiquum & perpetuum fuisse in Ecclesia Christi confessionis sacramentalis secretæ seu auricularis usum, efficaciter demonstratur ex constanti Traditione SS. Patrum.

## PRIMUM ARGUMENTUM.

*SS. Patres docent occulta peccata Sacerdotibus esse aperienda.*

Vel unicum istud argumentum sufficeret funditùs evertendæ Dallæi Dissertationi. Ille siquidem Lib. 3. cap. 10. contendit omnia peccata mortalia, præsertim secreta, legibus pœnitentiæ & confessionis publicæ obnoxia non fuisse; ergo necesse fuit illa subjici pœnitentiæ occultæ ac secretæ judicio Sacerdotis imponendæ: at quomodo illis æquam imponere potuisset Sacerdos pœnitentiam, nisi ea per secretam penitentis confessionem perspecta habuisset? Inde est quòd SS. Patres toties commendant occulta peccata Sacerdotibus aperienda esse, ut sanari possint.

S. Clemens Epistola 2. ad Corinthios cujus fragmentum nobis superest. *Quamdiu*, inquit, *sumus in hoc mundo, de malis quæ in carne gessimus ex toto corde resipiscamus, ut à Domino salvemur, dum habemus tempus pœnitentiæ. Postquam enim è mundo exivimus, non ampliùs possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere.* Loquitur vir Apostolicus de omnibus generatim peccatis, adeoque tam occultis quàm publicis, quæ per confessionem declaranda sunt, ut à Domino salvemur.

Ed Cotell. T. 1 p. 123 D. E.

Tertullianus qui secundo & tertio sæculo vixit, L. de Pœnit. c. 4. *Omnibus ergo delictis*, inquit, *seu carne, seu spiritu, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit.* Venia autem illa per Sacerdotes quibus peccata declarare necesse est, concedi debet: *Presbyteris advolvi*, ait c. 9. Ibid. *Tantum*, inquit, *relaxat confessio delictorum, quantùm dissimulatio exaggerat: confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.... satisfactio confessione disponitur, confessione penitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Et c. 10. eos redarguit qui confiteri erubescunt: *Plerosque*, ait, *hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Occulta & secreta peccata clarè hìc indicantur.

P. 121. Ibid. p. 127. Ibid.

S. Cyprianus Tractatu de lapsis plurimùm laudat eos qui vel ipsam mali conceptam cogitationem declarant Sacerdotibus, & pœnitentia castigant. *Quantò*, inquit, *& fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesim con-*

P. 176.

*conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt. Scientes scriptum esse, Deus non irridetur.... Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est*. En peccatum cogitatione dumtaxat perpetratum & consequenter occultum, quod apud Sacerdotes per secretam confessionem ex S. Cypriano deponendum est.

Origenes Hom. 2. in Leviticum, inter varios modos quibus in nova Lege obtinetur peccatorum venia, pœnitentiam & confessionem enumerat. *Est*, inquit, *septima, licèt dura & laboriosa, per penitentiam remissio peccatorum...cùm non erubescit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum suum*, haud dubiè occultum; aliàs quare erubesceret? *To. 1 p. 68. G.*

Homilia 3. *Etenim omni genere pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus*: (seu, ut loquitur Homil. in Psalm. 37. *non celanda intrinsecùs*) *si quod in occulto gerimus, si quod in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri*. Hortatur ibi Origenes peccatores ad spontaneam delictorum etiam occultorum confessionem, quia nisi ea hac in vita Sacerdotibus aperuerint, à dæmone coram omnibus propalabuntur & declarabuntur in die ultimi Judicii. *Ibid p. 70. L. Ibid. p. 293. F.*

Et Hom. mox citata in Psal. 37. eos qui peccata sua intus celant nec aperiunt Sacerdotibus, comparat illis qui habent *intus inclusam escam indigestam*, quam si vomuerint, sublevantur; si intus retinuerint, suffocantur. *Ibid.*

S. Basilius in Regulis brevioribus, in responsione ad quæstionem 288. *Peccata*, inquit, *iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est*. Et qu. 110. quærit utrum expediat, dum soror Presbytero confitetur, etiam ipsam antistitam adesse. Et Epistola Canonica ad Amphilochium Can. 34. secretam fuisse peccati occulti confessionem clarè ostendit: *Adulterio pollutas mulieres*, inquit, *& confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus*. *To. 2. p. 516. D. Ibid. p. 453. C. Ed ver. To 2. p. 771. B.*

S. Gregorius Nyssenus Homilia in eos qui alios acerbè judicant, loquens de ministro Ecclesiæ: *Audacter*, inquit, *ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege. Ipse honoris & valetudinis tuæ rationem habebit*. *To. 1. p. 969. B.*

Et Epistola ad Letojum, occulti peccati confessionem commemorat Can. 4. *Qui ex seipso*, inquit, *ad sua proferenda peccata impulsus est, eo quòd sua sponte occultorum accusator esse voluerit... in mitioribus pœnis versatur*. *Ibid. p. 950. D.*

Et Can. 6. *Qui latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per enuntiationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato, ægritudinem curabit, largiendo quæ habet pauperibus*. En furti occulti secreta confessio. Nec juvat quòd reponit Dallæus, in textu legi particulam *si*. *Si deinde per enuntiationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit*; quæ particula denotat liberam fuisse, non ex præcepto divino necessariam confessionem. Namque 1. in græco textu non extat dicta particula *si*. 2. Etsi extaret, non significaret, quod Dallæo placet, confessionem illam non esse præcepto divino necessariam, sed tantùm ad illam neminem exteriùs compelli ac cogi posse; quo sensu libera dici potest, quamquam in conscientia seu in foro interno obliget hominem qui salutis animæ suæ curam gerere tenetur, eaque usurpare remedia quæ Christus instituit. *Ibid. p. 954. A.*

S. Chryſoſtomus Hom. de muliere Samaritana, poſtquam demonſtravit occultum fuiſſe peccatum quod illa confeſſa eſt, *Imitemur*, inquit, *& nos mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubeſcamus…Qui enim homini detegere peccata erubeſcit…neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illa non coram uno vel duobus, ſed univerſo terrarum Orbe ſpectante traducetur.*

Ed.vlt. To.6.p. 421.D. Pagina 412.A.

S. Ambroſius L.2. de Pœnit. cap. 6. *Si vis*, inquit, *juſtificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum.* Loqui verò S. Doctorem de peccatis etiam occultis, patet ex Libro 1. cap.16. *Si quis*, inquit, *occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſè pœnitentiam egerit &c.* Pœnitentiam verò illam & confeſſionem coram Sacerdotibus peragendam eſſe, qui confitentibus condolere debent, patet ex Lib.2. cap.8. In exhortatione enim ad Pœnitentiam, hoc motivo potiſſimùm peccatorem ad pœnitentiam citò amplectendam excitat, *quia neſcit*, inquit, *ſi poſſit ipſam pœnitentiam accipere, & confiteri Deo & Sacerdoti peccata ſua.* Ipſe quoque S. Doctor, narrante in ejus vita Paulino, *quotieſcunque aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos apud ſe confitebatur, ita flebat, ut & illum flere compelleret; videbatur enim ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum*, addit ibidem Paulinus, *quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur.*

To.2.p. 426.A. Ibid. p. 414.A.

S. Auguſtinus Hom.41. in ultima editione 393. verba S. Ambroſii mox relata ex adhortatione ad pœnitentiam, excribit.

To.5.p. 1508.A

Et Concione 2. in Pſal.101. *Cùm audis*, inquit, *hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſolutus. Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis, inquit, in terra &c.*

Tom.4. p.1103. B.C.

S. Leo Epiſtola 136. aliàs 80. poſtquam damnavit abuſum qui irrepſerat, peccata ſua publicè ex libello recitandi, *ſufficit*, inquit, *reatus conſcientiarum ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta.*

To.1.p. 719.

Denique, ut alios omittamus ferè innumeros, ipſe Sozomenus L. 7. Hiſt. cap.16. referens hiſtoriam confeſſionis memoratæ illius mulieris quæ à Diacono vitiata fuerat, & eorum quæ hac occaſione ſtatuta ſunt à Nectario, apertè ſignificat confeſſionis ſecretæ ſeu auricularis uſum ab initio in Eccleſia fuiſſe. *Cùm*, inquit, *in petenda venia peccatum neceſſariò confiteri oporteat, grave ac moleſtum ab initio jure meritò viſum eſt Sacerdotibus, tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine, crimina ſua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus ſuos confitebantur.*

Pagina 726. C.

Et verò matrona illa nobilis cujus mentionem ibi facit Hiſtoricus, teſte Socrate Lib.5. cap.19. *κατὰ μέρος*, *ſigillatim* primùm omnia delicta poſt Baptiſmum à ſe perpetrata confeſſa erat huic Sacerdoti Pœnitentiario, non palam & coram omnibus, ſed in aurem ac ſecretò. Deinde verò aliud facinus ſuum cum Diacono declaravit, unde grave in Eccleſia ſcandalum ſubortum eſt; ex quo infertur, ſemel & iterum confeſſam fuiſſe mulierem illam: 1. cùm acceſſit ad Pœnitentiarium, & omnia ſua peccata ipſi ſigillatim confeſſa eſt. 2. quando ſingulare ſuum cum Diacono crimen aperuit. Utraque verò confeſſio ſecreta fuit: non enim recepta erat Eccleſiæ moribus publi-

Pagina 278.D.

publica confessio, ut observat Sozomenus, qui eam ob causam Pœnitentiarium taciturnum seu secreti tenacem fuisse dicit.

Quæ hactenus laudata sunt Veterum testimonia longè superant ætatem Concilii Lateranensis IV. in quo primùm invectum fuisse confessionis arcanæ usum fabulantur Novatores: sunt enim quinque priorum sæculorum, quo tempore puriorem fuisse Ecclesiam vel ipsi fatentur adversarii.

## SECUNDUM ARGUMENTUM.

55. *Patres docent secretam confessionem regulam fuisse imponendæ penitentiæ, sive publicæ sive privatæ, pro judicio prudentis Sacerdotis.*

Origenes postquam Hom. 2. in Psalm. 37. admonuit cautè seligendum esse Sacerdotem cui peccatorum nostrorum declaratio fiat, *Tantummodo circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba priùs medicum cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente &c.* tùm addit: *Si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit & misericordem, si quid consilii dederit, facias, & sequaris. Si intellexerit & præviderit talem esse languorem tuum, qui conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione & satis periti medici illius consilio procurandum est.* T. 1. p. 293. F.

Eò loci loqui Origenem de omnibus peccatis tam occultis quàm publicis, certò certius videtur: si enim de solis publicis ageret, ut contendit Dallæus, non multa deliberatione opus fuisset ut publica ipsis pœna indiceretur, cùm ita statutum foret communi Ecclesiæ lege ac disciplina. Sacerdos igitur cognitis per secretam confessionem peccatis, judicabat pro sua prudentia, quibus remediis sananda forent & corrigenda.

Idem non obscurè colligimus ex historia nobilis illius matronæ de qua Socrates L. 5. c. 19. & Sozom. L. 7. c. 16. *Mulier quædam nobilis*, ait Socrates, *ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta post Baptismum à se perpetrata sigillatim confessa erat. Presbyter verò præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus vacaret &c.* Deinde narrat Historicus, eandem mulierem aliud suum facinus cum Diacono declarasse. De eodem Pœnitentiario Presbytero Sozomenus superiori argumento citatus, post verba relata addit: *Ille verò pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat confitentes.* P. 278. D. κατὰ μέρος particulatim. P. 716. D.

Ex his duobus Historicis constat 1. apud Sacerdotem illum pœnitentes peccata sua sigillatim deposuisse. 2. audita confessione & cognita peccatorum natura & gravitate, salubrem & æquam imposuisse pœnam, sive publicam, sive privatam, pro natura delicti & conditione pœnitentis. Igitur secreta & auricularis confessio regula erat imponendæ pœnitentiæ, sive publicæ sive occultæ. Unde à Tertulliano Libro de Pœnitentia c. 9. confessio dicitur dispositio ad satisfactionem, & *consilium satisfactionis.* P. 127. A. P. 126. D.

Idem colligere est ex S. Augustino Serm. 351. aliàs Hom. 50. inter 50. ubi postquam dixit debere peccatorem venire ad Antistites Ecclesiæ, à quibus satisfactionis modum accipiat, sic pergit: *Id agat quod non solùm illi prosit ad*

T.5.p. 1359. C.D. *sit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum; ut si peccatum ejus, non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.*

Biblior. PP. T. 27.pag. 324. Idem colligitur ex S. Cæsario Arelatensi Hom. 1. inter 14. quas è tenebris eruit doctissimus Balusius.

Confirmari potest istud secundum argumentum innumeris ferè SS. Patrum testimoniis, quibus modum & rationem Pœnitentiæ assignant, hac imposita Sacerdotibus lege, ut pro gravitate delicti æquam & justam imponant

T.4.p.1. pag.75. pœnitentiam. *Alligat vel solvit Episcopus & Presbyter*, ait S. Hieronymus in caput 16. S. Matth. *non eos qui insontes sunt vel noxii; sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.*

T.1 pa. 1555.D. *Causæ pensandæ sunt*, ait S. Gregorius Magnus Hom. 26. in Evangelia, *& tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum quæ culpa præcesserit, aut quæ penitentia sequuta sit post culpam.* Idem præcipitur à Concilio Laodiceno Can. 2. Carthaginensi III. Can. 31. Wormatiensi cap. 25. à S. Basilio in Regulis brevioribus, in responsione ad quæstionem 288. à S. Gregorio Nysseno in Epistola Can. ad Episcopum Mitilenes, à S. Chrysostomo L. 2. de Sacerdotio c. 3. ab Innocentio I. Epistola 1. ad Decentium & aliis.

Ad hæc Veterum testimonia oculos convertens doctissimus Petavius in suis ad S. Epiphanium notis pag. 245. scitè dixit: *Quotcunque veterum Patrum scripta sunt, vel Conciliorum decreta, quibus pœnitentiæ modus indicitur, totidem confessionis arcanæ firmamenta ac monimenta retinemus. Jubent antiquissima Patrum atque Ecclesiæ consulta, lapsos pro peccatorum gravitate plecti, & ab Antistitibus aut Sacerdotibus penitendi leges ac conditiones accipere, ut eorum causa cognita, ac prudenter æstimata, levioribus illos gravioribusve pœnis coerceant. Quis nisi insanus*, pergit ille, *aliter id administrari putet, quàm si peccata sua ille ipse, qui admisit, exponat? Confessione igitur ac declaratione aliqua opus est.* Ita Petavius.

## TERRTIUM ARGUMENTUM.

*SS. Patres docent omnia peccata clavibus Ecclesiæ esse subiicienda, & Sacerdotes veros esse iudices quorum iudicio & ministerio illa remittuntur.*

Duas continet partes præsens argumentum. Primam nonnullis SS. Patrum testimoniis jam demonstravimus Qu. 2. hujus Tractatus Art. 2. quibus adde

T.5.p. 1504.E. Sanctum Augustinum Serm. 392. aliàs 49. inter 50. c. 3. *Agite*, inquit, *pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago.... Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi?*

Ibid. p. 1359.B. Et Sermone 351. aliàs Hom. 50. cap. 4. num. 9. postquam varia recensuit crimina de quibus Apostolus ait, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, sic pergit: *Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in melius: ne cùm jam non poterit, etiam præter*

volun-

*voluntatem à Domino judicetur. Et cùm ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur; & tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum.*

Nec juvat respondere cum Dallæo, S. Augustinum manifestè loqui de pœnitentia publica, cujus legibus subdita non fuere omnia prorsus peccata mortalia. Esto ita sit; at inde sequitur, quod volumus, præter publicam pęnitentiam, aliam fuisse secretam qua purgabantur secreta & occulta peccata. Quo sensu dixit S. Gregorius Nyssenus Epist. ad Letojum, *avaritiæ crimen à Patribus prætermissum fuisse*, quia nempe nullæ ipsi publicæ pęnæ à Canonibus decretæ fuerant: at secreta pęnitentia castigari illud debuisse, nemo negaverit, nisi qui avaritiam ex numero peccatorum mortalium expungere voluerit. Secreta porro illa pœnitentia præsupponebat præviam, occultam & secretam peccati Confessionem. *T. 1. p. 953. A. B.*

S. Leonem Epistola 83. ad Theodorum Forojuliensem aliàs 91. *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis dona violaßent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nonnisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo J. C. hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pęnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Et infrà . . . *Multùm utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur.* *T. 1. p. 605.*

Secunda pars, nempe Sacerdotes esse judices in tribunali Pęnitentiæ, Probatur ex SS. Patribus.

Ex sancto Hilario Commentario in caput 18. S. Matth. nu. 8. postremæ editionis. *Ad terrorem autem metus maximi*, inquit, *quo in præsens omnes continentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit: ut quos in terris ligaverint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, confeßione videlicet veniæ receperint in salutem; hi Apostolicæ conditione sententiæ in Cœlis quoque aut soluti sint aut ligati.* Duo ex hoc testimonio habes. Primum, Sacerdotes judicium exercere erga eos quos vel solvunt vel ligant; alterum, judicium illud exerceri mediante confessione. *P. 700. C.*

Frustra contendit Dallæus L. 3. c. 9. corrigendum esse Hilarii textum, & loco istorum verborum, *confessione veniæ*, legendum esse, *concessione veniæ*, cùm aliter omnino obscurus sit & interturbatus sensus. Fatentur quidem doctissimi Benedictini, quorum studio novis typis prodiere S. Hilarii Opera, clariorem esse hanc Dallæi lectionem; sed quò clarior est, eò minùs mutationis suspecta ipsis videtur altera, præsertim cùm omnes consentiant codices, sive manuscripti sive editi, quos illi summa cura expenderunt. Neque verò aliter legendum esse suadet quod postea subjicit sanctus Doctor, *Ergo venia omnis*, inquit, *ex eo est, cùm etiam ea quæ in se sint peccata, post reditum confessionis indulgeat.* Superest igitur inquirendum, quis sit eorum verborum sensus, *quos solverint confessione veniæ*. *Quantùm sapimus*, inquiunt iidem doctis- *P. 701. B.*

P.703. doctissimi Benedictini, *vocabulum veniæ, non ad præcedentem vocem con-*
vet. L. *fessione, sed ad subsequentem, scilicet salutem, referendum est, ut sensus sit, quos confessione receperint in salutem veniæ, hoc est, in salutem quam venia dat, non meritum.*

Edit. recent. T.6.p. 131.D. Ex S. Chrysostomo Hom. 5. de verbis Isaiæ. *Sacerdotii*, inquit, *solium in Cælis collocatum est, & celestia administrandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipse Cælorum Rex: Quæcunque enim ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis. Quid cum hoc honore conferri possit? A terra judicandi principalem auctoritatem sumit Celum. Nam Judex sedet in terra, Dominus sequitur servum; & quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in supernis comprobat.*

T.4.p.2. p. 10. Ex S. Hieronymo Epistola 1. ad Heliodorum, ubi de Sacerdotibus ait: *Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claves Regni Celorum habentes, quodammodo ante Judicii diem judicant.*

T.7.p. 586.E. Ex S. Aug. L. 20. de Civitate Dei c. 9. *Judicium datum*, inquit, *nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod est, Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in Celo.*

T.1.p. 1555.B. Ex S. denique Gregorio Magno Hom. 26. in Evangelia: *Apostoli*, inquit, *principatum superni Judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent . . . Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, animarum Judices fiunt.*

Eosdem Sacerdotes medicos morborum animorum nostrorum frequenter appellant Veteres, Origenes Hom. 2. in Psal. 37. S. Gregorius Nyssenus in Epistola Canonica & Oratione in mulierem peccatricem, S. Hieronymus ad caput 20. Ecclesiastæ, S. Ambrosius in Psal. 37.

T. 14. Conc.p. 818.B. Ex quibus compertum esse debet, meritò Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. asseruisse Sacerdotes à Christo præsides & judices institutos ad quos omnia mortalia deferri debeant. *Judices autem*, ut ait idem Concilium, *non possunt causa incognita judicare*; ergo necesse est ut per confessionem pœnitentis ejus delicta cognoscant; ergo eo ipso quo Christus Sacerdotes judices instituit, omnibus legem & necessitatem imposuit sua apud ipsos deponendi peccata.

## QUARTUM ARGUMENTUM.

*Ab exemplis confitentium peccata sua.*

His exemplis funditùs evertitur negativum Dallæi argumentum, quod ad fastidium usque recoquit singulis ferè Dissertationis suæ paginis.

P.63.n. 5. Ibid. S. Irenæus L. 1. c. 13. aliàs c. 9. observat mulieres illas quæ à Marco hæresiarcha corpore & animo vitiatæ fuerant, ad Ecclesiam tandem redeuntes crimen suum confessas fuisse. Idem dicit de uxore cujusdam Diaconi, ab eodem seducta præstigiatore Marco.

Operam perdit Dallæus, cùm respondet per confessionem intelligere S. Doctorem vel pœnitentiæ actionem, vel publicam peccati declarationem. Esto enim id concedamus; an inde infirmatur nostrum pro necessitate

con-

confessionis argumentum? Imò confirmatur magis: tùm quia pœnitentia non imponebatur nisi ex prævia peccati declaratione, quæ, ut diximus Argumento secundo, regula erat imponendæ pœnæ delictis proportionatæ; atque & pœnitentiam & confessionem simul fuisse necessariam ad veniam peccatorum obtinendam, disertè insinuat vel ipse Socrates Libro 5. Hist. cap. 19. ubi refert historiam confessionis matronæ cujusdam nobilis: *Presbyter*, inquit, *præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum delictorum confessione, opus etiam pœnitentiæ conveniens ostenderet.* P.279. A.
En confessio distincta ab aliis pœnitentiæ laboribus. Tùm quia modus ipse edendæ confessionis ad ejus essentiam & substantiam non pertinet: fuerit ergo publica vel secreta confessio illarum mulierum, perinde est ad dogma Catholicum quod hìc propugnamus, nempe jure divino necessariam esse peccatorum confessionem factam Sacerdoti.

S. Cyprianus citatus argumento primo, mentionem facit Tractatu de lapsis, nonnullorum qui peccata cogitationis Sacerdotibus aperiebant. P. 176.

Eusebius Libro 6. Hist. cap. 34. laudat Philippi Imperatoris pietatem in suis peccatis declarandis. Et cap. 9. dixerat, è tribus calumniaroribus Narcissi Episcopi Hierosolymitani, duobus miserè extinctis, tertium totius calumniæ ordinem confessum esse, ac duram egisse pœnitentiam. Idem narrat cap. 43. de nonnullis Confessoribus qui à Novato primùm seducti, ad Ecclesiam demum reversi sunt, atque tùm ipsius Novati, tùm suam propriam nequitiam evulgarunt. P.232. B. P.211. B. P.243. A.

Socrates L. 5. Hist. c. 19. & Sozomenus L. 7. cap. 16. famosum illud referunt exemplum confessionis factæ à nobili quadam matrona, quæ tantum peperit in Ecclesia scandalum. Socrat. p.278. Sozom. p.727.

S. Ambrosius, narrante Paulino, *pœnitentium confessiones excipiebat; & causas criminum, quas illi confitebantur*, ait, *nulli nisi Domino soli loquebatur*.

S. Eleutherius Tornacensis Episcopus, referente Guiberto in ejus vita, Deo revelante cognovit secretum Clodovei Regis peccatum, quod ex verecundia confiteri non audebat, de quo Regem admonuit, & ut confiteretur hortatus est. Apud Patrem le Cointe Annalium Francorum To. 1. ad ann. 499. pag. 210.

Extat etiam confessio S. Isidori Hispalensis Episcopi litteris consignata à Redempto ejus Clerico, cùm impendente morte palam & generatim confessus est in æde S. Vincentii. Initio Oper S. Isidori.

Extat quoque confessio Rotberti Cenomanensis Episcopi edita à Sirmondo Tom. 3. Conciliorum Galliæ, quam morti proximus misit per Epistolam ad Episcopos qui erant in obsidione urbis Andegavensis cum Carolo Calvo Imperatore. P. 405.

Extat confessio S. Fulgentii, seu formula ab iis observanda qui peccata sua confitebantur, apud Menardum in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 225.

S. Eligius, referente S. Audoeno Episcopo Rothomagensi in ejus vita apud Surium mense Decembri, & Tom. 5. Spicilegii pag. 159. omnia ab adolescentia sua peccata coram Sacerdote confessus est. 7. sæculi.

Idem refertur de S. Tillone Abbate, apud Bollandum die 7. Januarii.

Idem

Idem de S. Richario narrat Alcuinus in ejus vita, sæculo secundo Benedictino pag. 191. Ibid. pag. 397. idem refertur de S. Bavone.

Theodorus Studites in vita S. Platonis, eum laudat quòd ab adolescentia Pastori animæ suæ confiteri suevisset usque ad intimas cogitationes: apud Surium die 16. Decembris.

Obiit an. 733. Beda Lib. 4. Hist. c. 25. narrat Adamanum quemdam ad Sacerdotem accessisse, & suum ipsi confessum esse delictum.

Superfluum videtur plura congerere exempla & testimonia subsequentium ætatum: non diffitetur enim Dallæus Lib. 3. cap. 2. post octavum sæculum nonnihil immutatum fuisse circa mores antiquos, & paulatim invaluisse morem confitendi peccata. Verùm, saltem ex testimoniis ad octavum usque sæculum, quo florebat Beda, citatis, apertæ calumniæ revincuntur Novatores, qui usum & legem confessionis anno 1215. in Concilio Lateranensi IV. primùm inductam esse asseverant. Et verò in multis Conciliis, Libris Pœnitentialibus, Episcoporum Ritualibus ac privatis Statutis, confessionis edendæ normam ac legem præscribi longè ante ætatem Concilii Lateranensis IV. palam omnibus est.

Mabillonius in præfatione ad sæculum tertium Benedictinum parte 1. pag. 66. ait se ante sæculum decimum quartum non legisse exempla Presbyterorum, qui sua confiterentur peccata: verùm P. Martene ejusdem Ordinis Benedictini Scriptor Lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 6. art. 2. pag. 12. nonnulla refert exempla ea ætate antiquiora. Consule, si vacat, locum mox indicatum.

Hanc perpetuam & constantem Ecclesiæ Traditionem confirmavit ac dilucidè exposuit Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. verba paulò antè adduximus. Eamdem suis Canonibus definivit.

T. 14. Conc. p. 813. Can. 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt; non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Penitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.*

Can. 6. *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant: sed eam confessionem tantùm esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantùm ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.*

Can. denique 8. *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Eccle-*

*Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam à piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, anathema sit.*

His Canonibus Concilium Tridentinum Novatorum errorem simul aperit & confodit.

*Solvuntur Objectiones adversùs probationem ex Traditione SS. Patrum.*

Objicies 1. celebre Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani factum quod narrant Socrates Lib. 5. Hist. c. 19. & Sozomenus L. 7. c. 16. ex quo sic arguitur: Quod ab Ecclesia institutum est occasione Novatianorum, & abrogatum deinde propter grave quod subortum est scandalum, non divinæ, sed humanæ institutioni deputari debet: atqui talis est peccatorum confessio Sacerdoti facienda.

Probatur minor ex Socrate loco citato. *Postquam*, inquit, *Novatiani se ab Ecclesia sejunxissent, eo quòd cum illis qui persecutione Deciana lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore Episcopi Penitentiarium Presbyterum albo Ecclesiastico adjecerunt, ut qui post Baptismum lapsi essent, coram Presbytero ad eam rem constituto, delicta sua confiterentur.* En institutio Ecclesiastica confessionis Presbytero faciendæ. P. 178. D.

Deinde narrat Socrates, qua occasione abrogatus sit confessionis illius usus. *Nectarii Episcopi temporibus*, inquit, *abrogarunt, ob facinus quoddam quod in Ecclesia commissum fuerat. Mulier quædam nobilis ad Pænitentiarium Presbyterum accedens, delicta post Baptismum à se perpetrata sigillatim confessa erat. Presbyter verò præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quo scilicet unà cum dilectorum confessione opus etiam pænitentiæ conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiæ videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cùm dixisset, Diaconus quidem Ecclesia ejectus est; populus verò graviter commoveri cœpit. Neque enim solùm ob scelus quod patratum fuerat indignabantur, verùm etiam eo quòd labes haud mediocris atque infamia hoc facto adspersa videbatur Ecclesiæ. Cùm igitur eam ob causam Ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam Ecclesiæ Presbyter, Episcopo Nectario suasit, ut Pænitentiarium Presbyterum expungeret, unumquemque verò pro arbitrio & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem sineret accedere.* Consilium Sacerdotis secutus est Nectarius. Ib. D.

Antequam illud argumentum solvamus,

Observa 1. discordes esse inter se Novatores, circa id quod ex isto facto Nectarii inferre adversus nos intendunt. Calvinus, Musculus, Molinæus, inde volunt sublatam esse à Nectario auricularem confessionem, adeoque eam non esse juris divini, cujus tamen antiquum usum esse concedit ipse Calvinus L. 3. Institutionum c. 4. paragr. 7. *Hic hic*, inquit ille, (urbanè satis & honestè) *aures asini isti arrigant. Silex Dei erat auricularis confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere ac convellere?* E contra Dallæus Lib. 4. de confessione cap. 24. Calvinum & alios ex suis hallucinatos esse ea in parte arbitratur: *Quæso enim*, inquit, *qui abrogari potuit ea confessio, quæ nusquam usitata deprehenditur?* P. 124.

Obser-

Observa 2. esse inter nostros qui existimant à Nectario sublatam confessio-
P. 897. nis etiam secretæ legem; atque ab eo ea in re graviter peccatum fuisse. Ita Thomas Valdensis Tom. 2. c. 141. Melchior Canus de Pœnitentia parte 5. ad 6. argumentum.

Aliqui cum Baronio ad an. Christi 56. n. 26. & 27. totam hanc Socratis narrationem gratis fictam in gratiam Novatianorum, quibus impensè favebat, arbitrantur. Ita Latinius in Disputatione ea de re Romæ edita an. 1587.

Alii verò existimant sublatam ab eo dumtaxat & abrogatam fuisse pœnitentiam publicam de peccatis occultis. Ita Bellarminus Lib. 3. de Pœnit. cap. 14. Baronius ad an. Christi 56. n. 33. Petavius in notis ad S. Epiphanium p. 238. Perronius in Republica ad Regem Angliæ cap. 3. Roffensis art. 8. contra Lutherum & alii multi è recentioribus.

Alii cum Vasquesio q. 90. art. 1. dubio 3. penitus sublatam pro peccatis etiam pœnitentiam publicam.

Alii denique, sublatam dumtaxat volunt confessionem publicam occultorum peccatorum. Ita Morinus L. 2. de Pœnit. c. 9. n. 5. His præmissis.

Resp. nego min. Neque enim de ipsa confessionis faciendæ lege ac necessitate loquitur Socrates, sed de instituto Sacerdote Pœnitentiario.

Ad probationem itaque

P. 276. C. Dico 1. non immeritò doctissimum Petavium in notis ad Epiphanium p. 242. suspicari Socratem tectè admodum & callidè Novatianæ crudelitatis virus instillare, cùm fingit occasione Novatianorum tum primùm institutum esse Presbyterum Pœnitentiarium, lapsorum peccatis excipiendis destinatum; quasi tum demum totum hoc pœnitentiæ & reconciliationis negotium excogitatum fuerit ac novo Canone sancitum, antea verò Novatianorum crudelitatem sequuta fuerit Ecclesia. Æquior longè videtur Sozomenus, qui hujus Presbyteri originem repetit ab ipsa necessitate confitendi peccata, hoc est ab ipso jure & præcepto divino. L. 7. cap. 16. *Cùm*, inquit, *in petenda venia peccatum necessariò confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio jure meritò visum fuit Sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt.*

Dico 2. Socratem affirmare quidem institutum Presbyterum Pœnitentiarium occasione Novatianorum, *Ne scilicet*, ait Bellarminus Lib. 3. de Pœnit.
T. 3. p. 454. H. cap. 14. *Hæretici illi Catholicos reprehendere possent, quòd nimis facilè lapsos ad communionem admitterent*; pariter eundem destitutum ob scandalum de quo loquitur: verùm non ait usum confessionis tum primùm incœpisse, aut desiisse. Namque Presbyter ille Pœnitentiarius destinatus solus non erat excipiendis omnium Fidelium peccatis; quomodo enim par esse potuisset tanto sustinendo oneri in tam numerosa civitate? Igitur præfectus dumtaxat erat ille pœnitentibus publicis, & eo abrogato pœnitentium negotium ad eum statum revocatum est, in quo erat antea; id est, ad curam Episcoporum rediit, intacta & salva remanente praxi confitendi secretò aliis Presbyteris: multi quippe ad istud ministerium erant destinati.

Ac primò quidem, Presbyterum illum pœnitentibus publicis, quorum curam gerebat, præfectum fuisse, perspicuum est, tùm ex occasione qua institutus

tutus dicitur, nempe lapſorum in perſecutione Deciana, quorum graviſſimum delictum publica & acerba pęnitentia expiari ſolebat; tùm ex occaſione qua depoſitus fuit, nempe ſcandali quod ortum eſt ex crimine mulieris cum Diacono, quod in notitiam populi venit, ſive ex confeſſione zelo indiſcreto publicè facta, ſive ex pœnitentia ipſius publica: tùm quia pęnitentiæ aut pœnitentium nomine ſimpliciter intelligunt Veteres, publicos pœnitentes. *Eum pœnitentem dicimus*, inquit Concilium Toletanum I. *qui post Baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam pęnitentiam gerens, ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.* Tùm denique quia ipſe Sozomenus poſtquam narravit iſtud Nectarii factum, ſtatim addit, in aliis Eccleſiis, Romana præſertim, retentum fuiſſe Presbyteri illius Pęnitentiarii officium; ac deſcribit ritum agendi publicam pęnitentiam in Eccleſia Occidentali obſervari ſolitum. T. 2. Conc. p. 1223. E.

Secundò, præter illum Pęnitentiarium excipiendis peccatis eorum qui ad publicam pœnitentiam damnati fuerant, præfectum, extitiſſe alios Presbyteros deſtinatos ad audiendas aliorum Fidelium confeſſiones, colligimus tùm ex facto Serapionis apud Euſebium L. 6. c. 44. Ille quippe morti proximus, curavit ſibi advocari unum ex Presbyteris diſpenſationi Sacramentorum à Dionyſio Alexandrino Epiſcopo præpoſitis, à quo poſſet & reconciliationis & Euchariſtiæ beneficium percipere. Tùm ex Origene Hom. 2. in Pſal. 37. ubi poſtquam dixit neceſſe eſſe confiteri Sacerdotibus peccata, cautè admonet, *circumſpiciendum eſſe diligentiùs, cui peccata confitearis; probandum priùs eſſe medicum cui languorem tuum exponas &c.* At niſi præter publicum illum & magnum Pęnitentiarium alii extitiſſent inferiores Sacerdotes, apud quos Chriſtiani ſua potuiſſent deponere peccata, quomodo dixiſſet Origenes, cautè ſeligendum eſſe Sacerdotem cui peccata confitearis? ubi enim unus ſupponitur tali officio deſtinatus, non amplius conſilio & delectui locus relinquitur. Tùm denique quia S. Gregorius Nyſſenus Epiſtola ad Letojum ait, *avaritiæ peccatum fuiſſe à Patribus prætermiſſum*, quod intelligi dumtaxat eo ſenſu poteſt, quòd nullæ publicæ pęnæ in Canonibus decretæ ſint propter avaritiæ peccatum: purgandum tamen illud fuiſſe per pęnitentiam, ac virtute clavium Eccleſiæ remittendum, ſolus negaverit Novatianus. Igitur præter publicam, erat & ſecreta pęnitentia, judicio prudentis Sacerdotis determinanda; ergo præter illum Pœnitentiarium publicis pœnitentibus præfectum, erant alii Sacerdotes præpoſiti excipiendis cæterorum Fidelium peccatis. P. 246. T. 1. p. 293. F. T. 1. p. 953. A. B.

Depoſito itaque & abrogato Conſtantinopoli Pœnitentiario, non ſublatus propterea fuit confeſſionis ſecretæ uſus; ſed ad eum ipſum ſtatum rediit res pœnitentiæ, in quo erat ante inſtitutionem hujus Pęnitentiarii, hoc eſt ad Epiſcoporum curam.

Quid ergo, inquies, abrogavit Nectarius?

Reſp. abrogaſſe Pęnitentiarium, ejuſque munus & officium, cujus iſtæ partes erant. 1. morum ſanctitati invigilare cenſoria quadam & publica auctoritate. 2. excipere depoſitiones teſtium, qui de patrato facinore reum accuſabant: reum ad ſe vocare, cum teſtibus conferre &c. Officium illud deſignare videtur Origenes Lib. 3. contra Celſum, cùm ait, *apud Chriſtianos quoſdam conſtitui ad inquirendum in vitam ac mores eorum qui ad ſacra accedunt;* T. 1. p. 454. G.

*cedunt; ut ii qui turpia perpetrant facinora, à publicis conventibus arceantur.* 3. eorum omnium confessiones excipere, qui ex præscripto Canonum publicæ pœnitentiæ subjici debent. 4. quædam designare peccata publicè castiganda. 5. præesse ejusmodi publicis pęnitentibus, & observare diligenter, an qua par est cura, pœnitentiæ stadium decurrerent &c. Hoc itaque suppresso tribunali & munere extincto, non quidem confessio privata de medio sublata est, sed tantùm obligatio subjiciendi se huic publico Pęnitentiario, atque pro occultis peccatis publicam subeundi pęnam, prout ille jubebat aut consulebat. Pęnitentiam enim publicam pro peccatis notoriis & publicis, omnino extinctam & abrogatam non fuisse per Nectarium in Ecclesia Orientali, demonstrari potest tùm ex ipso S. Chrysostomo Nectarii successore Hom. 3. in Epistolam ad Ephesios, nona & duodecima ad Hebræos, aliisque in locis quæ fusè enumerat auctor vitæ ipsius gallicè scriptæ Lib. 11. c. 17. & Dallæus L. 4. c. 32. Tùm ex S. Nilo discipulo S. Chrysostomi, in Epistola ad Chariclum Presbyterum; tùm ex Canone 87. Concilii Trullani, & ex Methodio apud Goarium pag. 890. &c.

P. 503.

Instabis 1. Pęnitentiarius ille excipiebat secreta confessione non tantùm publica, sed etiam occulta peccata eorum qui debitores erant pęnitentiæ publicæ; ergo exauctorato illo Pœnitentiario ejusque extincto munere, non amplius viguit obligatio confitendi peccata occulta.

Resp. nego consequentiam. Namque etsi Pęnitentiario Sacerdoti tenerentur qui publicè pęnitentes erant, sua tam occulta quàm publica declarare peccata, ( aliàs integra non fuisset confessio ) non tamen solus erat præpositus excipiendis omnium Fidelium ( eorum præsertim qui à lege publicæ pęnitentiæ liberi erant ) peccatis, sed multi ad id muneris erant designati inferiores alii Sacerdotes. Abrogato igitur munere Pęnitentiarii, cessavit obligatio confitendi peccata, non quidem absolutè & simpliciter, sed ea ipsi Pęnitentiario publico confitendi, permanente semper ac pendente obligatione ea confitendi alicui ex aliis Presbyteris ab Episcopo huic muneri præfectis. Et verò post Nectarii decretum, superstitem remansisse in Ecclesia Græca confessionis privatæ usum, patet ex Libris Pęnitentialibus Orientalium, pręsertim Joannis Jejunatoris coætanei S. Gregorii Magni, Joannis Monachi, qui Basilii discipulus dicitur, Nicephori Cartophilacis, Simeonis Archiepiscopi Thessalonicensis, Gabrielis Philadelphiæ Metropolitæ: ex Arcudio, ex notis Goarii ad Euchologium Græcorum, & ex Leone Allatio Lib. 3. de consensu utriusque Ecclesiæ c. 9.

Instabis 2. Nulla fit à Socrate & Sozomeno mentio confessionis alicujus, quæ Pęnitentiarii institutionem antecesserit: hanc tamen omittere non debuissent, si fuisset in usu.

Resp. argumentum istud negativum nullius esse ponderis, tùm quia non postulabat scopus illorum Historicorum, ut agerent de confessione privata, sed tantùm de institutione & abrogatione Pęnitentiarii: tùm quia iidem Historici non referunt post decretum Nectarii adhuc in usu remansisse publicam de peccatis publicis pęnitentiam; neque tamen ex eorum silentio benè infertur, talem usum in Ecclesia Constantinopolitana extinctum fuisse, vel ipso concedente Dallæo.

Socr. p. 465. Instabis 3. Saltem Eudæmon qui consilium dedit Nectario de abrogando

Pęni-

Pęnitentiario, ut consilium suum probaret ejusque levaret invidiam, innuere debuisset satis esse ad Fidelium correctionem, privatam confessionem, si revera in usu tunc fuisset: atqui hoc dixisse non legitur; ergo &c.

Resp. hanc instantiam eodem, cum priori, defectu ac vitio laborare; atque etiam adversus auctorem suum Dallæum retorqueri. Neque enim Eudæmon ait superesse *pœnitentiam publicam* ex arbitrio Episcopi imponendam, sicut imponi solebat antequam crearetur Pęnitentiarius; & tamen unà cum confessione ipsi prævia superstitem illam fuisse fatetur Dallæus.

Instabis 4. Referente Socrate L.5.c.19. Nectarius post abrogatum Pęnitentiarium *unicuique permisit pro arbitrio & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere*. Ergo non obligabat lex privata confessionis. P.270. B.

Resp. nego consequentiam. His enim verbis excluditur quidem necessitas adeundi Presbyterum illum Pœnitentiarium post decretum Nectarii; at non excluditur necessitas secretæ confessionis. Scilicet pęnitentes, quibus præfectus erat ille Pęnitentiarius, ad participationem Eucharistiæ non admittebantur, nisi eo permittente ac consentiente: cùm igitur sublatus ille fuit, potuit unusquisque pęnitens pro sua conscientia accedere ad sacram mensam, permanente semper obligatione subjiciendi se clavibus Ecclesiæ, & peccata sua confitendi Sacerdoti.

Instabis 5. Socrates Eudæmonem redarguit mali consilii, eo quòd Christiani sua deinceps delicta non essent reprehensuri. Addit Sozomenus, majorem factam inde peccandi licentiam: *Nam antea*, inquit, *minora erant peccata, tùm ob verecundiam eorum qui sua ipsi delicta enuntiabant, tùm ob severitatem judicum, qui ad id erant constituti*. Atqui nisi abrogatus fuisset confessionis privatæ usus, his incommodis locus non patuisset. P.727. D.

Resp. nego min. Namque per privatam confessionem sua invicem delicta non coarguunt Christiani, ut omnes norunt; at verò ante abrogatum Pęnitentiarii munus, facile erat unicuique fratris sui scelera redarguere: nam coram tribunali Pęnitentiarii, divini simul & Ecclesiastici judicis, peccatores delatione, accusatione, & testimonio convicti ad pęnitentiam publicam cogebantur, vel anathemate plectebantur; igitur Socrates de Eudæmone conquerebatur, quòd publicam illam morum censuram abrogari voluisset: nec immeritò addit Sozomenus, majorem ex abrogato Pęnitentiario factam esse ad peccandum licentiam; timore enim hujus publici censoris ac publicæ reprehensionis, velut fręno quodam, à peccato cohibebantur Christiani.

Instabis denique: Ex concessis, Nectarius non abrogavit pęnitentiam publicam pro peccatis publicis, quæ in Ecclesia Constantinopolitana, sedente S. Chrysostomo, & in aliis Orientis Ecclesiis, etiam post decretum Nectarii in usu fuit: non abrogavit quoque confessionem publicam occultorum peccatorum, quia hæc nusquam ulla lege Ecclesiastica præcepta fuit, ut inferiùs ostendemus; sequitur ergo ut abrogaverit confessionem privatam.

Resp. nego consequentiam. Abrogavit enim munus Pęnitentiarii, ut jam dictum fuit; intactis aliis, quæ vel ex præcepto divino, vel ex usu communi Ecclesiæ recepta erant.

Objicies 2. cum Dallæo Lib.4.cap.25. varia S.Chrysostomi testimonia, quibus affirmare videtur sufficere confessionem soli Deo factam, nec opus

esse peccata sua Sacerdoti declarare. Ita præsertim Hom. 21. ad populum Antiochenum, nunc Catechesi 2. ad illuminandos. *Neque hoc tantùm est admirabile*, inquit, *quòd nobis peccata dimittat; verùm & quòd ipsa non revelet, nec manifesta faciat; nec accedentes cogat in medio patrata edicere, sed sibi soli rationem reddere jubeat, & sibi confiteri.*

T. 2. p. 240. B.

Respondent doctissimi Cardinales Bellarminus, Baronius & Perronius, S. Chrysostomum alludere ad factum Nectarii, cujus fuit immediatus successor; atque citatis verbis excludere dumtaxat confessionem publicam, quam Nectarius simul cum officio Pœnitentiarii abrogaverat; non verò sacramentalem & privatam confessionem.

Responsionem hanc sugillat Dallæus L. 4. cap. 26. quia nempe Homilias illas Antiochiæ in Syria pronuntiavit sanctus Doctor, cùm adhuc vel Diaconus, vel Sacerdos tantùm esset, non verò Constantinopoli in Thracia, cujus Sedem non occupavit nisi post Nectarium, anno scilicet 397. vel 398. Anno enim 381. ad illam Sedem promotus fuerat Nectarius, quam cùm per annos sexdecim tenuisset, anno 397. diem extremum obiit, & eodem vel sequenti anno in ejus locum consecratus est S. Chrysostomus. Non potuit igitur, ait Dallæus, alludere in citata Homilia ad factum Nectarii.

Verùm, etsi concedamus citatam Homiliam à S. Chrysostomo pronuntiatam fuisse Antiochiæ antequam creatus esset Episcopus, non tamen rectè ostendit Dallæus, non potuisse S. Doctorem alludere ad factum Nectarii. Cùm enim incertum planè sit quo anno Episcopatus sui Nectarius Pœnitentiarium abrogaverit, & aliunde Sozomenus observet Lib. 7. cap. 76. omnes ferè Orientis Episcopos exemplum Nectarii secutos esse, quidni conjicere meritò possumus, Flavianum Episcopum Antiochenum Pœnitentiarium ejusque officium in sua quoque Ecclesia abrogasse; atque S. Chrysostomum à Flaviano in Sacerdotem ordinatum, appositè ad hancce immutationem factam dixisse, soli Deo confessionem esse faciendam, non per exclusionem secretæ, sed publicæ dumtaxat confessionis, aut saltem obligationis se subjiciendi Presbytero Pœnitentiario? Quidquid ergo sit de illa doctissimorum Cardinalium responsione, à Dallæo certè malè refellitur.

P. 726. B.

Respondent alii, & quidem ad locum unde petitur Objectio magis aptè & accommodatè, S. Doctorem verba facere ad illuminandos seu baptisandos, quibus sufficit si coram Deo sua agnoscant peccata, ac spem firmam habeant in divinam clementiam, quæ per Baptismum omnia & singula peccata ipsius dimittit. De iisdem qui ad Baptismum accedunt Tertull. Lib. de Baptismo cap. 20. dicebat, *gratulandum esse, si non publicè confiteantur iniquitates aut turpitudines suas*. Neque enim lege confessionis Sacerdoti faciendæ tenentur, qui Baptismum percipiunt; sed ii dumtaxat, qui post Baptismum peccarunt.

P. 231. B.

Instabis: Atqui in aliis locis quamplurimis, quibus certum est S. Doctorem alloqui baptisatos, confessionem soli Deo, per exclusionem Sacerdotis, factam sufficere non rarò affirmat.

Homilia 30. sive 5. de incomprehensibili Dei natura, *Non te in theatrum*, inquit, *conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo; conscientiam tuam expande coram Deo, ostende ipsi vulnera, & ab eo medicamenta postula . . . . Dic igitur, ut id lucro tibi sit: dic, ut illis hìc depositis,* illo

To. 1. p. 490. D.

*illo abeas purus, & à delictis vacuus, & ab intoleranda promulgatione illa libereris.*

Hom. 56. quæ est 8. nunc 6. de Pœnitentia, exponens ista S. Pauli verba, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo comedat*, sic loquitur: *Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit, intus in conscientia astante nemine, præter eum qui cuncta videt.* T. 2. p. 326. A. B.

Hom. 57. seu 9. nunc 3. de Pœnitentia. *Deo soli*, inquit, *dic peccatum tuum... & dimittitur tibi peccatum.* Ibid. p. 300. C.

Hom. 2. in Psal. 50. nunc inter spurias rejecta. *Peccata tua*, inquit, *ipse commemora, ut ea deleat. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Num dico ut ea conservo exponas, qui te probris impetat? Dic Deo, qui iis medetur.* T. 5. p. 589. A.

Denique, ut alia multa ejusdem ordinis prætermittam, Hom. 4. in Lazarum, *Nihil*, inquit, *tam exitiale peccato, quàm peccati accusatio & condemnatio, cum pœnitudine lachrymisque conjuncta. Condemnasti tuum peccatum? deposuisti sarcinam . . . . cur igitur te, quæso, pudet, & erubescis dicere peccata tua? Num enim homini, dicis, ut te probro afficiat? Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat? Imò verò ei qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera.* T. 1. p. 757. D.

Resp. nego ant. Ad probationem distinguo: soli Deo facienda est confessio, per exclusionem confessionis publicæ palam & coram omnibus faciendæ, concedo: soli Deo per exclusionem Sacerdotis cui secretò aperiantur peccata, iterum distinguo: soli Deo tanquam auctori primario remissionis peccatorum, cujus nomine Sacerdos agit, concedo: soli Deo per exclusionem ministerii sacerdotalis, nego. Duplici itaque potissimùm sensu dixit sanctus Chrysostomus, soli Deo, non homini aperienda esse peccata.

Primò, quia publicè non sunt declaranda, tanquam *in theatro*, inquit, *nec ei, qui ea palam exprobret, & probris impetat*; publicam ergo dumtaxat confessionem rejicit, non privatam & secretam. Non aliam esse S. Doctoris mentem apertum est ex verbis citatis Hom. 30. 56. secundæ in Psal. 50. & quartæ in Lazarum. Obversabatur oculis S. Doctoris, cùm hæc scribebat, recens Nectarii factum, atque memor scandali, quod ex indiscreta mulieris confessione ortum fuerat, soli Deo peccata confitenda esse dicit, exclusa scilicet publica, non verò secreta confessione, ex qua nullum omnino pœnitenti opprobrium aut detrimentum timendum est.

Secundò, soli Deo confessio fieri dicitur à S. Chrysostomo, tùm quia Sacerdos, non suo, sed Christi, cujus minister est, nomine, eam excipit, veniamque peccatorum dispensat; tùm quia quoad secretum & taciturnitatem attinet, perinde est ac si soli Deo intra conscientiæ arcana fieret: atque inde fit ut apud Veteres confessio aliquando dicatur fieri soli Deo, aliquando Deo & Sacerdoti. Ita in formula confessionis S. Fulgentii, apud Menardum in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii p. 225. pœnitens modò Deo, modò Sacerdoti dicitur confiteri; & S. Leo Epistola 136. aliàs 80. *Sufficit*, inquit, *confessio illa quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti.* Et Sacerdotes Græci accedentes ad se pœnitentes sic alloquuntur apud Goarium pag. 679. *Frater, ut quid ad Deum & me accessisti? Ne verearis: non* T. 1. p. 719.

*enim mihi, sed Deo, coram quo stas, peccata tua enuntias*. Similia ferè leguntur in libello pœnitentiali Joannis Jejunatoris Patriarchæ Constantinopolitani, apud Morinum ad calcem Operis de Pœnitentia, pag. 78. Cùm igitur S. Chrysostomus ait soli Deo declaranda esse peccata; nec Sacerdotis ministerium excludit, nec secretam pœnitentium confessionem: sicut quando affirmat sæpius, Deum solum remittere peccata; procul dubio nec Baptismum aliaque Sacramenta, nec Ecclesiæ ministerium removet.

His adde, S. Doctoris institutum in aliquibus ex citatis locis non postulasse, ut ageret de confessione sacramentali Sacerdoti facienda. Sic Hom. 5. de Pœnit. adhortatur Fideles ut de se modestè ac demissè sentiant; non extollantur superbè, sicut Pharisæus ille de quo Lucæ 18. adeoque sua ultro agnoscant & fateantur peccata.

Hom. 8. de Pœnit. & 2. in Psalm. 50. ait de quotidiano conscientiæ examine, quo quis omnes cordis sui recessus nullo teste explorans, sua omnia delicta coram Deo cum dolore agnoscit ac fatetur, & seipsum, juxta præceptum Apostoli probat. An propterea excludit confessionem Sacerdoti faciendam? minimè. An necesse fuit ut in his locis illius mentionem faceret? Quasi verò toties illa commemoranda foret, quoties vel de peccatis, vel de examine conscientiæ, vel de humilitate christiana aliisque pietatis ac religionis officiis sermo instituitur? Argumenta igitur hæc negativa Dallæi prorsus infirma sunt.

Objicies 3. S. Basilius in Psalm. 37. asserit, exemplo Davidis satis esse si peccator Deo soli peccata sua confiteatur.

Resp. dist. ant. in veteri Lege, in qua lex confessionis sacramentalis nondum instituta erat, concedo: in nova, nego. Quòd verò S. Basilius loquatur de veteri Lege, vel ipsum exemplum Davidis, quem eò loci inducit loquentem, apertè demonstrat.

Objicies 4. S. Gregorius Nyssenus Epistola ad Letojum, ait avaritiæ peccata fuisse à Patribus prætermissa: at, inquit Dallæus, qua ratione id potuisset asserere, si viguisset privata confessio & pœnitentia?

L. 4. c. 25. Resp. avaritiæ peccata eo sensu à Patribus fuisse prætermissa, quòd nullæ publicæ & canonicæ pœnæ decretæ adversus illa legantur: loqui enim S. Doctorem ea in Epistola de pœnis publicis & canonicis, vel ipsi testes esse possunt legentium oculi. Cùm verò dubium non sit avaritiæ peccatum mortale esse; dubium quoque esse non potest, quin privata confessione & pœnitentia castigatum sit ab Ecclesia, cujus clavibus subjici debet omne peccatum mortale.

Objicies 5. Origenes Hom. 2. in Leviticum, postquam enumeravit multa veteris Legis sacrificia pro expiandis peccatis, statim inducit aliquos ex auditoribus objicientes: *Meliùs agebatur cum antiquis, quàm nobiscum, ubi oblatis diverso ritu sacrificiis, peccantibus venia præstabatur. Apud nos uno tantùm modo venia est peccatorum, quæ per lavachri gratiam in initiis datur. Nulla post hæc peccanti misericordia, nec venia ulla conceditur*. At, inquit Dallæus, si nota fuisset Origeni lex & virtus confessionis sacramentalis, quomodo sic objicientes induxisset; aut saltem quomodo eos non confutasset?

T. 1. p. 67. F.

Resp. 1. eos qui apud Origenem sic objiciunt, Montanistarum erroris fuligine tinctos esse, qui peccata mortalia post Baptismum commissa non posse

ab Ecclesia dimitti sentiebant. 2. falsum planè esse quod supponit Objectio, nempe Origenem ejusmodi homines non confutasse. In ea enim ipsa Homilia citata, inter varios modos quibus in Lege Christi venia peccatorum obtinetur, expressè meminit pœnitentiæ & confessionis quæ fit Sacerdoti. *Est*, inquit, *adhuc septima, licèt dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrymis stratum suum . . . & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum.* Ib. p. 68. G.

Objicies 6. Multi ex SS. Patribus affirmant, per contritionem, nulla prorsus facta mentione oralis & sacramentalis confessionis, peccata dimitti. Ita SS. Hilarius in Psal. 51. Basilius in Psal. 57. Ambrosius Lib. 10. in Lucam cap. 22. Maximus Taurinensis Hom. 5. de pœnitentia Petri, Augustinus in Psal. 31. &c.

Resp. sanctos illos Patres loqui de contritione perfecta, cujus hæc virtus est, ut peccata deleat, sicut nos suprà Qu. 4. Art. 2. docuimus. In hac verò contritione includi votum seu desiderium confessionis sacramentalis, post institutionem ejus à Christo factam, affirmat Concilium Trid. Sess. 14. cap. 4. cujus verba laudavimus ejusdem Quæstionis 4. Art. 4. Neque mirum Dallæo videri debet, quòd mox appellati Ecclesiæ Doctores confessionis oralis & sacramentalis mentionem his in locis non fecerint: non postulabat enim eorum institutum, siquidem de pœnitentia Davidis & S. Petri verba faciunt, quibus illa confessio necessaria non fuit, cùm instituta non esset.

Objicies 7. Nulla primis sæculis lege adstricti leguntur Fideles ad sua Sacerdotibus confitenda peccata, priusquam ad sacram mensam accederent: quod probat Dallæus.

I. Quia initio nascentis Ecclesiæ Christiani omnes, ex Catechismo Concilii Tridentini, quotidie sacræ mensæ participes erant, & cùm his temporibus paucissimi essent ministri, nemo sibi fingere potest singulos peccata sua confiteri solitos ante perceptionem Eucharistiæ.

II. Quia S. Cornelius apud Euseb. L. 6. Hist. c. 43. narrat de Novatiano, illum singulos ad Eucharistiam accedentes, eorum manibus apprehensis sibi sacramento obstrinxisse his verbis: *Jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium reversurum.* At si mos tunc fuisset Fideles privatim Sacerdotibus confiteri, facile fuisset secretò juramentum hoc extorquere. P. 245. B.

III. SS. Clemens Alexandrinus L. 1. Stromatum, Chrysostomus Hom. de jejunio sive 8. de Pœnit. Origenes Tomo 28. in Joan. & alii non pauci, unumquemque permittunt suæ conscientiæ ut accedat ad Eucharistiam.

IV. Quia vel ipsi Patres Concilii Cabillonensis anni 813. cùm de prævia ad Eucharistiam dispositione loquuntur, nullam prorsus faciunt sacramentalis confessionis mentionem, ut videre est ex Can. 46. cujus titulus est, *De discretione adhibenda in perceptione Eucharistiæ.* Tom. 7. Conc. p. 1281. E.

Resp. nego ant. Lex enim illa continetur & in institutione Pœnitentiæ, & in hoc Apostoli mandato, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Nec verò est quòd Dallæus, aut exempla, aut expressa testimonia triumpriorum sæculorum, confessionis præmissæ participationi Eucharistiæ à nobis tam morosè postulet: namque etsi exempla deessent, an idcirco dogma ipsum negandum? Non extant frequentia exempla Baptismi infantibus tribus 1. Cor. 11. v. 28

primis sæculis dati; an negaret Dallæus, baptisandos esse infantes? Non extant pariter frequentia exempla Baptismi per unicam aspersionem dati; an idcirco nullum esse dicet? non puto. In iis igitur rebus quæ usu quotidiano tenentur & observantur, nec exempla, nec tam expressa Scriptorum testimonia morosè debent exigi, quia satis cognitæ sunt, nec ea referri necesse videtur. Adde, quòd primi Christiani attenti magis & occupati forent sanguine suo defendendæ & propagandæ Religioni, quàm scripto consignandis omnibus pietatis & fidei Christianæ officiis quæ usurpabant.

Ad primam probationem: Cùm lex confessionis eos tantùm obstringat qui alicujus mortalis peccati sibi conscii sunt, mirum non est quòd primi Fideles, qui tam sanctam & innocentem ducebant vitam, non legantur ad remedium confessionis toties confugisse, quoties ad sacram mensam accedebant.

Ad secundam: Gratis fingit Dallæus, id facturum fuisse Novatianum quod fuisset honestius & à scandalo remotius: qui projectam hominis illius audaciam noverit ex ejus factis, sic in ejus gratiam non ariolabitur. Deinde & juramentum sic exigendo, fecit quod ad rem suam erat securius: nam ita majus erat vinculum, quo illos sibi obstringebat, jurisjurandi nempe in ipsa Eucharistiæ perceptione palam editi; cujus & religio major, ob mysteriorum sanctitatem; & obligatio solemnior, ob conventus frequentiam esset.

Ad tertiam: Citati scriptores unumquemque Fidelium conscientiæ suæ permittunt, quantùm ad examen & judicium de animæ suæ statu, de præparatione sua, vel indignitate ad percipiendam Eucharistiam; non verò quantùm ad officium expiandi delicta sua ante communionem, independenter à ministerio Sacerdotum, quibus noverant concessam à Christo dimittendi peccata auctoritatem.

Ad quartam: Non meminit quidem expresè eo in Canone confessionis sacramentalis Concilium Cabillonense, eam tamen indicasse videtur *nomine purificationis animæ*, quam Eucharistiæ docet esse præmittendam: & aliunde Can. 33. cujus titulus est, *Quòd Deo & Sacerdoti confitenda sint peccata*, confessionis usum receptum significat; quamquam observat ea ipsa ætate fuisse ab aliquibus impugnatam ejus necessitatem.

To. 7. Conc. p. 1279. A

Objicies 8. Venerabilis Beda, qui octavo floruit Ecclesiæ sæculo, non agnovit necessariam pro omnibus omnino mortalibus peccatis expiandis confessionem Sacerdotibus factam: Libro enim 5. in Lucam cap. 69. docet non alios Fideles debere confiteri Sacerdoti, quàm qui lepræ spiritualis immunditia laborant: hoc est, vel hæretica pravitate, vel judaica perfidia, vel superstitione gentili, vel etiam schismate fraterno: cætera autem vitia Sacerdotis absolutione non egere.

Tom. 5. Oper. p. 421.

Resp. mentem Venerabilis Bedæ esse, ut qui mox dictis vitiis sunt infecti, debeant ad Ecclesiam redire, atque palam & publicè ejuratis erroribus, vel suscepto Baptismate, vel schismate abdicato, testentur se fidei & unitati Ecclesiæ adhærere publica professione & Sacramentorum communione: *Cætera verò crimina*, inquit, *Dominus per se ipsum interiùs, in conscientia sanat & corrigit*: non quòd Penitentiæ sacramento, confessione & absolutione sacerdotali non egeant, sed quòd solemni receptione in Ecclesiam admitti necesse non sit eos qui cætera peccata commiserint; excludit ergo Beda

Ibid. n. 40.

non

non secretam pœnitentiam, confessionem & correptionem, sed publicam. Hunc esse illius sensum colligi potest ex citato ipso loco, ubi observat S. Paulum, audita Domini voce, ad Ananiam esse missum, *ut illo*, inquit, *Sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus ejus approbaretur color. Non quia non potest per seipsum Dominus omnia facere ....sed ut ipsa societas congregatorum fidelium approbando in invicem atque communicando veræ fidei doctrinam, in omnibus quæ dicuntur verbis, vel signantur Sacramentis, tanquam unam speciem veri coloris obducat.* Ibid. n. 5.

Quòd verò Beda usum & necessitatem confessionis Sacerdoti faciendæ agnoverit, patet ex ipsius Commentario in Epistolam S. Jacobi, ad ista verba, *Confitemini alterutrum peccata vestra. In hac*, inquit, *sententia debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione salvari. Porrò gravioris lepræ immunditiam juxta legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter & quanto tempore jusserit, purificari curemus.* Adde Librum pœnitentialem ipsius Bedæ, qui refertur in fine Tomi 8. ejus Operum, ubi Sacerdotes monet quanta cum discretione & prudentia agere debeant cum pœnitentibus, audita peccatorum gravitate & varietate. Ibid. p. 959. n. 5c.

Objicies 9. Arcana confessio solet passim apud recentiores auctores Latinos recenseri inter quotidianos pietatis & religionis actus; apud Veteres nunquam. Solent pariter omnes Fideles, cùm graviter ægrotant, peccata confiteri Sacerdoti; de veteribus Fidelibus nihil tale legitur, quamquam habeamus descriptam in veteribus monumentis vitam & mortem multorum Sanctorum.

Quin in multis differt confessio hodierna, ab ea quæ nono etiam sæculo ab aliquibus observabatur.

I. Persuasum erat tunc temporis, confessionem soli Deo factam sufficere. Ita sensisse multos, testantur Alcuinus Epistola 71. Haymo Halberstatensis in Evangelia, Dominica 15. post Pentecosten & Concilium Cabillonense II. an. 813. Can. 33. quos gravi censura non perstringunt. Notat idem Concilium, eos qui confessionem Sacerdoti factam admittebant, non tamen existimasse omnia peccata in ea esse aperienda: imò vel ipsi hujus Concilii Patres eodem Canone affirmant, *confessionem quæ Deo fit, purgare quidem peccata; eam verò quæ fit Sacerdoti, docere qualiter ipsa purgentur peccata*: & Can. 32. octo solùm enumerant vitiorum species, de quibus interrogantur Fideles. Tom. 7. Conc. p. 1279. B Ibid. p. 1278. E

II. In antiquis Libris pœnitentialibus & Ritualibus sacramentariis noni sæculi & præcedentium temporum, non legimus Sacerdotem pœnitentes à peccatis absolvisse, & pronuntiasse verba ista, quæ hodie solemnia sunt, *Ego te absolvo à peccatis tuis*; sed humili prece ac supplicatione veniam ipsis à Domino poscebat. Imò & ex S. Thoma Opusculo 22. discimus, quemdam Doctorem hac de re cum eo contendisse & affirmasse, formam absolutionis esse deprecatoriam, & vix ab annis 30. formam illam absolutam inductam fuisse & usurpatam.

III. Etiam post nonum sæculum usque ad decimum tertium, plures Catholici scripserunt confessionem soli Deo factam, ad obtinendam veniam peccatorum sufficere.

Ita Magister Sententiarum L. 4. dist. 17. litt. C. ubi proposita hac quæstione,

utrum

utrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an verò oporteat confiteri & Sacerdoti, sic statim ait: *Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio, sine judicio sacerdotali & confessione Ecclesiæ*. Et mox eorum fundamenta exponit, tùm addit: *His auctoritatibus innituntur: Dicunt enim, quòd si quis timens detegit culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel alii suo exemplo ad peccandum accingantur, & ideò tacet homini, & revelat Deo, consequitur veniam*.

Gratianus pariter Decreti 2. part. dist. 1. de Pœnit. causa 33. quæst. 3. occasione mulieris quæ crimen suum Deo tantùm confessa dicebatur, quærit, an sola confessione cordis crimen deleri possit. *Utrum*, inquit, *sola cordis contritione & secreta satisfactione, absque oris confessione quisquam possit Deo satisfacere*. Duas, quæ tunc vigebant, opiniones refert: alii quippe asserebant, alii verò negabant sola confessione cordis sine oris confessione Sacerdoti facta, peccata deleri posse. Expensis & æqua lance libratis hinc & inde momentis, nihil pronuntiat, sed lectori reservat judicium. *Quibus auctoritatibus*, inquit, *vel quibus rationum firmamentis utraque sententia ... innitatur, breviter exposuimus: cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur; utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros. Unde Theodorus Cantuariensis Episcopus ait in Pœnitentiali suo: Quidam Deo solummodò confiteri debere peccata dicunt (ut Græci;) quidam verò Sacerdotibus (ut tota ferè sancta Ecclesia.) Quod utrumque non sine magno fructu fit intra sanctam Ecclesiam: ita dumtaxat ut Deo, qui remissor est peccatorum, peccata nostra confiteamur; & hoc perfectorum est .... sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra.....Confessio itaque quæ soli Deo fit (quod est justorum) peccata purgat: ea verò quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis & sanctitatis auctor....plerumque hanc præbet.... invisibili administratione; plerumque medicorum operatione*.

Decr. Grat. p. 2184. · Ibid. p. 2253.

Sed & post tempora Innocentii III. auctores Decretalis, *Omnis utriusque sexus*, in Concilio Lateranensi an. 1215. Semeca Glossator Gratiani in titulum de Pœnit. dist. 2. ait, *meliùs dici confessionem institutam fuisse à quadam universali Ecclesiæ traditione, potiùs quàm ex novi & veteris Testamenti auctoritate*.

In eandem sententiam venit Michael Bononiensis, qui floruit an. 1378. sub Urbano VI. & Minister fuerat generalis Carmelitarum, in Psal. 29. ubi scribit, *confessionem ad obtinendam veniam peccatorum necessariam non esse*. Denique Petrus Oxomensis Theologus Salmaticensis idem asseruit.

Resp. istas Dallæi observationes, quæ argumento negativo nituntur, levioris esse momenti. Ex responsione ad superiorem Objectionem patet, cur non tam frequens occurrat apud Veteres confessionis Fidelium mentio, sive in decursu vitæ, sive in mortis periculo: quamquam usum illum in articulo mortis clarè designent & S. Ambrosius in Exhortatione ad pœnitentiam, cùm ait debere *homines à vitiis se continere, quia nesciunt si poterunt confiteri Deo & Sacerdoti*; & S. Augustinus Epistola 228. aliàs 180. ubi loquens de tempore persecutionis, adeoque gravissimi mortis periculi, ait *magnum fieri ab utroque sexu & ab omni ætate concursum; aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis pœnitentiæ ipsius actionem*. Atqui tamen

To. 2. p. 833. C.

men si omnes qui reconciliationem postulabant, publici non erant pœnitentes, neque enim omnis ætas & sexus pœnitentiæ publicæ capax erat; ergo de privata perinde ac de publica reconciliatione loquitur sanctus Doctor.

Ad primum: Non negamus aliquos identidem extitisse, qui necessitatem confessionis Sacerdoti faciendæ in dubium revocaverint; sed an inde veritas dogmatis Catholici detrimenti aliquid pati potest? minimè profectò: veritas enim semper una est & immutabilis, cui nemo potest præscribere, non spatia temporum, non intervalla locorum, non privilegia personarum. Errarunt ergo illi, quod humanum est; at sine nota hæreseos, quia nondum Ecclesia quæstionem hanc clarè & expressè definierat: unde etsi ab aliis passim Orthodoxis refellantur, non tamen ut Hæretici ab illis habentur, aut duriori censuræ nota perstringuntur. Et verò vel ipsi noni sæculi Scriptores citati, Alcuinus, Haymo, Patres Concilii Cabillonensis, usum & necessitatem confessionis suo tempore receptæ agnoscunt & probant.

Quid ad Cabillonense Concilium reponi debeat, diximus initio hujus disputationis.

Ad secundum: Varietas illa verborum, quibus absolutio olim data est; sive mutatio formulæ deprecatoriæ in indicativam, nullum omnino induxit discrimen inter confessionem hodiernam, & eam quæ nono sæculo erat in Ecclesia solemnis, quia sub utraque forma eadem retinetur fides: Græci v.g. utuntur adhuc forma deprecatoria; & quidem valida & legitima.

Ad tertium: Jam agnovimus à nonnullis, ætate Magistri, impugnatam fuisse confessionis necessitatem; verùm à cæteris Theologis repressi illi fuere, ab ipso imprimis Magistro, qui expressè ostendit non sufficere soli Deo confiteri. Citata distinctione 17. litt. D. *Ex his aliisque pluribus*, inquit, *indubitanter ostenditur, oportere Deo primum, & deinde Sacerdoti offerre confessionem; nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas.* Verba Magistri.

Ad Gratianum

Respondent 1. nonnulli, auctoritatem Gratiani non tanti esse ponderis, ut in re facti, testimonium ejus præponderare debeat. 1. quia sine delectu multa interdum ex SS. Patribus testimonia ultro citroque, & pro affirmante & pro negante sententia profert. Exemplo fit S. Ambrosius, quem aliquando pro necessitate confessionis, aliquando contra necessitatem illam, commemorat. 2. illi *sapientes ac religiosi viri*, quos Gratianus innuit adversatos fuisse necessitati confessionis, vel illi ipsi sunt SS. Patres, quorum nulla profert testimonia; vel Scriptores suæ ætatis. Si primos intellexit, graviter deceptus est, nec eorum mentem satis est assecutus: errori locum fortè dedit, quòd in fragmentis quibusdam seu Canonibus excerptis, ut falsò putabat, ex Pœnitentiali Theodori Cantuariensis; legisset: *Quidam Deo solummodò confiteri debere peccata dicunt, ut Græci*, at postrema ista verba non extant in prædicto libello pœnitentiali. Si verò per *sapientes illos ac religiosos viros*, intellexit Gratianus sui ævi Scriptores; vel obscuri illi sunt ac nullius nominis, qualis fuit Guillelmus ille adversùs quem scripsit Godefridus Abbas Vindocinensis, qui anno circiter 1130. annis novemdecim ante Gratianum obiit: tales adversarios non audimus. Vel Scriptores illi nomen aliquod ac laudem habent in Ecclesia; & contendimus immeritò prorsus eos numerari inter adversarios necessitatis confessionis sacramentalis, quam stre-

nuè ac constanter asseruerunt, ut Godefridus, Petrus Damiani, S. Bernardus, Petrus Cluniacensis, Hugo & Richardus Victorini, Magister Sententiarum &c.

Respondent 2. alii cum SS. Thoma, Bonaventura & Antonino, mirum videri non debere, si hujus ætatis (Gratiani) Scriptores aliqui necessitati confessionis adversati fuissent, cùm ab Ecclesia nondum solemni decreto definita fuisset.

Respondent 3. multi, & quidem aptiùs, Gratianum non de præcepto, seu necessitate confessionis loqui, sed de ipsius efficacia, seu effectu, an nempè peccata dimitteret, vel supponeret dimissa per contritionem. Duplex scilicet hic quæstio est circa confessionem: una inter Catholicos & Hæreticos, an necessaria sit jure ac præcepto divino; hanc non attingit Gratianus; altera inter Theologos tunc temporis agitata, spectat effectum seu vim & efficaciam confessionis, an scilicet peccata dimittat, vel jam per contritionem dimissa supponat. Observavimus antea, pervulgatam illa ætate fuisse Magistri & aliorum sententiam, qui perfectam ex charitate contritionem Pœnitentiæ præire debere contendebant, adeoque priùs hominem Deo reconciliatum esse, quàm confiteretur & Sacramentum actu perciperet. Illa ipsa est postrema opinio de qua loquitur Gratianus loco citato, ut apertè constat tùm ex ipsomet titulo quæstionis, *An sola contritione cordis, absque oris confessione quisquam possit Deo satisfacere*: tùm ex testimoniis Scripturæ quibus utitur, & exemplis quæ laudat, leprosi, qui mundatus fuit, antequam se Sacerdoti ostendisset; Lazari, qui ad vitam revocatus est, antequam à discipulis solutus fuisset; Abrahami, qui justus erat ante Circumcisionem; tùm denique ex iis quæ Gratianus infert ex testimoniis SS. Patrum quæ protulit: *Luce clarius constat*, inquit,
P.1100. *cordis contritione, non oris confessione peccata dimitti*. Rursus.... *Ostendens*, inquit, *in contritione cordis non in confessione oris, peccata dimitti*. Iterùm: *Ex quo datur*
P.1101. *intelligi quòd, antequam Sacerdotibus peccata nostra confiteamur, à lepra peccati mundamur*. Denique: *Patet*, inquit, *quòd antequam quisque confiteatur pec-*
P.1104. *catum, per gratiam internæ compunctionis absolvitur*.
Ibid. Quantùm verò ad Glossatorem Gratiani, respondeo tanti non esse ejus auctoritatem, ut ea moveamur: in plerisque lapsus ille fuit, & idcircò emendandus & corrigendus, sicut admonent Editores Gratiani in præfatione. Petrus verò de Osma ob istum errorem à Sixto IV. damnatus est an. 1478.

### *Proponuntur & solvuntur nonnullæ quæstiones circa obligationem confitendi peccata ex jure ac præcepto divino.*

Quæres 1. quosnam obstringat divinum confessionis faciendæ mandatum.

Resp. omnes adultos qui post Baptismum in mortale aliquod peccatum lapsi sunt.

Ratio est, quia eos dumtaxat obstringit mandatum confessionis, qui solvi possunt vel ligari ab Ecclesia: atqui soli adulti baptisati qui post Baptismum lapsi sunt in aliquod mortale peccatum, solvi possunt, vel ligari ab Ecclesia. 1. soli adulti baptisati, quia in Infideles nondum baptisatos nihil juris habet Ecclesia: unde confessio illa peccatorum quæ à Catechumenis ad Baptismum accedentibus aliquando facta legitur, nec sacramentalis erat, nec distincta & absolutè necessaria singulorum peccatorum enumera-

meratio; sed generalis dumtaxat, libera, ad Baptismi gratiam percipiendam præparatoria. 2. soli adulti lapsi post Baptismum in aliquod mortale peccatum, obstringuntur lege confessionis; quia solum mortale peccatum est materia necessaria confessionis: peccata siquidem venialia aliis remediis expiari possunt & remitti.

Quæres 2. quo tempore obliget divinum confessionis præceptum, vel per se, vel per accidens.

Resp. 1. præceptum illud non obligare per se statim à perpetrato peccato. Ratio est, quia præcepta affirmativa non obligant pro omni omninò tempore: inde est quòd Ecclesiasticum confessionis præceptum, quod est determinatio divini, quoad tempus, non obstringit nisi semel in anno. Et verò major non potest esse obligatio confessionis post commissum peccatum, quàm contritionis: atqui, ex dictis antea, præceptum contritionis non obligat statim ab ipso patrato peccato. Per accidens tamen, ratione alterius, obligat lex confessionis, eos nimirum qui vel Missam celebrare, vel ad sacram mensam accedere volunt.

Resp. 2. præceptum divinum confessionis per se obligare, ubi probabile est periculum mortis. Ratio est, quia vel nunquam obligat, quod certè erroneum foret asserere; vel saltem in articulo mortis, quo præsertim tempore tenetur quilibet salutis animæ suæ curam gerere.

Dixi, si probabile fit mortis periculum: in levioribus enim morbis, ex quibus nullum timeri prudenter potest periculum mortis, non videtur urgere præceptum illud.

Inde sapienter cautum est SS. Pontificum Decretis, ut cùm medici ad curam morborum corporis advocantur, debeant priùs ægros monere de confessione facienda, quàm se ad morbi curationem accingant. Ita Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. an. 1215. S. Pius V. in Bulla, *Supergregem*, ubi prohibet medicis visitare infirmum tertia die, nisi confiteatur, aut confessionem differat ex consilio Sacerdotis; vetatque eos ad Doctoratum admitti, nisi solemniter jurent se id servaturos. Clemens V. in Concilio Ravennatensi II. anno 1311. Rubrica 15. Has Constitutiones renovarunt S. Carolus Borromæus in I. Concilio Mediolanensi an. 1500. Constitutionum parte 2. Concilium Bituricense an. 1584. titulo 21. de Pœnitentia & ejus partibus Can. 14. Concilium Aquense anno 1585.

Quæres 3. utrum in mortis periculo constitutus, qui post diligens examen suæ conscientiæ cognoscit se aliquorum dumtaxat peccatorum venialium reum esse, teneatur ea confiteri Sacerdoti.

Resp. non teneri per se & absolutè, quia sunt alia remedia pro peccatis venialibus: teneri tamen per accidens. 1. ratione scandali, quod oriri inde posset. 2. ad vitandum peccatum præsumptionis. 3. ne seipsum decipiat, nimiùm sibi blandiendo: tùm quia peccata quæ venialia putat, forsan mortalia sunt, quorum discretio pertinet ad Sacerdotem; tùm quia optima est & praxi Sanctorum confirmata consuetudo, confitendi venialia peccata; tùm quia per Sacramentum Pœnitentiæ uberiora impetrantur gratiæ auxilia.

Quæres 4. utrum extra probabile mortis periculum per se obliget confessionis præceptum.

Resp. affirmativè: tùm quia positiva & affirmativa præcepta non tantùm obli-

obligant in extrema necessitate, sed etiam cùm probabiliter judicatur eorum observatio necessaria. At etiam extra mortis periculum necessaria judicatur confessio sacramentalis peccatorum: neque enim verisimile videtur, Christum Dominum voluisse ut lex confessionis obstringant in solo mortis articulo; finis enim illius est, ut homo in gratiam redeat cum Deo à quo recessit per mortale peccatum: at cùm sæpius contingat hominem mortaliter peccare, & periculum indurationis in malo timeri debeat, si diu perseveret in affectu mortalis peccati, hinc certò colligi videtur sæpius in vita obligare confessionis præceptum. Ecclesiæ lege ac mandato quotannis semel facienda illa est: an verò sæpius etiam in anno, & quoties judicabit vir prudens & pius.

Quæres 5. utrum præcepto confessionis teneantur Fideles, cùm justa est timendi causa, ne gravium peccatorum subrepat oblivio.

Resp. affirmativè. Debet quippè Fidelis, quantùm in se est, efficere ut integra sit peccatorum confessio: cùm igitur novit se infirmæ admodum esse memoriæ, debet antequam peccatum è memoria dilabatur, illud Sacerdoti confiteri; aliàs exponit se evidenti periculo violandi integritatem confessionis.

Quæres 6. utrum jure divino necessaria sit confessio ei qui vult accedere ad Sacramentum Eucharistiæ.

1. Cor. 11. v. 28. To. 14. Conc. p. 809. D. E. Resp. affirmativè. Tùm quia disertè Apostolus ait: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane ille edat*. Tùm quia ita expresè Conc. Trid. Sess. 13. Can. 11. *Ne tantum*, inquit, *Sacramentum, indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere, præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat*.

## ARTICULUS III.

### *De præcepto Ecclesiastico confessionis.*

CElebre confessionis semel in anno faciendæ Decretum emisit Concilium Lateranense IV. an. 1215. sub Innocentio III. Can. 21. cujus hæc verba sunt: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi penitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minùs in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens christiana careat sepultura.... Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ille ipse non possit absolvere vel ligare.* (To. 11. Conc. p. 172. E.)

Tota hujusce Decreti difficultas, quæ tot dissidiis ac contentionibus sæculares inter & regulares Sacerdotes occasionem dedit, versatur circa explicationem istorum verborum *proprio Sacerdoti*: quis nempè intelligendus sit eo in Canone proprius Sacerdos.

*Quis*

*Quis sit in mente Concilii Lateranensis, proprius Sacerdos. Aperitur quæstionis status, ac variæ recensentur opiniones.*

Sacerdos proprius dici potest, quatenus opponitur aut alieno, aut communi. Sacerdos proprius, quatenus opponitur alieno, ille est qui ordinariam & immediatam habet auctoritatem in plebem sibi subjectam; talis est Summus Pontifex in toto Orbe christiano, Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia: ex opposito, Sacerdos alienus ille dicitur, qui nullam vi sui status auctoritatem habet ad regendam plebem christianam; tales sunt regulares & sæculares Sacerdotes qui nulli Ecclesiæ titulo Beneficii pastoralis astricti sunt. Sacerdos proprius quasi innatam habet & ordinationi suæ vel titulo pastorali annexam auctoritatem regendi Fideles; Sacerdos verò alienus delegatam dumtaxat & ex commissione.

Sacerdos proprius, prout communi opponitur, ille est, qui usu & praxi quotidiana sibi subditis Fidelibus Sacramenta dispensat: talis est Parochus quilibet in sua Parochia. Hoc sensu Sacerdos communis ille est ac dicitur, cui generalis & communis Fidelium cura incumbit; nec solet usu communi & ordinario Sacramenta ipsis dispensare, qualis est S. Pontifex in tota Ecclesia, & Episcopus quilibet in sua Diœcesi: quamquam enim jure sibi proprio, & auctoritate à Christo accepta potestatem habeant excipiendi Fidelium confessiones, & Sacramentum Pœnitentiæ ipsis administrandi, gravioribus tamen curis occupati, inferioribus Parochis dispensationem hanc relinquunt.

Quæstionis ergo status est, quo sensu debeat intelligi in Canone Lateranensi, *proprius Sacerdos*, cui semel in anno confitenda esse peccata decernit: an proprius, per oppositionem ad alienum; ita ut excludantur tantùm ii qui nullam habent auctoritatem sive delegatam à Superiori excipiendi Fidelium confessiones: an verò proprius per oppositionem ad communem; ita ut ad solum Parochum, & eos quos ipse advocat, pertineat jus & auctoritas audiendi confessionem illam paschalem, & ita excludantur S. Pontifex, Episcopi, & illi omnes quibus hac in parte vices suas committere voluerint; adeò certè ut præcepto Ecclesiastico confessionis annuæ non satisfaceret, qui vel S. Pontifici, vel Episcopo suo, aut Pœnitentiario ab illo designato sua confiteretur peccata. Hinc & inde graves angustiæ.

Si enim dixeris, eo in Canone proprium Sacerdotem opponi communi, læsa videntur jura S. Pontificis & Episcoporum, qui procul dubio Superiores sunt Parochis, quique à Christo acceperunt, vi Ordinationis suæ, potestatem dimittendi peccata. Si verò dixeris opponi alieno, & eos dumtaxat excludi qui nullam habent sive ordinariam sive delegatam auctoritatem, inutilis prorsus & illusorius videbitur Canon ille Lateranensis, ac planè otiosæ & gratis fictæ tot rixæ ac dissensiones illius occasione identidem excitatæ: nihil quippè novi, de quo omnes inter se non consentiant, decrevit; persuasum siquidem semper fuit, idoneos non esse ad excipienda Fidelium peccata Sacerdotes, qui nullam habent aut propriam, aut saltem delegatam auctoritatem.

Difficultatem augent non parum, variæ ac discrepantes diversis temporibus SS. Pontificum Constitutiones, quibus vel concedunt vel denegant Regula-

gularibus facultatem excipiendi Fidelium confessiones, quarum Constitutionum seriem historicam legere poteris apud Launojum, in Dissertatione circa Canonem, *Omnis utriusque sexus*. Præsentem difficultatem non attigit nec dissolvit Concilium Tridentinum, quamquam Fesulanus Episcopus vehementi Oratione insurrexisset in privilegia Regularium pro excipiendis Fidelium confessionibus, sicut narrat Pallavicinus L.7. Hist. Concilii Tridentini cap.4. Sessione etenim 14. c. 5. hoc unum asserit, *Concilium nempè Lateranense non statuisse ut Christi Fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum divinum confessionis adimpleretur*. Canone verò 8. ejusdem Sessionis, anathemate damnat eos qui negant *Fideles utriusque sexus, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno teneri confiteri peccata*, nulla injecta proprii Sacerdotis mentione.

To.1.p. 639.n. 12. To.14. Conc p. 819.B. Ibib. p. 824.E.

Circa præsentem controversiam duæ sunt extremæ sententiæ, æquè vitiosæ ac declinandæ.

Prima eorum est, qui per proprium Sacerdotem in Canone Lateranensi ita strictè & rigorosè intelligi volunt Parochum, ut excludantur & S. Pontifex, & Episcopi, qui non tantùm aliis non possunt delegare facultatem excipiendi paschalem confessionem, sed nec ipsi, contradicente vel invito Sacerdote Parochiali, eam per se exercere valeant, *cùm non sint proprii Sacerdotes, nisi quoad Sacramenta Confirmationis & Ordinis, & quoad casus quos sibi reservant; jus verò omne administrandi Sacramentum Pœnitentiæ ad solos Parochos pertineat*. Verba sunt Auctoris Libri cujusdam anonymi contra auctoritatem Episcoporum, quem Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1655. censura sua confixit.

Ita jam pridem docuerant nonnulli Doctores Parisienses cum Guillelmo de sancto Amore, quorum ista propositio, *Regulares de licentia vel commissione R. Pontificis, seu Diœcesanorum Episcoporum, prædicationis exercere officium & confessiones audire non valent*, damnata fuit ab Alexandro IV. S. Pontifice an.1255. Et anno sequenti, misit idem S.Pontifex ad Parisiensem Episcopum indiculum aliquarum propositionum, quas Odo Duacenus Parisiensis Theologus, & Christianus Bellovacensis Canonicus Lutetiæ palam pronuntiare deberent, quas inter hæc erat, *Quòd Pontifex, Archiepiscopi, & Episcopi in suis Diœcesibus possent dare Regularibus licentiam prædicandi & confessiones audiendi, etiam sine consensu inferiorum Sacerdotum; vel Rectorum Ecclesiarum, cùm viderint expedire*.

Jam anno 1252. dubium istud moverant nonnulli, de quo consulta est sacra Facultas Parisiensis, nempè, *utrum, Sacerdote Parochiali contradicente vel invito, parochianus ejus Domino Papæ seu Pœnitentiariis suis, vel Episcopo aut Pœnitentiariis ipsius cùm voluerit, peccata sua universaliter valeat confiteri*.

Ita pariter censuit Joannes de Poliaco Theologus Parisiensis: *Stante edicto, Omnis utriusque sexus in Concilio generali*, inquiebat ille, *non potest R. Pontifex facere quòd parochiani non teneantur peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, qui est Parochialis Curatus; imò nec Deus hoc potest facere, quia implicat contradictionem*. Quam propositionem damnavit an.1321. Joannes XXII. S. Pontifex, & ipse de Poliaco tandem revocavit.

Sunt

Sunt inter defensores hujus primæ sententiæ, qui existimant posse quidem S.Pontificem, pro plenitudine suæ potestatis, dispensare à Canone Lateranensi, & dare, cui voluerit, facultatem excipiendi annuam Fidelium confessionem: Episcopos verò id non posse, cùm ad eos non pertineat dispensare à lege lata per Concilium generale; unde licentiam à proprio & inferiori Parocho postulare eos debere existimant, ut validè confessiones suorum Diœcesanorum excipiant. Sententiam hanc refert Richardus de media villa in 4. dist. 17. q. 11. Alii verò, hoc nixi fundamento, tam S.Pontificem quàm Episcopos adstrictos esse legibus Conciliorum generalium, existimant penes eos non esse dispensare à Canone Lateranensi; adeoque non posse illos sine licentia proprii Parochi, paschalem excipere Fidelium confessionem. Eò tendere videtur Launojus, in sua Dissertatione de Canone, *Omnis utriusque sexus*.

Secunda sententia, priori opposita & extrema, eorum est qui asserunt 1. Regulares jure sibi proprio & quasi innato proprios esse Sacerdotes, imò & magis proprios quàm sint ipsi Parochi. Ita censuit Frater Joannes Gorellus Minor, cujus doctrinam notavit sacra Facultas Parisiensis anno 1408. & Frater Claudius Cusinus Prædicator, quem eadem Facultas an. 1516. repressit. 2. Regulares qui sua habent à SS. Pontificibus privilegia, posse fidelium confessiones quolibet anni tempore excipere, etiam non obtenta licentia & approbatione Episcoporum. Ita propugnarunt nonnulli Regulares Andegavenses, quos & Alexander VII. anno 1659. & Episcopi Gallicani in Comitiis generalibus an. 1656. gravi censura confixere: certum enim est omnia Regularium privilegia ad terminos & limites Concilii Tridentiui revocata jam esse, ut dicemus Qu. 10. Art. 3. hujus Tractatus, cùm de approbatione Episcoporum necessaria Sacerdotibus ad excipiendas Fidelium confessiones disputabimus.

Tertia itaque sententia, inter extremas quasi media, eorum est qui putant 1. Concilium Lateranense usu communi ac recepto per proprium Sacerdotem intellexisse Parochum, qui solet ex officio Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta suis parochianis dispensare. 2. noluisse Concilium quidquam derogare juribus S.Pontificis & Episcoporum, quos sub appellatione etiam proprii Sacerdotis contineri quoque non ignorabat; quique possunt, vel per se ipsos, vel per delegatos, suorum Fidelium confessiones excipere.

Hujus tertiæ sententiæ defensores hæc tanquam certa & explorata habent.

I. Parochum usu communi ac recepto proprium appellari Sacerdotem.

II. Parochos, quamquam juris sint divini, inferiores esse Episcopis.

III. S. Pontificem & Episcopos vero & proprio sensu dici & esse proprios Sacerdotes, qui habent à Christo immediatam ligandi & solvendi auctoritatem: proprii enim Sacerdotis officium in proprii Episcopi dignitate continetur, ait Clerus Gallicanus in Epistola encyclica scripta anno 1655. die 25. Aprilis.

IV. Posse & S.Pontificem & Episcopos, pro jure suo, quibus voluerint idoneis Sacerdotibus, sive regularibus sive sæcularibus, dare facultatem excipiendi Fidelium confessiones.

V. Eas SS. Pontificum Constitutiones, quibus indulgent Regularibus facultatem audiendi confessiones, etiam sine licentia & approbatione Episcoporum, quales editæ sunt ab Alexandro IV. anno 1256. Clemente IV. an. 1265.

Bonifacio VIII. an. 1295. Benedicto XI. an. 1304. &c. jam per Concilium Tridentinum abrogatas & revocatas esse; neque posse amplius in quæstionem & controversiam adduci, an necessaria sit Regularibus Episcoporum approbatio, ut validè audire possint Fidelium confessiones: illam enim omninò necessariam esse, ac posse Episcopos eam vel concedere, vel denegare, vel ad tempus limitare, nemo jam non fatetur.

VI. Privilegia, quibus SS. Pontifices concedunt Regularibus facultatem indefinitam & nullo restrictam tempore excipiendi confessiones, vim & effectum suum sortiri, si accedat Episcoporum approbatio, quæ si indefinita pariter fuerit, nec limitata, confessio paschalis his Regularibus facta licita erit, atque ex illa parte valida. Sicut enim nulla foret, si Episcopus exciperet tempus Paschale; ita valida censeri debet, si tempus illud non excipiat: dubitari etenim non potest, ut jam dictum est, quin Episcopi jus habeant limitandi ad certum tempus approbationem suam, & excipiendi tempus ipsum Paschale, si voluerint: jus illud apud nos certum & inconcussum est. Utrum verò expediat Episcopos hoc suo jure uti, & in approbatione Regularium excipere tempus Paschale, res est prudentiæ, œconomiæ & charitatis, cujus leges ipsis præscribere nostrum non est, à quibus debemus eas accipere: norunt illi, multa esse licita, quæ non expediunt; sibique à Christo Domino datam auctoritatem, non in destructionem, sed in ædificationem.

VII. Jura Parochorum servanda esse, atque eorum consensum rogandum ab iis qui alieno Sacerdoti confiteri voluerint, juxta præscriptum Lateranensis: atque ut unicuique quod suum est reddatur, & qua fieri potest faciliori & tutiori ratione componatur vetus istud diffidium inter Parochos, Episcopos, & Regulares pro confessione paschali, optimum istud perpetuæ concordiæ vinculum futurum nobis videtur, si Episcopi ex una parte in Litteris suis approbationis clausulam istam semper inserant, *de consensu Parochorum*; & Parochi ex altera, quasi ex publico quodam condicto, eo ipso consensum suum dedisse censeantur Regularibus ad excipiendam paschalem suorum parochianorum confessionem, quo approbati illi sunt sine ulla limitatione ab Episcopis. Ita suum unicuique jus servabitur, sedabuntur conscientiarum scrupuli, lites evanescent & pax Christi vincet in cordibus omnium.

VIII. Denique, eas SS. Pontificum Constitutiones quæ à facultate, quam conferunt Regularibus, audiendi confessiones, excipiunt tempus Paschale, quales sunt Innocentii IV. an. 1250. Martini IV. an. 1281. Benedicti XI. an. 1304. Sixti IV. an. 1478. Innocentii VIII. an. 1490. nullum inferre præjudicium auctoritati aliorum SS. Pontificum, in concedenda Regularibus licentia audiendi paschalem confessionem, accedente Episcoporum approbatione. Ita Joannes XXII. an. 1321. Alexander V. an. 1409. Leo X. an. 1516. Clemens VIII. an. 1592. Innocentius X. an. 1649. Alexander VII. an. 1659. Clemens IX. an. 1670. quorum Constitutiones cum aliis mox dictis conciliari possunt. Dici quippè non immeritò potest, priores Constitutiones attendisse dumtaxat ad usum ordinarium & communem; & per *proprium Sacerdotem* intellexisse Parochum, qui ex usu & praxi quotidiana Sacramentum Pœnitentiæ dispensat, salvo tamen jure S. Pontificis & Episcoporum: posteriores verò attendisse ad illud jus S. Pontificis & Episcoporum.

His ita præmissis, sit

CON-

## CONCLUSIO.

Proprius Sacerdos in Canone *Omnis utriusque sexus*, est Parochus, salvo tamen jure S. Pontificis & Episcoporum.

Probatur prima pars.

I. Quia eodem sensu usurpatur proprius Sacerdos Can. 21. quo Canone 32. at in hoc postremo Canone proprius Sacerdos est ipse Parochus. Postquam enim Patres cuilibet Parochiali Presbytero assignandam esse decreverunt sufficientem ex Ecclesiæ proventibus portionem, sic addunt: *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem, de proventibus Ecclesiæ, quæ curam proprii Sacerdotis debet habere, pensionem alii quasi pro beneficio conferre præsumat.* Nemo non intelligit proprium eò loci Sacerdotem esse ipsum Parochum, cujus est usu & praxi communi dispensare parochianis suis Sacramenta, cui eam ob causam decimas solvere illi tenentur. To. 11. Conc.p. 124.D.

Probatur 2. ex duplici causa quæ locum & occasionem dedisse videtur Canoni Lateranensi.

Prima videtur fuisse abusus avaritia nonnullorum Parochorum invectus. Cùm enim Fideles solerent iis Parochis decimas solvere, à quibus Sacramenta tempore Paschali percepissent, nonnulli Parochi extra limites suæ Parochiæ excurrentes, alienos parochianos, lucri desiderio ad se pertractos, ad paschalem communionem admittebant: inde rixæ ac discordiæ circa decimas, quas ab iisdem Fidelibus varii Parochi exigebant. Abusum hunc jam compresserat anno 797. Theodulphus Aurelianensis Episcopus in suo Capitulari cap. 14. *Nullus Presbyter*, inquit, *Fidelibus de alterius Presbyteri Parochia persuadeat, ut ad suam Ecclesiam concurrat, relicta propria Ecclesia, & suas decimas sibi dent.* Eandem disciplinam promovent Capitularia Regum nostrorum L. 7. c. 48. & 68. Abusus ille multùm invaluerat in Hispania, quem Concilium Palentinum an. 1322. Can. 10. repressit, urgente Guillelmo Sabinensi Episcopo Cardinali Sedis Apostolicæ in Hispaniæ Legato: verba Canonis lege Tomo 11. Conc. pag. 1692. Ut igitur Ecclesia huic incommodo & abusui occurreret, Parochias in certos limites distribui curavit; atque voluit ut parochiani suo proprio Sacerdoti, hoc est Parocho, sua semel in anno confiteantur peccata, & Eucharistiam ab eo percipiant, cui decimas ex jure solvere tenentur; consequenter prohibuit ne unus Parochus involaret in jura alterius, & prætergressis Ecclesiæ suæ limitibus, aliorum oves & decimas ad se pertraheret. Quis autem non videt, proprium Sacerdotem his in locis non alium esse quàm Parochum? Unde Canon 10. citatus Concilii Palentini hunc habet præfixum titulum, *De Parochiis*; & Canon sequens, *De Decimis*. Tom. 7. Conc p. 1139. D. E. Palencia in Castella vetere.

Secunda causa seu occasio Decreti Lateranensis videtur ea fuisse, quam refert Abbas Urspergensis in Chronico pag. 343. nempè temeritas nonnullorum Regularium, quorum ea ætate multiplex institutus Ordo est. Inter eos erant *Humiliati* dicti, *qui*, ait Abbas Urspergensis, *nulla habita auctoritate aut licentia Prælatorum, mittentes falcem in messem alienam, populis prædicabant, & vitam eorum plerumque regere satagebant, & confessiones au-*

N 2. *dire*,

*dire, & ministeriis Sacerdotum derogare*. Huic igitur malo ut occurreret Synodus Lateranensis, mandavit Canone 21. ut unusquisque Fidelis semel in anno peccata sua deponat apud proprium Sacerdotem, aut alienum, de ejus licentia: proprius autem ille Sacerdos opponitur extraneo seu alieno, qui nullam habet animarum curam, nullam ab Episcopis acceptam licentiam & auctoritatem, quales erant illi Regulares dicti *Humiliati*, de quibus loquitur Abbas Urspergensis. Proprius autem Sacerdos hoc sensu, & juxta communem ac vulgatam significationem, est Parochus, quorum jura illi Regulares usurpabant; Canon ergo Lateranensis per proprium Sacerdotem, Parochum designat.

Æquissima verò hujusce Decreti ratio hæc videtur fuisse. 1. Quia Parochus est ordinarius Fidelium sibi subditorum Pastor, quibus Sacramenta dispensat. 2. Quia conjicere non sine fundamento aliquo possumus, Lateranensis Concilii ætate approbationem & jurisdictionem necessariam in ministro Sacramenti Pœnitentiæ; distinctam & quasi separatam fuisse; atque Episcopos approbasse quidem, quos judicabant idoneos excipiendis confessionibus, sed Parochis curam demandasse, ut quibus vellent, inter approbatos, jurisdictionem conferrent. Cùm verò certum sit, validam non esse nec confessionem, nec absolutionem, nisi præsupponat in Sacerdote jurisdictionem, hinc meritò statuit Canon Lateranensis, ut quilibet Fidelis sua semel in anno confiteatur peccata proprio suo Sacerdoti, aut alieno de ejus licentia. Ratio quam statim Synodus adjungit, conjecturam nostram confirmat, *Cùm aliter*, inquit, *ille ipse non possit absolvere*; nempè defectu jurisdictionis, quam ipsi Parochi tum conferebant, cura hac illis ab Episcopis commissa. Quæ particularia Concilia Lateranensem Canonem renovarunt, & de verbo ad verbum exscripserunt, (plurima autem sunt) totidem videntur esse nostræ conjecturæ præsidia & firmamenta: imprimìs Concilium Arelatense anni 1275. Can. 21. ubi expressè sic jubet: *Quoniam Parochialibus Presbyteris curam animarum habentibus specialiter & præcipuè cura commissa est animarum; statuimus inhibentes, quòd infirmantium confessiones, nonnisi per ipsos Parochiales Presbyteros, si haberi potuerint, vel per alios Presbyteros sæculares vel religiosos, de ipsorum licentia audiantur: quam licentiam dari volumus & præcipimus ab eisdem liberaliter & libenter, cùm fuerint requisiti.* Licentia hæc tunc temporis erat ipsamet jurisdictio, sine qua validè non administratur Sacramentum Pœnitentiæ. Verùm subinde immutata fuit Disciplina, & Episcopi simul cum approbatione jurisdictionem concesserunt, quam immutationem ratam habuit & confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 15. de reformatione. *Quamvis*, inquit, *Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus*. Nulla eo in Decreto mentio fit licentiæ necessariò ab inferioribus Parochis obtinendæ. Quid ita? quia jam Episcopi, non verò Parochi, (sicut ætate Concilii Lateranensis) jurisdictionem conferunt. Unde Patres Gallicani in encyclica

To. 11. Conc p. 2374. D

To. 14. Conc. p. 869. E.

clica Epistola an.1655. observant, formulam illam, *de consensu Parochorum*, quam apponere solent in Litteris approbationis Sacerdotum quos deputant audiendis confessionibus, planè necessariam non esse, sed liberam ex quodam Episcoporum *condescensu*: consensus ergo Parochi subditos quidem hic & nunc assignat, in quos Sacerdos jurisdictionem exercere possit in tribunali Pœnitentiæ; at jurisdictionem ipsam non confert, quæ per approbationem Episcopi collata censetur.

Probatur 3. ex SS. Pontificibus, qui in executionem Canonis Lateranensis decernunt unumquemque Fidelem proprio suo Parocho semel in anno debere confiteri, prohibentque Regularibus, ne doceant, eos ad id non teneri. Ita Innocentius IV. Constitutione data Neapoli an.1250. Martinus IV. an.1281. Constitutione quæ incipit, *Ad uberes*. *Volumus*, inquit, *ut qui Fratribus confitebuntur, suis Presbyteris Parochialibus confiteri saltem semel in anno, prout generale Concilium statuit, teneantur*. Benedictus XI. an.1304. in Extravaganti quæ incipit, *Inter cunctas*. Sixtus IV. an.1478. Constitutione quæ incipit, *Vice illius*. Innocentius VIII. an. 1490. scribens ad Officialem Tornacensem, occasione concionis habitæ à Fratre Angely Minorita, mandat *ne Mendicantes de cætero parochianos à confitendo eorum peccata Rectoribus Parochialibus abstrahere, & eosdem ad id non teneri prædicare præsumant*.

Probatur 4. Decretis multorum Conciliorum particularium, quibus confirmatur & executioni mandatur Canon Lateranensis, atque Parochus designatur velut proprius Sacerdos, de quo Concilium. Ita Synodus Tolosana an.1228. Can.13. Biterrensis an.1256. Can. 46. Arelatensis an. 1260. Can.16. Senonensis an.1269. Can.4. Arelatensis an. 1275. Can.19. 20. & 21. Coloniensis an.1280. cap.8. Rothomagensis an.1299. Can.6. Lingonensis an. 1452. Narbonensis an.1551. Can.50. Cameracensis eodem anno, Mediolanensis sub S.Carolo an.1565. parte 2. titulo 6. Remensis an. 1583. cap. de Pœnitentia. Aquensis an.1585. Burdigalensis an.1624. Can.3.

His adde omnes ferè Rituales Libros; adde & Comitia generalia Cleri Gallicani annis 1579. 1625. 1635. 1645. & 1656.

Adde denique Judicium sacræ Facultatis Parisiensis; quæ anno 1482. istam Fratris Angely propositionem damnavit, scilicet, *Parochianus non tenetur confiteri proprio suo Curato semel in anno, nec ab eo petere licentiam*. *Hæc propositio, ut jacet*, ait Censura, *est scandalosa, & juri communi contraria; & pro subditorum ad Prælatos debitæ obedientiæ & reverentiæ observantia, publicè revocanda*.

His omnibus testimoniis abundè demonstratur, proprium Sacerdotem, in mente Concilii Lateranensis, esse Parochum, cui jure communi tenentur Fideles semel saltem in anno sua confiteri peccata. Proprius igitur Sacerdos, citato in Canone, opponitur alieno, salvo remanente S.Pontificis & Episcoporum jure, quos Canon Lateranensis exclusos noluit, quæ secunda pars Conclusionis est probanda.

Probatur itaque secunda pars.

I. Ex verbis ipsis citati Canonis 21. *Si quis autem*, ait Canon, *alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ille ipse solvere non possit vel ligare.*

Proprium Sacerdotem Canon opponit alieno, qui non potest, nisi de licentia ipsius, solvere vel ligare: at nemo dixerit, & S. Pontificem in tota Ecclesia, & Episcopos in suis Diœcesibus alienos esse Sacerdotes, qui licentiam petere & obtinere debeant ab inferioribus Parochis, ut validè Pœnitentię Sacramentum administrent: habent enim hanc auctoritatem à Christo ipso derivatam; & virtute Ordinationis suæ ac dignitatis, eminentiori ratione continent quidquid est in inferioribus Sacerdotibus auctoritatis & potestatis. Possunt ergo, vel per se ipsos, vel per alios à se delegatos, excipere annuam Fidelium confessionem; & Canoni Lateranensi haud dubiè satisfaciunt, qui vel S. Pontifici, vel Episcopo suo aut ejus Pœnitentiario, aut cuilibet approbato sine restrictione Sacerdoti confitentur. Nec dicas, Canonem Lateranensem de proprio dumtaxat loqui Sacerdote, quem diximus esse Parochum. Ita certè est: at excludi-ne voluit S. Pontificem & Episcopos? minimè. Proprius enim Sacerdos, juxta verba Canonis, opponitur alieno: at nec S. Pontifex, nec Episcopi dici possunt Sacerdotes alieni. Et verò pari ratione probaretur, nec S. Pontificem, nec Episcopos administrare posse Sacramentum Unctionis extremæ, quia nempè S. Jacobus Presbyterorum dumtaxat meminit, cùm de ministris hujus Sacramenti loquitur: at nemo sanus id dixerit. Idcircò enim sanctus Jacobus Presbyteros dumtaxat appellavit, non quòd exclusos voluerit supremos Pastores, sed quòd ex usu soleant Presbyteri Sacramentum illud administrare, Episcopis, aliis & quidem gravioribus curis detentis & occupatis.

Ita ratiocinatur Innocentius I. in Epistola ad Decentium Eugubinum cujus ratiocinium præsenti causæ nostræ facile est accommodare. Igitur solum Parochum proprium Sacerdotem appellavit Canon Lateranensis, tùm quia ex usu & praxi communi solet confessiones suorum audire; tùm quia, juxta disciplinam tunc temporis receptam, Parochus jurisdictionem dabat iis qui fuerant ab Episcopis approbati: at non idcircò excludere voluit aut S. Pontificem aut Episcopos, quorum jura illæsa conservavit. Neque enim verisimile videtur, voluisse Innocentium III. & Episcopos in Concilio Lateranensi sedentes, spoliare se jure & potestate sibi innata & à Christo Domino concessa: præsertim cùm, ut diximus suprà, immutata fuerit disciplina per Concilium Tridentinum, atque jam Episcopi simul cum approbatione jurisdictionem conferant; ex quo sequitur, jam validè confiteri Fideles cuicumque Sacerdoti ab Episcopo sine ulla restrictione temporis approbato.

Tom. 2. Conc. p. 1248.

Confirmatur: quia hoc in ipso Concilio Can. 10. jus suum & auctoritatem exercent Episcopi, cùm statuunt, *tam in Cathedralibus, quàm in aliis Conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores & cooperatores habere, non solùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confessionibus, ac pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum.* Igitur jus illud suum agnoverunt & asseruerunt sibi Episcopi, vel in ipso Lateranensi Concilio. Quin, referente S. Antonino, in Chronico parte 3. ad annum Christi 1215. in eodem Concilio data est facultas Episcopis & aliis Prælatis inferioribus, *ut præter Superioris licentiam sibi deligere possint Confessorem.*

To. 11. Conc. p. 164. A.

Idem jus suum demonstrarunt Episcopi, cùm instituerunt in Urbibus & Oppidis, singulisque Archidiaconatibus Confessarios quibus ipsi Parochi, Deca-

Decani rurales, & cæteri Presbyteri peccata sua confiteri possent. Constat istud multis veteribus monumentis, quæ indicasse sufficiet. Ita Statuta Ecclesiæ Metensis, octavo sæculo; Oxoniense Concilium à Stephano Cantuariensi Archiepiscopo celebratum an. 1222. Can. 18. antiqua Statuta Petri de Collemedio Archiepiscopi Rothomagensis an. 1236. Londinense Concilium an. 1237. Can. 5. & Wigorniense an. 1240. Can. 17. Pictaviense an. 1280. cap. 4. Cantuariense an. 1282. Oxoniense an. 1287. cap. 5. Bajocense an. 1300. Guillelmus Parisiensis in additionibus ad Constitutiones Galonis cap. 6. & 7.

Probatur 2. auctoritate SS. Pontificum, qui variis Constitutionibus Regularibus potestatem fecerunt audiendi etiam annuam Fidelium confessionem, circa quas Constitutiones duo sunt generatim observanda.

I. Eas omnes quæ Regularibus indulgent facultatem audiendi confessionem annuam, etiam non petita nec obtenta Episcoporum licentia & approbatione, revocatas & abrogatas esse, ut jam diximus, à Concilio Tridentino.

II. Eas quoque quæ continent clausulam aliquam juribus Episcoporum, aut Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis adversam, vim legis apud nos non obtinere. His duobus in tuto positis, certum est SS. Pontifices, concedendo Regularibus facultatem excipiendi annuam Fidelium confessionem, judicasse nomine *proprii Sacerdotis* in Canone Lateranensi, non excludi nec S. Pontificem nec Episcopos, quibus, aut aliis ab ipsis sine ulla limitatione approbatis, si quis sua deposuerit peccata tempore Paschali, haud dubiè præcepto Lateranensi satisfaciet. Ita porrò Joannes XXII. qui Constitutione data an. 1321. quæ incipit, *Vas electionis*, damnavit inter alias hanc Joannis de Poliaco propositionem, *Stante edicto, Omnis utriusque sexus in Concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere quòd parochiani non teneantur peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri*.

Alexander V. an. 1409. mox dictam Joannis XXII. Constitutionem confirmavit, damnatis aliis nonnullis ejusdem argumenti propositionibus. Verùm ejus Constitutio dissidii ac turbarum plurimùm excitavit in Academia Parisiensi, à qua selectus est Gersonius, qui publicam adversùs Mendicantes concionem haberet. Observat autem Launojus, Gersonis concionem in causa fuisse cur Alexandri Bulla nec in Tomis Conciliorum, nec in ipso Romano Bullario locum habuerit. (Hanc integram refert Bullæus in Historia Universitatis Parisiensis sæculo septimo Tom. 5. pag. 196.) Observat alia ex parte Joannes Major in 4. dist. 17. q. 7. in Conciliis Constantiensi & Basileensi petitam, nec obtentam illius Bullæ revocationem, cujus occasioni vexati plurimùm & exagitati fuere in Academia Parisiensi Franciscani.

Leo X. an. 1516. in Constitutione quæ incipit, *Dudum intra mentis arcana*, quæ in Concilio Lateranensi V. Sess. 11. lecta fuit & approbata, octo dumtaxat contradicentibus Episcopis, de Regularibus & confessione Paschali apud eos facta sic statuit: *Possint illi per eodem Episcopos & Prælatos super sufficienti litteratura & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari; talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis, confitentes, Constitutioni, quæ incipit, Omnis utriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur*. Observa clausulam istam, *vel etiam indebitè recusatis*, vim & locum apud nos non habere: quibus enim recusant To. 14. Conc. p. 316. C.

Episcopi (quamquam, si velis, indebitè) suam approbationem, ii non approbantur; qui verò non approbati sunt, ii non possunt validè confessiones excipere; neque tenentur Episcopi recusatæ approbationis reddere rationem. Nemo autem non intelligit, quàm multis dissidiis & incommodis viam aperiret ejusmodi clausula, si obtineret: quoquot enim repulsam paterentur, obtendere semper possent se indebitè recusatos. Adde quòd Concilium illud Lateranense V. apud nos Concilii Oecumenici vim & auctoritatem non habet.

Clemens VIII. an. 1592. occasione discordiæ inter Parochos Cameracenses & Atrebatenses ex una parte, & Regulares ex altera, sic statuit: *Præsenti Decreto sancimus, licere sæcularibus Christi Fidelibus universis liberè Missas audire &c. & tam dictis Fratribus & Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali & Paschali, & quovis alio tempore, confiteri licitè posse; dummodò tamen iidem sæculares Christi Fideles Sacramentum Eucharistiæ die festo Paschalis Resurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho sumant.*

Innocentius X. an. 1645. orta inter Henricum Burdigalensem Archiepiscopum & Regulares controversia circa confessionem Paschalem, confirmavit Decretum sacræ Congregationis Interpretum, quo statuitur *prædictum Archiepiscopum non posse prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, quin à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè administrare valeant sæcularibus personis Sacramentum confessionis.*

Intellexerunt Episcopi, hocce Edicto violari aliquatenus, ac coarctari plurimùm jura sua, quasi non possent Regularibus aut denegare suam approbationem, aut datam revocare, aut ad certum tempus restringere: quapropter Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus congregatus anno 1645. adversùs istud Decretum reclamavit, & scripsit die 16. Decembris ejusdem anni ad Innocentium X. S. Pontificem.

Alexander VII. an. 1659. approbans censuram latam ab Inquisitione Romana, nonnullarum propositionum quas Regulares Andegavenses propugnaverant, inter quas hæc erat n. quarta: *Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei; divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ in Catechesibus annuntiantur & docentur*: hujus, inquam, propositionis censuram ab Inquisitione Romana latam approbans S. Pontifex, istam nihilominus clausulam & conditionem apponit, nempè, *Quoad primam, & secundam partem*, inquit, *simpliciter accepta, est erronea, & temeraria; suppositis verò privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem, de auditione verbi Dei, servetur dispositio sacri Concilii Tridentini.* Supponit S. Pontifex, posse Regulares, si habeant privilegia Apostolica, excipere Paschalem Fidelium confessionem, qua certè clausula & exceptione videtur mitigasse censuram ejusdem propositionis, quam Clerus Gallicanus tulerat an. 1656. hanc enim ut & alias quinque generatim & in globo respectivè damnat, *tanquam temerarias, scandalosas, falsas, erroneas, in hæresim & schisma inducentes.*

Denique Clemens X. an. 1670. Constitutione quæ incipit, *Superna*, data un-

undecimo Kalendas Junii, declarat *Regulares simpliciter ab Ordinariis approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia: de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere, & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam; & eos qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni quæ incipit, Omnis utriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censendos.* Dissimulare non debemus, ad postulationem Cleri Gallicani Senatus Consulto cautum esse, ne quis Decretum istud Clementis X. imprimeret, venderet aut distribueret: revera enim nonnulla continere videtur Episcoporum juribus, & privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ contraria. Bullar. Ro. T. 6. p. 333. col. 2.

Probatur 3. auctoritate aliquarum Synodorum particularium, quæ proprium Sacerdotem sic intelligunt in Canone Lateranensi, ut nec S. Pontificem, nec Episcopos, & ab ipsis delegatos excludant.

Claromontana Synodus ann. 1263. *Proprium autem Sacerdotem*, inquit, *dicimus duobus modis: ex officio, utpote Papam, Episcopum & Curatos. Vel ex commissione, sicut fratres Prædicatores & Minores, quibus Episcopus commiserit vices suas.*

Lingonensis ann. 1452. *Volumus, quòd in fine publicationis Constitutionis prædictæ* ( nempe Canonis Lateranensis ) *subinferatur & publicè, quòd per hoc non intendimus præjudicare privilegiis super audiendis confessionibus eisdem fratribus concessis, subjungendo quòd fratres nobis præsentati possunt audire confessiones liberè, & confitentibus eisdem pœnitentias salutares impertiri de commissis. Item ne remaneat aliqua hæsitatio, quis proprius dicatur Sacerdos, declaramus, prout Doctores & Jura declarant, quòd proprius Sacerdos est Papa, ejus Legatus, Episcopus, & Penitentiarius Diœcesanus, & ejus Vicarius generalis; & ille cui cura Parochialis Ecclesiæ commissa est, sive Rector, sive Vicarius.*

Atrebatensis ann. 1490. titulo de Sacramento Penit. ubi postquam promulgavit Canonem Lateranensem, sic addit: *Per hoc tamen præjudicare non intendimus illis, quibus à Sede Apostolica est indultum, quòd confessiones audiant, vel audire valeant sibi confiteri volentium, quo minus ea potestate uti valeant non obstante hujusmodi propositione, secundùm quòd antea de jure poterant vel valebant.*

Tolosana an. 1530. *Injungimus omnibus confiteri volentibus, ut proprio Sacerdoti confiteantur. Proprium Sacerdotem dicimus S. Pontificem, Episcopum, & generaliter omnes alios Sacerdotes à prædictis legitimè approbatos.*

Rothomagensis ann. 1581. cap. 37. *Nullus Sacerdos*, inquit, *atque etiam Regularis, nequidem in suo Conventu, audeant, maximè per omne tempus Quadragesimæ & Octavas Paschæ, audire confessiones quorumcumque, & aliquem absolvere, nisi de licentia Episcopi expressa, atque etiam in scriptis habita.* Supponit igitur Synodus, posse Episcopum etiam tempore Paschali deputare Regulares ad excipiendas Fidelium confessiones. T. 15. Conc. p. 853. C.

Denique Synodus Trecensis ann. 1592. reprehendit Parochos qui sub pœna excommunicationis suis prohibebant, ne tempore Paschali Eucharistiam perci-

perciperent, nisi priùs sibi, vel potestatem à se habentibus confessi fuissent. *Quæ quidem inhibitio*, ait Synodus, *temeraria videtur, quia quàm plurimi Sacerdotes atque Religiosi habent potestatem à sancto Domino nostro Papa, & à Domino Episcopo Trecensi audiendi confessiones omnium sibi confiteri volentium.*

His accedit Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus congregatus ann. 1655. qui censura sua perstrinxit doctrinam Libri cujusdam anonymi his capitibus comprehensam. 1. *Fideles inter & suos Curatos mutua, jure divino, & quidem tam stricta intercedit obligatio, ut ab illis solis Sacramenta & verbum Dei postulare possint.* 2. *S. Pontifex & Episcopi proprii non sunt Sacerdotes, nisi quoad Sacramenta Confirmationis & Ordinis, & quoad casus quos sibi reservant.* 3. *Securum non est Regularibus confiteri.* 4. *Jus omne administrandi Sacramentum Pœnitentiæ in officio Parochi continetur.* 5. *Parochi jurisdictionem ordinariam inferiorem, quam habent ad absolvendum parochianos sibi confessos à peccatis, ex quo ab Episcopis instituti sunt, ab eisdem Episcopis non recipiunt, & eam nihilominus cum Presbyteris Parochiarum suarum communicant.* Adversùs doctrinam hanc insurrexit Clerus Gallicanus, atque encyclicam scripsit die 25. Aprilis ad cæteros Episcopos Epistolam, in qua ait 1. *Quòd etsi Fideles Curatis suis peccata confiteri debeant, hoc tamen Christianæ Religionis officio apud omnes Sacerdotes, etiam Regulares, fungi possint, modò sint ab Episcopis approbati.* 2. *Annuæ confessionis editum à Concilio Lateranensi præceptum implere, qui apud Regulares ab Episcopis approbatos, iisdem permittentibus, tempore Paschatis peccata deponunt.* 3. *Parochos esse proprios Sacerdotes, apud quos Concilium Lateranense annuam confessionem fieri jubet; sed proprii Sacerdotis officium in proprii Episcopi dignitate contineri.* 4. *Fideles, qui Paschalis communionis gratiâ confitentur, non solùm suis Episcopis, eorum Vicariis generalibus & Pœnitentiariis, verùm etiam quibuslibet Sacerdotibus sæcularibus vel regularibus ab Episcopis ad hanc functionem approbatis, ejusdem Concilii præceptum de annua confessione implere: additam clausulam istam, De consensu Parochorum, quam solent Episcopi apponere in Litteris approbationis eorum quos excipiendis suorum Diœcesanorum confessionibus deputant, ex condescensu, non ex necessitate apponi.*

N. Mem. du Cler. gè. To. 1. p. 673. & suiv.

Quin & ipsi DD. Pastores Parisienses in sua publica Declaratione oblata Clero Gallicano anno 1656. die 27. Octobris, Syndico pro illis agente Domino Rousse Doctore Parisiensi è Societate Sorbonica, & Pastore S. Rochi, *agnoverunt Episcopos proprios esse Sacerdotes, qui jure divino & quidem superiori & immediato possunt Fidelibus verbum Dei annuntiare, Sacramenta administrare, & quibus voluerint ea administrandi facultatem concedere.*

Hanc denique doctrinam esse sacræ Facultatis Parisiensis, intelligimus ex duplici ejus Declaratione seu Judicio doctrinali, quorum primum editum est anno 1252. mense Januario occasione turbarum quas in Academia Parisiensi excitarunt ex una parte Regulares, ex altera Guillelmus à sancto Amore, tùm Libro quem scripserat *De periculis mundi*, tùm concionibus publicis, in quibus asseruerat non posse Regulares nec verbum Dei prædicare, nec Fidelium excipere confessiones: unde Regulares plurimùm offensi, apud Sedem Apostolicam & Episcopos criminabantur Theologos Parisienses, quasi reos violatæ & imminutæ auctoritatis S. Pontificis & Episcoporum. Isti igitur, ut se ab omni suspicione erroris purgarent, hocce Ju-

ce Judicium evulgarunt, *Omnibus præsentes Litteras inspecturis, M. Haimerius Cancellarius Parisiensis, cæterique sacræ Scripturæ Parisienses Doctores, quorum sigilla præsentibus Litteris sunt appensa, salutem in Domino. Universitati vestræ volumus esse notum, quòd consulti fuimus à quibusdam, utrum Sacerdote Parochiali contradicente vel invito, parochianus ejus Domino Papæ, seu Pœnitentiariis suis, vel suo Episcopo, aut Pœnitentiariis ipsius, cùm voluerint, peccata sua universaliter valeant confiteri, atque ab eisdem pœnitentiam pro commissis recipere salutarem. Cui consultationi respondentes diximus & dicimus in hoc unanimiter consentientes, prædicta licitè posse fieri & debere. Si qui autem dicant aut dixerint contrarium, quantùm in nobis est, reprobamus, erroneum reputantes. Actum anno Domini 1252. mense Januario.* Refertur hocce Decretum in Præfatione Operum Guillelmi de sancti Amore; atque ibidem dicitur excerptum è vetere Collegii Sorbonici Libro manuscripto, qui *Summa casus conscientiæ* inscribitur. Idem Decretum transtulit in suam Historiam Universitatis Parisiensis Bullæus ad quintum sæculum To. 3. p. 249. P. 70.

Alterum sacræ Facultatis doctrinale Judicium latum est occasione Sorbonicæ disputationis institutæ Joannis Lallerii, qui in Thesi sua scripserat, *confessos Religiosis Mendicantibus præsentatis & acceptatis, secundùm formam Decretalis,* Dudum, *non esse absolutos, & teneri eadem peccata confiteri Curato,* quam propositionem improbavit sacra Facultas ann. 1484. tertio Kalendas Augusti.

Ratio denique hujus secundæ partis est, quia ut validè excipiantur Fidelium confessiones, necessaria est præter Ordinis potestatem, jurisdictio: atqui jurisdictio per Episcopos simul cum approbatione jam confertur, non verò per Parochos, sicut ætate Concilii Lateranensis: unde tunc Parochorum consensus absolutè necessarius erat, sine quo jurisdictio necessaria collata non censebatur; nunc verò sufficit approbatio Episcopi, quæ jurisdictionem includit.

### *Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. Pugnare inter se videntur duæ Conclusionis nostræ partes, sicut & momenta quæ in probationem illarum adduximus: si enim proprius Sacerdos Parochus est, ut contendit prima pars Conclusionis, quomodo Canoni Lateranensi satisfaciunt qui Regularibus, quamquam ab Episcopo approbatis, sua confitentur peccata, etiam non petita nec impetrata proprii Parochi licentia? Deinde, ea tùm SS. Pontificum, tùm Episcoporum, & particularium Synodorum Statuta quibus decretum est, ut in executionem Canonis Lateranensis quilibet Fidelis saltem semel in anno sua proprio suo Parocho confiteatur peccata, apertè pugnant cum aliis benè multis privilegiis Regularium, quibus datur ipsis facultas excipiendi Fidelium annuam confessionem. Inter tot opposita Statuta necesse est ancipites hærere Fideles, incertos quam in partem se convertant; neque satis eos intelligere quibus stare potius debeant.

Resp. nego ant. & utramque ipsius probationem. Namque I. Cùm proprius Sacerdos, in mente Canonis Lateranensis, ita sit Parochus, ut tamen non excludantur aut S. Pontifex aut Episcopi, qui verè proprii sunt Sacerdotes;

( Sa-

(*Siquidem*, ajunt Episcopi Gallicani, *proprii Sacerdotis officium in proprii Episcopi dignitate continetur*) inde rectè sequitur, eos Canoni Lateranensi satisfacere, qui vel S. Pontifici, vel Episcopis, aut ab ipsis delegatis & approbatis sine ulla restrictione, sua confitentur peccata. Nihilominus tamen nomine proprii Sacerdotis Synodus usu communi & ordinario Parochos designare voluit; tùm quia, ut jam diximus, ex praxi, & usu quotidiano ipsis potissimùm incumbit cura dispensandi Fidelibus Sacramenta; tùm quia solebant tunc temporis Parochi jurisdictionem dare iis quos Episcopi approbaverant; tùm denique quia cùm non aliis Sacerdotibus Fideles decimas suas solverent, quàm iis à quibus tempore Paschatis Sacramenta percepissent, ad omnem confusionem atque dissensionem fugiendam, sapienter voluit Concilium, ut unusquisque Fidelis suo Parocho semel saltem in anno sua confiteretur peccata, aut alieno de ejus licentia.

II. Non pugnant invicem varia illa Statuta, tùm SS. Pontificum, tùm Episcoporum & Synodorum particularium circa præsens argumentum. Quæ enim proprium Sacerdotem interpretantur Parochum, & unumquemque Fidelem apud ipsum sua semel in anno confiteri peccata volunt, ad usum & praxim communem respiciunt: alia verò, quæ indulgent Regularibus facultatem excipiendi Paschalem confessionem, attendunt ad jus & auctoritatem tùm S. Pontificis, tùm Episcoporum, cui nihil omnino derogatum voluit Synodus Lateranensis. Si verò quæras quibus potissimùm Statutis adhærere debeat populus Fidelis, an iis, quæ concedunt, an iis quæ denegant Regularibus facultatem excipiendi annuam confessionem,

Resp. post receptum Concilii Tridentini Statutum Sess. 23. de reformatione cap. 15. huic quæstioni ut & antiquis dissidiis locum amplius non relinqui. Etenim vel approbati sunt Regulares ab Episcopo sine ulla limitatione temporis, vel cum limitatione temporis Paschalis: si prius, possunt audire confessiones tempore Paschali: si posterius, non possunt.

Pariter, vel ea conditione approbat Episcopus Regulares pro tempore Paschali, ut Fidelis teneatur licentiam & consensum proprii Parochi rogare, vel sine illa conditione: si prius, necesse est consensum hunc petere & obtinere; si posterius, necesse absolutè non videtur. Sequatur unusquisque usum & disciplinam Ecclesiæ in qua vivit: in pluribus enim, præsertim majoribus & numerosis urbibus, usus invaluisse videtur, ut non expressus, sed tacitus sufficiat Parochorum consensus.

Instabis 1. Si proprii Sacerdotis nomine intelligantur Episcopi & ab ipsis approbati, ita ut alieni dumtaxat excludantur, qui nec ordinariam nec delegatam habent auctoritatem, Canon Lateranensis planè otiosus & inutilis videbitur, quo nihil novi statutum fuit: quis enim ambigit unquam, necessariam esse auctoritatem ad validè excipiendas confessiones?

Resp. nego sequelam antecedentis. Occurrit enim sapienter Canon ille, & avaritiæ Parochorum, qui alienas oves ad se pertrahebant, ab ipsis decimas percepturi; & temeritati nonnullorum Regularium, qui non petita nec impetrata licentia, usurpabant Parochorum jura. Esto nihil novi statuat Canon: at saltem novum reprimit abusum.

Instabis 2. Parochi juris sunt divini; ergo non possunt Episcopi efficere ut sine eorum consensu valeat confessio apud Regulares facta tempore Paschali.

Resp.

Resp. dist. ant. juris sunt divini, inferioris & subordinati Episcopis, concedo: non inferioris nec subordinati, nego; & nego consequentiam. Episcopus enim proprius est in sua Diœcesi, & quidem excellentiori ratione Sacerdos, qui superiorem & immediatam habet à Christo ligandi atque solvendi auctoritatem, quique adeo continet in se quidquid potestatis & auctoritatis est in Parochis inferioribus.

Instabis 3. Quamquam Episcopi superiores sint Parochis, istorum tamen jura illæsa servare debent, nec contra generalis Concilii Statutum ea possunt infringere; ergo efficere non possunt ut valeat confessio facta Regularibus, non accedente expresso Parochorum consensu.

Resp. Episcopos non violare jura Parochorum, sed sua vindicare ac defendere, cùm Regularibus indulgent facultatem excipiendi annuam confessionem Fidelium: nihil enim potest Parochus quoad Sacramentorum dispensationem in sua Parochia, quod jure superiori non possit Episcopus in sua Diœcesi. Quòd si Episcopi & Parochi eam ineant concordiæ rationem, quam initio hujus Articuli exposuimus, nullum erit dissensionis periculum; præsens enim controversia, non tam supremo & stricto jure potestatis tùm Episcoporum tùm Parochorum solvi debet, quàm legibus prudentiæ & charitatis, sicut sapienter admonet Gerso in Regulis moralibus de Pœnitentia. Et S. Thomas in Supplemento qu. 8. art. 5. in responsione ad 1. solvens objectionem eorum qui contendebant privilegia Regularibus concessa vergere in præjudicium Parochorum, ait, *præjudicium non fieri alicui, nisi ei subtrabatur quod est in favorem ejus indultum; jurisdictionis autem potestatem non esse commissam alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis, & honorem Dei. Et ideo,* inquit, *si superioribus Prælatis expedire videatur ad salutem plebis & honorem Dei promovendum, quòd aliis, quæ sunt jurisdictionis, committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, nisi illis qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi; & qui gregi præsunt, non ut pascant, sed ut ab eo pascantur.* In responsione tamen ad 4. ait, propter Statutum Ecclesiæ de confessione semel in anno facienda proprio Sacerdoti, eum qui confessus est Fratribus, eodem modo se gerere debere ac ille qui venialia dumtaxat habet peccata, adeoque debere proprio suo Parocho confiteri. Et infrà: *Bonum est*, inquit, *quòd ille qui auctoritate Episcopi confessionem audit, inducat confitentem ad hoc quòd confiteatur proprio Sacerdoti: quòd si noluerit, nihilominus eum debet absolvere.* Idem docet S. Bonaventura Tractatu qui inscribitur, *Quare Minores prædicent & confessiones audiant.*

Instabis 4. Nihil possunt Episcopi, imo nec S. Pontifex, contra Decreta Conciliorum generalium, quale Decretum est Concilii Lateranensis de confessione annua proprio Parocho facienda; ergo &c.

Resp. 1. dist. ant. in his quæ spectant fidem & mores, concedo: quæ spectant disciplinam, subdistinguo: si Ecclesia potestatem non fecerit Episcopis, disciplinam, prout expedire judicaverint, immutandi, concedo: secus, nego. Porro Decretum Lateranense ad disciplinam spectat, non ad fidem.

Resp. 2. in Canone Lateranensi per proprium Sacerdotem sic Parochum intelligi, ut nec S. Pontifex nec Episcopi excludantur; adeoque nihil contra

tra Statutum Concilii generalis faciunt illi, cùm aliquos deputant excipiendis Fidelium confessionibus.

Objicies 2. Omnia Regularium privilegia pro audiendis Fidelium confessionibus revocata sunt per Concilium Tridentinum; ergo &c.

Resp. dist. ant. omnia Regularium privilegia pro audiendis Fidelium confessionibus, sine licentia & approbatione Episcoporum, revocata sunt, concedo: accedente licentia & consensu Episcoporum, nego.

Objicies 3. Et Academia Parisiensis & Clerus Gallicanus intercessione sua identidem obstitere Decretis SS. Pontificum, quibus indulgebant Regularibus facultatem audiendi confessiones Fidelium. Nemo nescit quot turbas excitaverint in Academia Parisiensi Bullæ Alexandri V. & Nicolai V. datæ in gratiam Mendicantium, quos è sinu suo ejiciendos censuit Academia, nisi dictis Bullis se renuntiaturos promitterent: atque cùm Calixtus III. irritum declarasset quod gestum fuerat ab Academia Parisiensi, recruduit discordia, nec priùs composita Ɩis, quàm novum Decretum Pontifex emisisset. Non minori studio Episcopi Gallicani privilegiis Regularium à SS. Pontificibus concessis obstitere. Adversùs Statutum Clementis VIII. ann. 1592. datum pro Diœcesibus Cameracensi & Atrebatensi, reclamavit Illustrissimus Archiepiscopus Cameracensis Dominus de Barlemont: adversùs Decretum Innocentii X. an. 1645. datum contra Archiepiscopum Burdigalensem, reclamavit eodem anno Clerus Gallicanus Parisiis congregatus; adversùs Decretum Clementis X. an. 1670. reclamavit Senatus, ad supplicationem ejusdem Cleri Gallicani.

Resp. rationem & causam intercessionis tùm Academiæ Parisiensis, tùm Cleri Gallicani adversus nonnulla SS. Pontificum Decreta in gratiam Regularium, hanc dumtaxat fuisse, quòd Regulares immodicè sua privilegia amplificarent, & eò usque extenderent, ut etiam non petita nec impetrata Episcoporum licentia contenderent se posse Fidelium confessiones audire, aliaque Ministerii sacri munia exercere; qua certè in re jura sua lædi meritò conquesti sunt Episcopi. At jam post Statutum Concilii Tridentini receptum, nullum amplius esse debet discordiæ periculum; ultro quippe agnoscunt Regulares, Episcoporum approbationem sibi omnino necessariam esse ut confessiones audire valeant. Non aliam fuisse causam tot dissidiorum ac turbarum quæ Academiam Parisiensem olim ita commoverunt, facilè intelliget qui Bullæum, aut alios Historicos salutaverit; sed nolim hìc jam diu obducta vulnera refricare.

Eadem ratione moti sunt Episcopi nostri Gallicani, ut obstarent nonnullis Regularium privilegiis.

Ita Archiepiscopus Cameracensis reclamavit contra Decretum Clementis VIII. *eo quòd*, inquit in suo Mandato, *obnubilata veritate, & suggesta falsitate, & Pastoribus non auditis, Regulares obtinuerint quidquid voluerunt.*

Archiepiscopus Burdigalensis idcirco reclamavit adversùs Decretum Inn. X. *quòd edixerat S. Pontifex, non posse prædictum Archiepiscopum prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, quin à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, administrare valeant sæcularibus personis Sacramentum confessionis*; quo certè Decreto intellexit Archiepiscopus ille, violari jura Episcoporum in danda vel deneganda, vel limitanda Regularium approbatione.

Pariter

Pariter adversùs Decretum Clementis X. reclamatum fuit, quia nonnulla continet Episcoporum juribus contraria circa Regularium approbationem. Dicitur enim 1. *Regulares prævio examine & indefinitè approbatos, non teneri aliud examen subire, licèt ad illud vocentur ab Episcopis.* 2. *eosdem Regulares non posse ab audiendis confessionibus suspendi, nisi nova superveniente causa quæ ad ipsas confessiones pertineat.* 3. *Episcopum inconsulta Sede Apostolica non posse negare omnibus alicujus Monasterii Religiosis facultatem audiendi sæcularium confessiones*; quæ totidem sunt capita quibus Episcopi meritò contendunt lædi jus suum circa approbationem Regularium, quam omnino necessariam esse statuit Concilium Tridentinum, vel denegandam, vel limitandam prout expedire judicaverint. Non negavit ergo Clerus Gallicanus, quin possint Regulares, accedente Episcoporum licentia, audire Fidelium confessiones; imò expresse in Comitiis anni 1655. id sibi juris inesse docent Episcopi, adversùs quosdam Parochos, ut indulgere valeant Regularibus facultatem excipiendi suorum Diœcesanorum Paschalem confessionem.

*Proponuntur & solvuntur nonnullæ quæstiones circa præceptum Ecclesiasticum confessionis.*

Quæres 1. an per confessionem sacrilegam satisfiat præcepto ecclesiastico confessionis annuæ.

Resp. negativè: Namque cùm præceptum Ecclesiæ de facienda confessione sit dumtaxat determinatio divini præcepti quoad tempus, non alia confessione satisfit ecclesiastico, quàm divino præcepto: atqui divino præcepto non satisfit per sacrilegam confessionem; ergo nec ecclesiastico. Hinc meritò proscripta est ab Alexandro VII. ista Propositio, *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Idem definivit Clerus Gallicanus anno 1700. Duplicis ergo peccati reus est qui fictè confitetur tempore Paschali, & sacrilegii, & violati præcepti ecclesiastici. *Recueil des Bulles, p. 458.*

Quæres 2. quas incurrant pœnas ii qui ecclesiastico annuæ confessionis præcepto non satisfaciunt?

Resp. vi Canonis eos nullas incurrere; manifestum quippe est ex serie verborum, eas non esse latæ sententiæ, sed ferendæ; *alioquin*, ait Canon, *vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura.* Quapropter Parochus ab ingressu Ecclesiæ arcere non potest, nec privare ecclesiastica sepultura parochianum, qui in Paschate sacramentaliter confessus non fuit, nisi priùs intervenerit superioris Judicis sententia: possunt nihilominus Episcopi pœnas aliquas decernere ipso facto incurrendas.

Quæres 3. pro qua anni parte obliget Ecclesiæ præceptum.

Resp. quovis anni die, non verò præcisè in Paschate.

Ratio est, quia 1. si Ecclesia voluisset certo & determinato intra annum tempore præceptum illud obligare, haud dubiè tempus illud designasset, sicut designavit tempus Paschale pro percipienda Eucharistia: atqui Ecclesia nullum præcisè tempus designavit pro confessione, sed tantùm dixit eam semel in anno esse faciendam. 2. Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 8. loquens de confessione facienda, utitur hoc verbo, *suadendum*, non verò isto, *imperandum*; qua loquendi ratione innuit nulla stricta lege teneri Fideles ad confessionem certo tempore intra annum faciendam.

Sita-

Si tamen certum tempus Episcopi in suis Diœcesibus assignarent, iis haud dubiè parendum esset: assignavit autem Clerus Gallicanus tempus Paschale, in Comitiis generalibus annorum 1625. 1635. & 1645.

Quæres 4. quænam praxis magis accedat ad mentem Ecclesiæ, in adimplendo præcepto confessionis annuæ.

Resp. eam esse quæ confessionem imperat tempore Quadragesimæ: hanc enim expressè approbat Concilium Tridentinum Sess.14. cap.5. ubi de præcepto confessionis annuæ sic loquitur: *Jam in universa Ecclesia, cum ingenti* To. 14. Conc. p. 819. B. C. *animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maximè probat & amplectitur, tanquam pium & meritò retinendum.*

Quæres 5. utrum qui toto anni cursu omisit confiteri, teneatur quantociùs satisfacere Ecclesiæ præcepto.

Resp. affirmativè. 1. Quia istud Ecclesiæ mandatum est dumtaxat determinatio divini quoad tempus: at divinum mandatum confessionis faciendæ magis adhuc urget elapso præscripto tempore, quia tunc major est confitendi necessitas, ubi gravius est & præsentius indurationis periculum. 2. Quoties præceptum aliquod eum in finem datur, ut non protrahatur ulteriùs ejus executio, ille cui imponitur, non liberatur ab onere præcepti, quando huic non satisfecit tempore præscripto. Sic qui teneretur aliquam pecuniæ summam solvere in Paschate, & non solveret, elapso tempore Paschatis liber non esset à debito: atqui præceptum ecclesiasticum annuæ confessionis datur in hunc finem, ne ulteriùs protrahatur confessio: *saltem semel in anno*, ait Canon Lateranensis. Atque in hoc distat præceptum confessionis annuæ, tùm ab obligatione v.g. audiendi Sacri: vel servandi jejunii, vel recitandi Breviarii, quòd istorum obligatio alligata sit veluti tempori, & præsertim imposita ob circumstantiam & honorem talis temporis, unde hoc elapso non perseverat.

Quæres 6. an qui per plures annos non accessisset ad Sacramentum Pœnitentiæ, teneretur multoties in eodem anno confiteri, in reparationem violati toties Ecclesiæ præcepti.

Resp. negativè, quia praxis Ecclesiæ contraria videtur: qui enim per quindecim v.g. annos confessus non est, non obligatur ad confitendum quindecies; & verò unica confessione multa peccata declarari & expungi possunt.

Quæres 7. utrum qui omisit aliqua mortalia peccata declarare, teneatur ea confiteri eodem anno, ita ut per præcedentem confessionem non satisfecerit præcepto Ecclesiæ.

Resp. si sua culpa illa peccata omisit, nec integra fuit confessio, teneri illum ad iteratam confessionem; quia, ex dictis, non satisfit Ecclesiæ præcepto per confessionem nullam & invalidam: si verò absque culpa peccata illa omisit, non teneri.

Quæres 8. quinam præcepto ecclesiastico confessionis obstringantur.

Resp. eos omnes qui ad annos discretionis pervenerunt, & post Baptismum lapsi sunt. Quodnam verò sit discretionis tempus, judicabit prudens Sacerdos; alii enim tardiùs, alii citiùs bonum à malo discernere possunt.

Quæres ultimò, an qui reus dumtaxat est peccatorum venialium, teneatur vi præcepti ecclesiastici ea confiteri.

Resp.

Resp. negativè, nisi fortè scandali periculum foret. Ratio est, quia, ut diximus, non obligat præceptum Ecclesiæ, quando ipsum divinum non obligat: atqui præceptum divinum non obligat ad confessionem venialium, quæ aliis remediis possunt, Deo ita volente, expiari. Censet nihilominus S.Thomas, teneri hominem illum, vi præcepti ecclesiastici, sistere se proprio Sacerdoti, eique declarare se nullius mortalis peccati reum. Ita in Supplemento q.6. art. 3. ad 3. & q. 8. art. 5. ad 4.

## ARTICULUS IV.

### *De conditionibus confessionis.*

SExdecim vulgò assignantur à Theologis, his quatuor versibus expressæ.

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis:*
*Nec non nuda, frequens, discreta, libens, verecunda,*
*Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,*
*Fortis & accusans, & sit parere parata.*

*Simplex* & *nuda* debet esse confessio; id est verbis non fucata, nec ad historicam vitæ narrationem magis, quàm ad peccatorum coram judice accusationem accommodata.

*Humilis*, ex intimo propriæ indignitatis sensu, deposito omni fastu & pompa sæculari, oculis in terram demissis, flexis genibus, ut reum decet, qui veniam deprecatur. Non ergo sit contentiosa, qualis eorum esse solet qui ad Sacerdotes disputandi potius animo, quàm declarandi peccata, videtur accedere.

*Pura, fidelis*; id est, vera & sincera, quæ nihil falsi habeat admixtum, nihil ad ipsam confessionem extraneum; nullum, quàm honestum, sibi proponat finem.

*Frequens*; ne scilicet in frequentia usus Sacramenti Pœnitentiæ contrahatur peccandi habitus, cor induretur, ac finalis sequatur impœnitentia.

*Discreta*; id est, prudens & cauta, ne quid scilicet amplius aut minùs enuntiet quàm necesse sit, sed intra eos fines se contineat quos exigit confessionis integritas.

*Libens*; id est, non extorta nec coacta, qualis in Judicio sæculari solet à reis extorqueri. Libenti animo confiteri non censentur, qui nonnisi per longos circuitus ac multo labore inducuntur ad certa crimina declaranda.

*Verecunda*; id est, casta & modesta, ne scilicet quæ reipsa obscæna sunt & turpia, verbis obscænis & turpibus exprimat.

*Integra*; id est, plena quæ peccata & specie diversa & numero plura cum suis circumstantiis aperiat.

*Secreta*, tam ex parte pœnitentis qui voce demissa debet confiteri, quàm ex parte Sacerdotis, qui omnia peccata sibi in aurem declarata inviolabili sigillo clausa debet apud se retinere.

*Lachrymabilis*; id est, cum intimo animi dolore.

*Accelerata*; id est, ad longum tempus non dilata.

*Fortis* & *accusans*; id est, quæ peccata non imminuat nec excuset, sed ea qualia sunt, non timidè, sed generosè ac candidè aperiat.

*Parere parata*; id est, pœnitens ita debet esse animo præparato, ut faciat quidquid prudens jusserit Sacerdos.

Inter illas autem conditiones mox enumeratas duæ potissimùm sunt quæ pleniorem à nobis exigunt expositionem, integritas scilicet, & secretum confessionis.

### *De integritate confessionis.*

Duplex est confessionis integritas, una formalis, materialis altera: prior, est accusatio omnium peccatorum mortalium quæ post diligens conscientiæ examen, memoriæ occurrunt; posterior, est adæquata omnium planè peccatorum declaratio. De priori integritate hìc dumtaxat agimus, non de posteriori; certum quippè est materialem confessionis integritatem non semper esse necessariam, cùm non aliud exigat à pœnitente Ecclesia, quàm *ut postquam diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes ac latebras exploraverit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclu-*
To. 14. Conc. p. 818. E. *sa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis munda me Domine.* Ita Concilium Trid. Sess. 14. c. 5.

Imò contingit aliquando non teneri pęnitentem omnia & singula, quorum recordatur, peccata confiteri: v. g. si pœnitens gravi morbo laborat, nec potest sine gravissimo incommodo omnia sigillatim peccata percurrere: si ex quorumdam peccatorum declaratione grave aliquod malum immineat, nec facultas sit alium Sacerdotem adeundi: si peregrinus in ea regione sit, ubi à Sacerdotibus non possit intelligi: si proximi naufragii imminens sit periculum: si milites ad prælium se accingant &c.

Integritas verò illa confessionis spectari potest vel ex parte materiæ, vel ex parte ministri, vel ex parte temporis.

Ex parte materiæ, quæritur 1. utrum omnia & singula peccata mortalia necesse sit confiteri, non in genere tantùm; sed etiam quoad speciem & numerum.

Quæritur 2. utrum circumstantiæ aggravantes intra eandem peccati speciem necessariò sint declarandæ.

Quæritur 3. utrum persona complicis sit aperienda.

Quæritur 4. utrum moribundi qui præ morbi violentia integrè confiteri non possunt, sint absolvendi.

Ex parte ministri, quæritur, an integra sit confessio illius qui cùm habeat casus aliquos reservatos, partim uni, partim alteri sua confitetur peccata: puta reservata, Superiori; cætera, inferiori Sacerdoti.

Ex parte temporis, quæritur, an integra sit confessio illius qui interpolatis temporibus confitetur.

De

*De integritate confeßionis ex parte materiæ.*

*Vtrum omnia & singula peccata cum circumstantiis speciem mutantibus sint neceßariò in confeßione declaranda, non in genere tantùm, sed quoad speciem & numerum.*

## CONCLUSIO.

Omnia & singula peccata mortalia cum circumstantiis speciem mutantibus sigillatim quoad speciem & numerum, non in genere tantùm sunt in confessione declaranda.

Conclusio hæc iisdem demonstratur SS. Patrum testimoniis, quibus antea probavimus confessionis omnium peccatorum necessitatem. Revoca quæ dicta sunt.

Hinc Concilium Cabillonense II. an. 813. Can. 32. damnat abusum eorum qui plenè non confitentur. *Hoc emendatione indigere perspeximus*, ajunt Concilii Patres, *quòd quidam dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio.* Tom. 7. Conc. p. 1278. D

Et Concilium Wormatiense an. 868. Can. 25. ait, *debere Sacerdotem in pœnitentia danda singulorum causas sigillatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, temporum etiam & personarum, locorum quoque & ætatum qualitates inspicere, ut pro consideratione locorum, ætatum vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemituum uniuscujusque delinquentis, à sacris regulis oculos non deflectat.* Tom. 8. Conc. p. 950. D.

Concilium Londinense anno 1200. Can. 4. præscribit, *ut Sacerdotes in pœnitentiis imponendis diligenter attendant circumstantias, qualitatem personæ, quantitatem delicti, tempus, locum, causam, moram in peccato factam.* To. 11. Conc p. 15. A.

Denique Concilium Tridentinum Seff. 14. c. 5. *Ex his colligitur*, inquit, *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, & tantùm adversùs duo ultima Decalogi præcepta commißa . . . .* To. 14. Conc p. 818. B.
Et paulò post. *Cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant, neceßum est omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione à Deo quærere. Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt. Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Colligitur prætereà, etiam eas circumstantias in confessione explicandas eße, quæ speciem peccati mutant; quasi sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Iudicibus innotescant; & fieri nequeat ut de gravitate criminum rectè censere poßint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus* Ibid. C.

O 2 *impo-*

*imponere. Unde alienum est à ratione, docere circumstantias has ab homini-*
Ib p.324. *bus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantùm circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem.* Et Can.7. ejusd. Sess. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia . . . . anathema sit.*

Deinde Concilium Novatores perstringit, qui hanc confessionis integritatem materialem *conscientiarum carnificinam* appellant: nec attendunt eorum dumtaxat integram exigi peccatorum confessionem, quorum post diligens examen homo memoriam retinet. Quam doctrinam cap.5. Concilium exposuit, eandem Can.7. definivit.

Concilium & auctoritate sua, & pondere rationis quam insinuat, veritatem Conclusionis nostræ ostendit; Judex etenim litem dirimere & judicare ex æquitate non potest, nisi omnino perspectas habuerit rei causas, rationes, circumstantias, ac litis Instrumenta omnia expenderit; nec Medicus apta remedia morbis applicare potest, nisi morbos illos apprimè noverit: Sacerdos verò in tribunali Pœnitentiæ Judex est ac Medicus animarum, ut antea probavimus. Unde meritò damnanda ista propositio, *Præcepto confessionis satisfacit, qui enuntiat simpliciter se furto abstulisse eam pecuniæ quantitatem, quæ ad peccatum lethale sufficit.* Clerus quoque Gallicanus ann. 1700. istam n.83. propositionem meritò proscripsit. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

N.Mem. du Clergè, T.1. p.732.

Dices: Potest aliquis absolvi ab excommunicatione, remanente ipso peccati reatu, ergo potest absolvi ab uno peccato quod confitetur, licèt non absolvatur ab alio quod non confitetur.

Resp. nego consequentiam. Disparitas est, quia per absolutionem ab excommunicatione homo præcisè justus non redditur, sed Ecclesiæ dumtaxat restituitur, à qua fuerat præcisus; è contra per absolutionem sacramentalem à peccatis, si valida sit, homo gratiam adipiscitur & reconciliatur Deo: at implicat aliquem justum fieri ac Deo reconciliari, cui omnia simul peccata mortalia dimissa non fuerint; si enim vel unum remaneret, exularet ab eo gratia sanctificans seu justificans.

Quæres 1. quænam peccata specie distincta censeantur, & quæ circumstantiæ speciem peccati mutent.

Resp. ad primum: Ea peccata specie distincta esse, quæ pugnant contra virtutem specie distinctam. Sic fornicatio contra castitatem, adulterium & contra castitatem & contra justitiam pugnat; unde duplex est specie distinctum peccatum.

Ad secundum resp. pariter, tunc circumstantiam addere novam peccati speciem, cùm pugnat contra distinctam virtutem. Sic injusta percussio Clerici, propter circumstantiam personæ Deo dicatæ; & furtum in loco sacro, ratione loci peccata sunt, non solùm contra justitiam, sed etiam contra religionem. Circumstantia verò tùm aggravat aut minuit solam peccati speciem, cùm magis vel minùs pugnat contra eandem virtutem: ut injusta percussio Clerici gravior aut levior, furtum in loco sacro majoris aut minoris quantitatis, non differunt inter se, nisi secundùm magis aut minùs intra eandem speciem; quia injusta percussio sive gravior, sive levior, easdem lædit virtutes: similiter & furtum sive majus, sive minus. In idem fermè recidit quod

quod docet Maldonatus de Pœnit. To.2.p. 279. circumstantias, quæ mutant finem & objectum actionis, mutare quoque speciem: v.g. occidere hominem propter adulterium, facit ex homicidio adulterium; & furari rem sacram, facit ex furto sacrilegium. Observat autem idem Theologus; *quòd cùm Scholastici docent circumstantias mutare speciem peccati, non sit intelligendum ex uno peccato fieri aliud; sed unam & eandem actionem, propter circumstantiam accedentem esse duo peccata.*

Quæres 2. unde repeti debeat numerica peccatorum distinctio.

Resp. eam repeti vel à multiplicitate numerica actuum internorum, vel à multiplicitate morali actuum exteriorum, vel objectorum: quæ omnia fusiùs exponere solent Theologi in Tractatu de peccatis & actibus humanis.

Quæres 3. an qui uno actu physico plura attingit objecta, v.g. qui uno ictu plures interficit homines, una detractione plures lædit, teneatur exprimere distinctè numerum illorum objectorum.

Resp. cum distinctione. Vel enim ille plura objecta distinctè cognovit, vel confusè tantùm: si prius, tenetur distinctè in confessione declarare v.g. se tres homines uno ictu interfecisse, de tribus personis detraxisse &c. Si verò confusè tantùm objecta illa cognovit, satis est si generatim dicat se multos interfecisse, de multis detraxisse. V.g. aliquis ignem admovit Pagi domibus, aut veneno infecit fontem alicujus loci, unde incolæ mortui sunt; vel detraxit de tota aliqua societate ac familia, satis est si dicat se omnes Pagi incolas interfecisse, de universa aliqua societate detraxisse.

Quæres 4. an pœnitens confiteri debeat dubia peccata.

Resp. affirmativè, quia peccata hujusmodi remitti debent saltem ut dubia.

Quæres 5. an qui recordatur peccati mortalis, quod ex oblivione non exposuit in præcedente confessione, teneatur illud confiteri.

Resp. teneri. Ita statuit Alexander VII. an. 1665. & Clerus Gallicanus ann. 1700. in celebri sua Censura ubi propositio ista num. 80. damnatur, *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut aliam ob causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere. Hæc propositio*, ait Censura, *est temeraria, erronea, & confessionis integritati derogat.* N. Mem. du Clergé, T. 1. p. 732.

Quæres denique, an & quale debeat esse examen conscientiæ.

Resp. accuratum esse debere, & tale quale solet exigi in rebus gravissimi momenti: nullius quippe rei potior & major esse debet cura, quàm salutis animæ.

### *An necesse sit aperire in confessione circumstantias in eadem specie aggravantes.*

Circumstantiæ aggravantes in eadem specie dicuntur, quæ malitiam & gravitatem peccati insigniter augent. V.g. furari duos nummos, vel centum, vel mille, est quidem in eadem furti specie; at longè gravius est furari centum aut mille, quàm duos. Similiter peccatum carnis quod cum matre vel sorore aut nepte vel consobrina committitur, est quidem in eadem specie incestus, sed longè gravius in primo & secundo, quàm in tertio gradu. Unde scitè advertit Melchior Canus, parte 6. de Pœnitentia, in administratione Sacramenti Pœnitentiæ habendam potius esse rationem eorum quæ spectant ad mores, quàm eorum quæ spectant ad Metaphysicam.

Non consentiunt tamen inter se Theologi circa propositam quæstionem.

Sunt qui cum Vasquesio, & aliis nonnullis quos ille appellat ad quæstionem 91. art. 1. dubio 2. negant necesse esse ad integritatem confessionis, aperire circumstantias aggravantes: alii affirmant cum Melchiore Cano, cum quibus sit.

## CONCLUSIO.

Circumstantiæ in eadem specie aggravantes necessariò aperiendæ sunt, ut integra sit confessio.

Probatur 1. momentis & rationibus in priori Conclusione adductis: quæ enim de circumstantiis speciem peccati mutantibus ibi diximus ex Concilio Tridentino & aliis, æquè probant, ut patebit attendenti, necesse esse ad integritatem confessionis, ut circumstantiæ in eadem specie augentes peccati gravitatem, declarentur; aliàs, nec pœnitens perfectè & integrè statum suæ conscientiæ aperiret, nec Sacerdos judicis & medici partes, ut oportet, exercere posset in imponendis pœnis idoneis & proportionatis.

Et verò contingit aliquando, ut circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem magis augeant peccati malitiam & gravitatem, quàm si peccatum illud ad aliam transiret speciem: v. g. furari nummum in loco sacro, non est simplex furtum, sed sacrilegium; attamen graviùs peccat qui centum nummos alio in loco furatur.

T. 11. Conc. p. 173. B. Probatur 2. ex Canone *Omnis utriusque sexus*. *Sacerdos*, inquit, *sit discretus & cautus*, *ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati, per quas prudenter intelligat quale illi consilium debeat exhibere, & cujusmdi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum*.

Probatur 3. ex praxi & usu Veterum, qui pro variis circumstantiis intra eandem speciem peccati malitiam aggravantibus, graviorem imponebant pœnam. V. g. licèt ejusdem speciei sit idololatria voluntaria, cum ea quæ per vim extorquetur, tamen Ecclesia Hispanica graviorem longè pœnam imposuit priori, quàm posteriori. Pariter furtum clandestinum & apertum ad eandem pertinet speciem peccati; prius tamen secreta confessione purgabatur olim, alterum verò pœnitentia publica, teste S. Gregorio Nysseno in Epistola Canonica. Crimen quoque bestiale pro varia peccantium ætate diversum non fit specie; & tamen variis pœnis afficitur pro varia ætate peccantium, in Concilio Ancyrano Can. 16. Homicida voluntarius ad pœnitentiam toto vitæ tempore peragendam damnatur; si verò involuntarium fuerit homicidium, septem annorum pœnitentia punitur ab eodem Concilio Can. 22. Denique, habitus peccandi non mutat speciem peccati: v. gr. qui ex inveterato habitu mentiuntur, blasphemant, fornicantur, ii idem specie peccatum mendacii, blasphemiæ & fornicationis committunt: attamen necesse omnino est aperire in confessione, an inveteratus sit eorum peccatorum habitus: alia quippe ratione agere debet prudens Sacerdos cum iis qui ex longo habitu peccant, & alia cum iis qui semel tantùm aut iterum ex infirmitate labuntur.

Dices 1. Concilium Tridentinum nihil dixit de circumstantiis intra eandem speciem aggravantibus.

Resp.

Resp. Concilium more suo abstinuisse ab iis opnionibus dirimendis ac definiendis, quas noverat inter Doctores Catholicos in utramque partem agitari, qualis est præsens nostra quæstio. Quamquam si attentè expendantur & ponderentur rationes quibus utitur Concilium, ut probet aperiendas esse circumstantias quæ mutant speciem, manifestum erit & ipsas quoque circumstantias intra eandem speciem aggravantes, necessariò quoque esse declarandas: eò enim collimant rationes superiori Conclusione adductæ.

Dices 2. Circumstantiæ quæ notabiliter non augent peccati malitiam, non debent necessariò declarari; ergo nec illæ quæ notabiliter ejusdem peccati augent gravitatem.

Resp. nego consequentiam. Illæ quippe circumstantiæ necessariò videntur declandæ, quæ mutant peccantis statum, & alia remedia exigunt: tales sunt circumstantiæ insigniter aggravantes peccati malitiam. V.g. aliud ferendum est judicium de muliere quæ metu mortis, vel causa unius voluptatis in adulterium consentit: alia pariter causa & conditio est, eorum qui vincuntur peccato & tentatione; alia eorum, qui ultrò peccato se offerunt, nec expectant tentationem, sed præveniunt. Ad has circumstantias attendere debet prudens Sacerdos in tribunali Penitentiæ.

Dices 3. Jure naturali prohibitum est detegere occultum proximi crimen: atqui circumstantiæ aperiri non possunt aliquando, quin simul alterius crimen detegatur. V.g. mulier confiteatur se cum fratre suo unico, vel cum Confessario peccasse; Sacerdos, qui utrumque novit & fratrem & Confassarium, quos hactenus viros pios habuerat, eos statim nefandi criminis reos intelliget.

Resp. 1. eo in casu teneri illam mulierem ad alium accedere Sacerdotem, cui sua peccata confiteatur; quòd si non possit,

Resp. 2. posse illam tuta conscientia occultum alterius crimen detegere. Nonne reus justè torquetur, ut criminis socios detegat? Nonne censuris adiguntur Fideles revelare occultos furti vel homicidii auctores? Nonne civis deferre tenetur quem novit Reipublicæ noxium; & servus herum monere, si noverit ab alio servo bona ejus diripi? Quidni ergo idem illi mulieri in casu proposito licebit?

Dices 4. S. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 5. Conclusioni nostræ adversatur.

Resp. S. Doctorem, cùm junior esset, ac scriberet in Librum Sententiarum, nobis adversatum esse, quam suam opinionem haud dubiè revocasset senior factus, si manum ultimam suæ Summæ apposuisset. Fundamentum hujus conjecturæ nostræ est, quòd 1. 2. q. 73. art. 9. & 10. & 2. 2. q. 61. art. 2. ad 4. & art. 4. in corpore, ad nostram sententiam accedere videatur.

*An necesse sit aperire in confessione personam complicis.*

Duplex esse potest hujus quæstionis sensus.

I. Utrum persona complicis sit necessariò declaranda, quando aliter integra esse non potest confessio; quod certè contingit, cùm ex conditione complicis mutatur species peccati, aut insigniter augetur intra eandem speciem ejus malitia. V. g. Titius habet sororem unicam, cum qua incestum committit: non potest Titius declarare se incestum commisisse cum soro-

forore, quin ſtatim illa diſtinctè cognoſcatur à Sacerdote. Quæritur, tenetur ne Titius accuſare ſe apud Sacerdotem in tribunali Pœnitentiæ, inceſtus? Si ſe accuſat, ſororem prodit complicem: ſi taceat, integrè non confitetur. In ea verò hypotheſi, ſupponitur ex declaratione complicis diſtinctè cognoſci perſonam illius: ſi enim generatim dumtaxat & confuſè cognoſceretur, dubium non foret quin teneatur pœnitens ſocium criminis ita generatim declarare.

II. Senſus eſt, utrum cùm declaratio complicis ad integritatem confeſſionis non conducit, poſſit tamen & debeat pœnitens, ſive ad privatam ſuam utilitatem, ſive ad emendationem complicis, ſive ad bonum procuradum, aut fugiendum malum, perſonam criminis participem declarare. Circa utrumque caput non una eſt Theologorum praxis atque ſententia.

Circa primum, Morinus L. 2. de Pœnit. cap. 12. & ſequentibus, ait longè communiorem eſſe Theologorum ſententiam, teneri ſcilicet eo in caſu pœnitentem, ad declarandam complicis perſonam. Multos laudat cap. 16. hujus opinionis defenſores; & addit, paucos admodum ab ea diſſentire.

Suares nihilominus diſputatione 34. ſectione 2. n. 11. contrariam probabilem exiſtimat, nec paucos appellat ejus patronos; inter cæteros, Oſtienſem, Navarrum, Medinam, Bannem, Marſilium &c.

Quantùm ad ſecundum, ſi res in ſe ac ſpeculativè conſideretur, omnes facilè conſentiunt licitum eſſe declarare aliquando criminis ſocios, aut ſimpliciter reos: verùm an in praxi iſtud expediat, & obſervari ſemper debeat, non una eſt omnium mens, nec una agendi ratio. His præmiſſis, ſit

## PRIMA CONCLUSIO.

Perſona criminis particeps neceſſariò debet declarari, cùm aliter ſtare non poteſt integritas confeſſionis, ejuſque faciendæ urget præceptum.

Edit. vet. T. 2. p. 766. D. Probatur 1. ex praxi & uſu veterum Canonum quibus complicis perſona deſignatur, quando certis quibuſdam criminibus certa & determinata pœna decernitur. Sic Canone 67. Epiſtolæ S. Baſilii ad Amphilochium, inceſtus cum ſorore eadem pœna qua homicidium punitur. Et Can. 75. *Qui cum propria*, inquit, *ex patre, vel ex matre ſorore pollutus eſt, in domum orationis ne permittatur accedere, donec ab iniqua & nefaria actione deſiſtat. Poſtquam autem in horrendi peccati ſenſum & animadverſionem venerit, triennio defleat.* (Ib. p. 777. D.) Et Can. 79. *Ii qui in ſuas novercas inſaniunt, ſunt eidem Canoni obnoxii, cui & ii qui in ſuas ſorores inſaniunt.* (Ibid. p. 778. C.) Peccata verò hæc talis ſunt conditionis ac naturæ, ut declarari non poſſint, quin ſocius ac particeps criminis detegatur ac declaretur.

Idem planè dicendum de peccatis quæ marito cum uxore, & uxori cum marito communia ſunt: iſta quippe vel tacenda, vel perſona complicis declaranda. Utriuſque verò generis peccata à Canonibus caſtigata legere poteris quamplurima in antiquo Pœnitentiali Romano, titulo 3. cap. 6. 7. 8. 9. & ſequentibus.

Præterea, certum eſt criminis ſocium declaratum olim fuiſſe, cùm ex conditione illius creſcebat vel minuebatur peccati gravitas. Ita colligimus ex Venerabili Beda de remediis peccatorum cap. 2. *Si*, inquit, referens antiquos

Cano-

Canones, *uxoratus ancillam suam compresserit, annum unum pœniteat.... & à suâ se abstineat. Illa, si invita passa est, quadraginta dies pœniteat.* Idem colligere est ex Burchardo Wormatiensi Episcopo, Lib. 19. Decretorum. Tom 8. p.1129. n.40.

Probatur 2. Quia integritas confessionis juris est divini, quæ postulat, ut & species peccati, & circumstantiæ insigniter aggravantes aperiantur; si ergo aperiri non possunt absque declaratione complicis, necesse est personam illius declarari.

Neque est quòd excipias 1. peccata, de quibus citati Canones, publica fuisse, adeoque mirum esse non debere quòd complicis persona declararetur. 2. personam complicis generatim dumtaxat & confusè in his declarari, non clarè, non distinctè.

Namque I. Non distinguunt citati Canones, inter publica vel occulta peccata: deinde, eorum multa sunt ejusmodi, ut planè in occulto, nullo teste nisi complice, consumentur.

Denique, de occultis ipsis peccatis expresè loquuntur etiam antiqui Canones: v. g. caput 43. Concilii Triburiensis; 62. Concilii Wormatiensis; & 26. Pœnitentialis Romani titulo 3. verba suppeditat Morinus.

II. Gratis fingitur, confusè & generatim dumtaxat complicis personam notam fuisse ex confessione pœnitentis, iis temporibus quibus editi sunt citati Canones namque cùm ea ætate soli Episcopi & Parochi eorumque Vicarii exciperent Fidelium confessiones, ac longè distinctiùs suas singulas oves cognoscerent, in oppidis præsertim & minoribus urbibus, facilè intelligitur sæpissimè contigisse, ut ex declaratione talis peccati v. g. incestus, statim distinctè cognita fuerit complicis persona.

Dixi in Conclusione, cùm urget præceptum confessionis; si enim commodè differri potest, aut alius adiri Sacerdos cui distinctè perspecta non sit complicis persona, consultius est differre, & alium adire Sacerdotem, ut, quantùm fieri potest, famæ complicis consulatur.

Dices 1. Nusquam licet detrahere de fama & honore proximi: sed qui criminis occulti socium & complicem declarat in confessione sacramentali, detrahit de fama sui proximi.

Resp. nego min. tunc quippè *vera non est detractio*, ait S. Thomas 2. 2. q. 73. art. 2. *cùm subest legitima causa revelandi occultum crimen:* atqui causa legitima censetur, cùm sine tali declaratione stare non potest confessionis integritas. Deinde, duplex est criminis alicujus delatio; una juridica, quando quis sese actorem inscribit, & legi talionis, si probando deficiat, sese subjicit; altera verò monitoria, quando nempè monetur aut Respublica, aut privatus aliquis, de periculo sibi imminente: in neutra verò detractionis vitium propriè occurrit; sibi enim imputare debet reus, quòd criminis perpetrati juridicè convincatur: neque eo animo apud Judicem à delatore accusari præsumitur, ut ejus famam lædat, sed ut bonum publicum conservetur, & reus ab aliis sceleribus perpetrandis avocetur. In delatione quoque privata, seu declaratione quæ fit in aurem Sacerdotis, personæ criminis sociæ nulla est detractio, nullum famæ detrimentum incurritur: ex tali quippè notitia quam ex secreta confessione habet Sacerdos, nihil exteriùs agere potest quod vergat in damnum personæ illius. Quòd si nonnihil decrescat in opinione privata Sacerdotis persona illa criminis socia, sibi istud imputet.

Dices

Dices 2. Sacerdos qui peccatum suum accusare non potest nisi revelando personam & peccatum illius cujus confessionem sacramentalem excepit, non tenetur peccatum illud suum declarare, aliàs violaret confessionis arcanum; ergo pariter non tenetur pœnitens declarare peccatum, quod non potest declarari, quin persona criminis particeps statim cognoscatur.

Resp. nego paritatem. Disp. est, quia in nullo casu potest violari sigillum confessionis, cujus maxima debet esse religio & reverentia: è contra declarari potest & debet persona particeps criminis, cùm aliter integra non potest stare confessio.

Quæres 1. an criminis capitalis reus, Judici ex officio interroganti criminis socios aperire teneatur.

Resp. affirmativè: jus enim & auctoritas quæ est in Judice ad interrogandum, importat in reo legem ac necessitatem respondendi, & quidem ad mentem illius, nusquam enim mentiri licitum est: insuper tenetur quodlibet Reipublicæ membrum, ejus conservationi ac bono consulere, eosque pro virili arcere longiùs qui illud conturbant.

Quæres 2. an qui criminis non quidem particeps est, sed objectum seu occasio, sit quoque in confessione declarandus, quando sine illius declaratione confessio integra non foret. V. g. filius propinat venenum matri gravidæ ex illegitimo concubitu, ut fœtum extinguat; tenetur-ne declarare matrem ex illegitimo concubitu concepisse, & hanc fuisse criminis à se patrati occasionem?

Resp. affirmativè cum Soto, quia circumstantiæ hujusmodi gravitatem peccati imminuere, vel augere insigniter possunt.

## SECUNDA CONCLUSIO.

1 Criminis socium, vel simpliciter reum, in confessione declarare, propter solam aut pœnitentis, aut complicis, aut rei utilitatem, per se quidem licitum est: utrum verò expediat in praxi, generatim nec probamus, nec improbamus; sed ex subjectis circumstantiis judicabit vir prudens.

Tres sunt Conclusionis partes.

Prima pars, nempè licere pœnitenti propter suam propriam utilitatem criminis socium, vel simpliciter reum declarare, ut ab importunis ejus sollicitationibus seipsum liberet, ac peccandi occasionem fugiat, manifesta videtur: jus enim ipsum naturale dictat, ut quisque suæ consulat saluti, quamquam per accidens damnum alterius sequatur. Sic jussit Gregorius XV. Constitutione data an. 1622. ut Sacerdotes, qui in tribunali Pœnitentiæ ad inhonesta & turpia suos pœnitentes sollicitant, denuntientur ac declarentur locorum Ordinariis; gravi censura insuper notatis iis Confessariis, qui docuerint non teneri pœnitentes ad talem declarationem faciendam. Adversùs eosdem sollicitantes Constitutionem antea ediderat Pius IV. an. 1561. Quantà verò cautione ac prudentia debeant Superiores ejusmodi denuntiationibus faciles aures præbere, iisque habere fidem, demonstrant multa perditarum mulierum exempla, quæ aut ab aliis animo vindictæ conductæ, aut invidiæ stimulis agitatæ, aut desiderio emungendæ pecuniæ, viros pios & sanctos

Tom. 3. Bull. p. 318.

Tom. 2. Bull. p. 34.

ctos aliquando infamare conantur. Monet verò apposite sanctus Augustinus, Sermone 351. cap.4. aliàs Homilia ultima inter 50. loquens de hujusmodi delationibus, *multos Christianos propterea tacere & sufferre aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpè deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, Judicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim*, addit sanctus Doctor, *vera sint quædam; non tamen Judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur.* To.5.p. 1359.F

Secunda pars Conclusionis, nempè per se licitum esse pœnitenti, propter solam complicis utilitatem, crimen ipsius Sacerdoti manifestare, ut corrigatur & ad meliorem mentem adducatur, imò & peccata fratrum simpliciter denuntiare, probatur ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ ejusmodi delationem imperabat, impositis etiam pœnis adversùs eos qui fratrum peccata, quæ noverant, non accusabant. Ita jussit Heraclas, referente S. Dionysio Alexandrino, apud Eusebium Lib.7. Hist. c.7. ut Hæretici ad Ecclesiam redeuntes non priùs admitterentur, *quàm quæcumque ab adversariis audierant, palam exposuissent.* Pagina 253.D.

Multa in hanc rem exempla dabit Morinus L. 2. de Pœnitentia cap. 7. Unus hìc nobis sufficiat S.Augustinus Sermone 392. cap.4. aliàs Hom.49. inter 50. *Nolo*, inquit, *talem patientiam habeant Christianæ mulieres: prorsus zelent viros suos; non propter carnem suam, sed propter animas illorum. Omninò ergo moneo, ego præcipio, ego jubeo: Episcopus jubet, Christus in me jubet....Nolite viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico Judices publicos, non Proconsulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatores, sed Christum. In cæteris omnibus ancillæ estote virorum vestrorum, subditæ ad obsequium....Sed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos Apostolus æquavit, dicens, Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro.....clamate pro re vestra.* Tom 5. p.1505. B.C.

Sermone verò 16. de verbis Domini, nunc 82. qui totus est de correptione fraterna, modum præscribit sanctus Doctor, quo debeat proximi peccatum corripi & ad Ecclesiam deferri. Cap.8. *Novit*, inquit, *nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publicè corripere, at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo: corripio in secreto; pono ante oculos Dei Judicium; terreo cruentam conscientiam: persuadeo pænitentiam. Hac charitate præditi esse debemus...Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus; nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.* Ita S. Augustinus. Ibid. p. 444. F. Ibid.G.

Tertia pars Conclusionis probatur: Quia etsi, per se loquendo, licitum sit fratrum peccata in confessione accusare, tùm ad propriam, tùm ad illorum utilitatem; quia tamen in praxi nonnulla gravissima incommoda nasci possunt, idcircò diximus generatim, nos nec probare nec etiam improbare usum illum, sed prudentis esse judicare quibus in circumstantiis ille expediat. Incommoda porrò ista inter multa hæc duo sunt potissimùm. Primum, ne Fideles veniant in suspicionem, violari à Sacerdote confessionis sigillum, ex quo certè Pœnitentiæ tribunal odiosum maximè redderetur; quod profectò

malum

malum tanti est, ut quodcunque vel pœnitentis, vel complicis bonum ei cedere debeat. Secundum, ne fictis confessionibus & calumniis, quibus nonnulli perditi viros probos aliquando obtentu religionis & pietatis impetunt, locus & occasio detur.

De confessione moribundi non integra dicendi hìc locus esset : verùm commodior occurret infrà ad Quæstionem nonam, de illa disserendi occasio.

*De integritate confessionis ex parte ministri, ubi pœnitens casus habet reservatos.*

En casus. Titius commisit quædam peccata Superiori reservata: Superior ob legitimum impedimentum audire non potest integram Titii confessionem, sed ea dumtaxat peccata quæ sunt reservata: quæritur, potest ne Superior illa sola reservata peccata audire, de illis absolvere Titium, eumque remittere ad inferiorem Sacerdotem, ut ab eo cæterorum peccatorum absolutionem percipiat?

Respondent multi, & quidem graves Theologi, posse in adducto casu dimidiari confessionem, ita ut reservata Superiori, non reservata verò inferiori Sacerdoti declarentur, atque ex utraque partiali confessione & absolutione, unicum & integrum exurgere Sacramentum. Ita S. Antoninus parte 3. titulo 14. cap. 19. n. 6. Cajetanus verbo *Confessio*, conditione 10. Petrus Soto Lectione 10. De confessione, Navarrus in caput *Consideret* n. 12. Alensis 4. parte q. 77. membro 5. art. 2.

Respondent alii, quantùm fieri potest, consulendum esse integritati confessionis; atque ita in adducto casu, Superiorem debere integram pœnitentis confessionem excipere; aut si sola reservata peccata audire potuit, non debere eum ab illis absolvere, sed ad inferiorem mittere Sacerdotem, cui potestatem faciat absolvendi ab illis reservatis simul, & ab aliis peccatis, post factam eorum omnium sinceram & integram confessionem.

Quæres 1. Utrum qui habet casus reservatos possit priùs absolvi à non reservatis quæ confessus est, quàm remittatur ad Superiorem pro reservatis.

Resp. negativè, quia non potest unum peccatum sine alio dimitti, ut patebit ex dicendis inferiùs: unde Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 7. hoc unum injungit Sacerdotibus qui *nihil possunt in casibus reservatis, ut pœnitentibus suadeant, ut ad Superiores ac legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.*

To. 14. Conc. p. 820. C.

Quæres 2. Utrum Sacramentum Pœnitentiæ possit esse simul validum & informe; hoc est, suo effectu, remissione nimirum peccatorum, privari, eo modo quo Baptismus ficto datos, ratus quidem est & validus, sed informis sine gratia regenerante, propter pravam recipientis dispositionem.

Respondent affirmativè ex Theologis ii qui pro materia Sacramenti Pœnitentiæ assignant impositionem manus: ratum enim est Sacramentum quod debita constat materia & forma; informe verò si desit in pœnitente debita conditio, nempè vel integra confessio, vel contritio.

Respondent alii negativè: quia nempè cùm actus pœnitentis sint materia Sacramenti Pœnitentiæ, si actus illi ea qua par est ratione adsint, non tantùm validum est Sacramentum, sed & suum sortitur effectum; si verò aliquis essentialis actus desideretur, ne validum quidem est, cùm parte quadam essentiali frustretur.

Atque

Atque in eo statuunt discrimen Baptismatis & Pœnitentiæ, quòd Baptismi materia sit elementum ab actibus baptisandi prorsus distinctum, & quòd Baptismus etiam informis characterem imprimat; at non ita est in Sacramento Pœnitentiæ.

*De integritate confessionis ex parte temporis.*

Status quæstionis est, utrum integra censeri debeat confessio illius qui interpolatis temporibus confitetur.

Duplici autem modo contingere istud potest, ut rectè observat Maldonatus, Tractatu de Pœnit. cap. 4. Vel enim mutata est hominis voluntas intra diversum illud spatium temporis quo incępta est ac perfecta confessio, ita ut non amplius supponatur ille verum ac sincerum de peccatis suis dolorem retinere; vel non est mutata. Si prius, certum est integram non esse confessionem, nisi pœnitens ea rursus confiteatur peccata quorum deposuit dolorem, priusquam inchoatam confessionem absolveret: si verò per interpolationem temporis non mutetur propositum & voluntas confitentis, non tantùm integra est confessio, verùm etiam aliquo modo perfectior, quia majori cum consilio ac deliberatione fit, ac diutiùs perseverat is qui confitetur, in dolore, pœnitentia, & contritione. Ita Maldonatus. P. 284.

*De secreto confessionis, & confessione per Litteras.*

Secretum confessionis, quod sigillum solet appellari, spectari potest vel ex parte confitentis, vel ex parte ministri.

Ex parte confitentis, duo quæruntur. Primum, an publica peccatorum confessio in usu aliquando fuerit. Secundum, an confessio per Litteras, & absolutio absentibus data olim valuerit.

Ex parte verò ministri multa quæruntur circa sigillum confessionis, quæ distinctè & separatim à nobis sunt pertractanda.

*De secreto confessionis ex parte confitentis. An puplica confessio peccatorum in usu aliquando fuerit.*

Peccata vel sunt publica, vel planè occulta. De utrisque quæritur, fuerintne olim subdita legi confessionis publicæ: quæ quæstio cùm tota sit facti, ut dicitur, nonnisi claris & apertis Veterum testimoniis definiri potest.

Petavius in suis Animadversionibus ad hæresim 59. S. Epiphanii, observat discordes esse hac in re Theologos. *Fuere*, inquit, *qui nullum peccatorum genus à publicæ confessionis lege exciperent, ne occulta quidem..... Alii publica dumtaxat crimina, vulgoque cognita publicæ illi professioni subiecerunt. Alii denique certa dumtaxat ex omnibus à pœnitentiæ præsidibus delecta fuisse peccata publicè declaranda, contendunt. Rursus aliqui pœnitentes ipsos asserunt in concionem productos sua propalam peccata confessos: alii, quo illorum pudori consuleretur, eas partes Sacerdotibus demandandas putarunt, qui aut memoriter, aut ex scripto pœnitentium crimina in populum efferrent.* Ita Petavius, qui declarat se ab his omnibus vehementer dissentire. P. 245.

Morinus Lib. 2. cap. 9. & 10. fusè præsentem quæstionem tractat, ac docet

cet publica peccata legi confessionis & pœnitentiæ publicæ subdita fuisse; ita ut pœnitentiæ publicæ comes individua semper fuerit confessio publica. Ibidem probat, ex occultis peccatis certa quædam selecta fuisse ab Episcopis vel Pœnitentiariis, quæ jubebant à pœnitente publicè declarari. Hunc verò morem apud Antiquos usitatissimum, ab annis plusquam nongentis obsoletum jam fatetur.

Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. de confessione publica hæc habet, quæ sententiæ nostræ regula & norma esse debent. *Quoad modum con-* (To. 14. Conc. p. 819. A.) *fitendi secretò apud solum Sacerdotem,* inquit, *etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum; nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Ex quibus hæc tria colliges. Primum, aliquando justis de causis posse fieri publicam peccatorum confessionem. Secundum, illam divino mandato præceptam non esse. Tertium, non satis consultè humana aliqua lege præcipiendum iri, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione declaranda. His præsuppositis, mentem nostram sequentes aperient Conclusiones.

## PRIMA CONCLUSIO.

Confessio publica non semper comes fuit pœnitentiæ publicæ; nec ulla Ecclesiæ lege confessioni publicæ subdita fuere ea omnia peccata, quæ publica pœnitentia castigabantur.

Probatur 1. Quia ex Morino L. 5. c. 9. 10. & seq. peccata gravia, etiam occulta, subdita fuere laboribus pœnitentiæ publicæ: atqui nulla proferri potest Ecclesiæ lex, qua pœnitentes adigantur ad publicam confessionem peccatorum occultorum, *nec enim satis consultè*, ait Conc. Trid. *istud humana aliqua lege præciperetur*, ergo &c.

II. Ex eodem ibidem cap. 7. multi viri sancti solo animo pietatis publicis pœnitentibus se adjungebant, sine conscientia gravioris alicujus peccati, quod probat n. 7. exemplo Wambæ Gothorum & Hispanorum Regis, & Gaudentii Valariensis Episcopi: at ubi nullum crimen est, nulla illius publicè confitendi incumbit necessitas.

III. Denique, quia certa quædam erant peccata quæ Canones publicæ pœnitentiæ addicebant, & publicari simul seu declarari palam omninò prohibebant, ne fortè, si cognita fuissent, auctorem in periculum mortis aut gravioris alicujus damni adduxissent: tale est crimen adulterii & homicidii. Hoc (Ed. vet. To. 2. p. 771. B.) sensu S. Basilius in Epistola Canonica ad Amphilochium Can. 34. ait: *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, publicare quidem patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus: eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ:* hoc est, mulieres illæ in ultimo gradu pœnitentiæ, nempè consistentia, morabantur, nec adigebantur singulos gradus secundùm (Balz. p. 970. D.) præfinitum à Canonibus tempus, percurrere, ne fortè earum crimen detegeretur. *Qui enim*, ait Balzamon ad istum Canonem S. Basilii, *eas videret*

extra

*extra divinos Ecclesiæ ambitus stantes, vel etiam cum Catechumenis exeuntes, primo aspectu omninò intelligeret propter adulterii crimen eam illis esse pœnam injunctam, & fieret punitio causa mortis.*

Illæ porrò mulieres adulteræ publicam agebant pœnitentiam, non diffitente ipso Morino: si autem non tenebantur omnes illius gradus percurrere, ne forte inde venirent in suspicionem patrati criminis, quantò minùs obligabantur ad publicam criminis confessionem? Publica igitur confessio non semper, ex præscripto Canonum, conjuncta fuit cum pœnitentia publica.

Eadem est ratio homicidii voluntarii, cujus qui rei erant, ad publicam damnabantur pęnitentiam, sicut ex Can. 56. ejusdem Epistolæ S. Basilii manifestum est: suum tamen crimen palam & coram omnibus non tenebantur illi declarare, nisi fortè ipsius veniam ab Imperatore priùs obtinuissent, quàm pęnitentiæ laboribus fuissent addicti: aliàs gladio animadversum in eos fuisset, secundùm civiles Imperatorum leges. *Ed. vet. To. 2. p. 775. C.*

Dices: Exomologesis quæ toties in Scriptis Veterum occurrit, semper conjungitur cum laboribus pęnitentiæ publicæ, sicut facile est colligere ex testimoniis quæ suprà ad argumentum quartum pro demonstranda necessitate confessionis adduximus: & ipsemet S. Basilius mox citato Canone 56. de homicida, sic statuit, *Qui sua sponte interfecit, & posteà pænitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic dispensabuntur: Debet quatuor annis deflere stans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes rogans ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians &c.* En confessio publica juncta simul cum pęnitentia. Illa similiter mulier quæ à Marco præstigiatore corrupta fuerat, postquam ad Ecclesiam rediit, inter ipsos pęnitentiæ labores *per omne vitæ tempus crimen suum confessa est*, referente S. Irenæo L. 1. cap. 13. aliàs 9. Atqui exomologesis illa, ex dictis suprà, vera erat oralis confessio & quidem publica, pro conditione pęnitentiæ cum qua conjuncta erat; ergo &c. *Pagina 63. n. 5.*

Resp. nego min. Fatemur quidem exomologesim illam fuisse oralem confessionem; (quamquam sæpiùs totam significet pęnitentiæ actionem) at semper publicam illam fuisse, & à pęnitentia publica indivulsam, negamus: secreta quippè confessio, ut probatum anteà fuit, regula erat pęnitentiæ sive secretò sive publicè imponendæ. Unde meritò Veteres exomologesis simul & pęnitentiæ publicæ mentionem faciunt, non ea quidem de causa, quòd publica confessio semper annexa foret pęnitentiæ publicæ, sed quòd publicæ pęnitentiæ semper prævia erat confessio, quam aliquando publicam fuisse ex consilio Sacerdotis non negamus. Exempla hìc & superiùs adducta non urgent: demonstrant illa quidem invictè, antiquum fuisse confessionis usum; at publicè eam semper factam fuisse non demonstrant, nisi saltem cùm publica erant & omnibus nota pęnitentium peccata.

Homicida in citato Canone S. Basilii dicitur iniquitatem suam pronuntiare generatim tantùm, non verò distinctè; hoc est, se maximi criminis reum declarasse, ut opem & preces Fidelium imploraret: at illum distinctè declarasse se reum esse homicidii, adduci non possum ut credam, propter gravissimum vitæ periculum quod ex tali declaratione incurrisset, nisi fortè veniam illius à Principe obtinuisset, quo casu distinctè crimen illud confiteri poterat palam & publicè. Mulier pariter, de qua S. Irenæus, omni vitæ tempore crimen

suum

suum confessa dicitur, non orali confessione; ad quid enim toties repetita criminis ejusdem confessio? sed ipsa pœnitentiæ actione, quæ continua & ad finem usque vitæ quædam fuit patrati criminis professio. Quòd si exempla illa de publica confessione interpretari malueris, pugnaciter non renuemus; modò addas, non ex communi Ecclesiæ lege ac necessariò editam fuisse ejusmodi publicam confessionem, quoties agebatur pœnitentia publica, sed liberè, ex consilio dumtaxat Sacerdotis; præsertim cùm secreta erant & occulta peccata.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Publicorum peccatorum publicam aliquando fuisse confessionem, vetera ostendunt monumenta.

Probatur iis exemplis & factis historicis quæ ex S. Irenæo & Eusebio antea laudavimus in quarto argumento pro demonstranda ex Traditione Ecclesiæ necessitate confessionis sacramentalis, quibus & alia hujus ordinis non pauca addere poteris, quæ suppeditabit Morinus Lib. 2. cap. 9. & 10.

An verò ex præscripto Canonum ac vulgata lege necesse foret publica peccata publicè confiteri, non audemus definire; neque enim res illa nobis satis explorata & certa videtur.

## TERTIA CONCLUSIO.

Nulla unquam Ecclesiastica lege imposita fuit necessitas publicè declarandi occulta peccata.

Probant aliqui ex Tertulliano Lib. de Baptismo cap. 20. ubi ait, *gratulandum nobis esse, si non publicè confiteamur iniquitates aut turpitudines nostras*. Verùm agere eò loci Tertullianum, de baptisandis, non de lapsis post Baptismum, de quibus dumtaxat loquimur, vel ipse contextus demonstrat.

*Pagina 232. B.*

Probatur itaque 1. auctoritate Concilii Tridentini jam citata Sess. 14. c. 5. ubi ait, *non satis consultè humana aliqua lege preceptum iri, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda*. At Ecclesia sancta & impolluta, cui omnibus diebus semper adest Spiritus sanctus, nihil potest inconsultè, nihil intempestivè ac imprudenter præcipere; nulla ergo lege sancivit unquam, ut occulta peccata publica confessione aperirentur.

Probatur 2. ex Can. 34. Epistolæ S. Basilii, quo prohibet ne adulterium mulierum publicetur & palam evulgetur: verba laudavimus Conclusione prima.

*Ed. vet. To. 2. p. 771. B.*

Idem sanctus Doctor in Regulis brevioribus, interrogatione 229. quærit, *an oporteat vetitas actiones citra verecundiam omnibus detegere, aut aliquibus dumtaxat, & quinam hi sint*. Respondet verò, *servandam esse rationem eandem in peccatorum confessione, quæ in detegendis corporis morbis adhibetur*. *Quemadmodum igitur*, inquit, *corporis morbos non omnibus patefaciunt homines, neque quibusvis, sed iis qui horum curandorum periti sunt: ita fieri quoque debet peccatorum confessio, coram iis qui curare hæc possint*. Non censet igitur sanctus Doctor, peccata occulta promiscuè palam & coram omnibus esse declaranda.

*Ed. recent. T. 2. p. 492. B. C.*

Proba-

Probatur 3. ex Sozomeno Lib. 7. Hist. c. 16. ubi referens historiam mulieris illius cujus crimen cum Diacono evulgatum fuerat, ait, *grave ac molestum ab initio jure merito visum esse Sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque* (pergit ille) *ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur*. Si verò mos fuisset publicè declarandi peccata etiam occulta, ad quid taciturnitas illa & prudentia requisita in Sacerdote qui excipit Fidelium confessiones? *Pagina 726. C.*

Probatur 4. ex S. Leone Epistola 136. aliàs 18. cap. 2. ubi abusum qui irrepserat, publicè aliquibus in locis confitendi peccata occulta, severè reprimit & damnat. *Illam etiam*, inquit, *contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur: cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo; ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possint Legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Ita S. Leo, qui & auctoritate sua abusum rejicit, quem ait Apostolicæ regulæ contrarium, & incommoda gravissima illius publicæ confessionis subindicat. *To. 1. p. 719.*

Probatur denique iis omnibus Veterum testimoniis quibus, suprà agendo de necessitate confessionis, argumento 1. ex Traditione ostendimus, perpetuum semper fuisse ac constantem in Ecclesia secretæ seu auricularis confessionis usum. Consule.

Dices 1. Exempla confessionis publicæ quæ Conclusione secunda indicavimus, videntur esse peccatorum occultorum, nempè adulterii, fornicationis, & aliorum hujusmodi, quæ certè in occulto committuntur.

Resp. vel illa peccata occulta planè non fuisse, sed multis perspecta & probata, sive ex libera rei confessione, sive ex delatione aliorum, sive quocunque ex alio capite. Sic publicum & omnibus cognitum fuit facinus earum mulierum quæ à Marco seductæ fuerant; cognitum pariter flagitium mulieris illius cum Diacono, quod narratur à Socrate & Sozomeno; pariter publica erat defectio Hæreticorum ab Ecclesia. Vel si peccata illa occulta omninò fuisse contenderis, dicemus liberam fuisse eorum confessionem, ex consilio dumtaxat Sacerdotis, vel ex pietate & zelo pœnitentis factam, non verò ex necessitate, ac præscripta per Ecclesiam lege.

Dices 2. Nisi supponatur extitisse olim Ecclesiæ legem, quæ adigebat pœnitentes ad publicam occultorum peccatorum confessionem, quorsum illam confessionem ex verecundia & pudore, tanquam sui publicationem, pœnitentes refugissent? Quorsum illæ tam frequentes ac vehementes SS. Patrum conciones, quibus adhortantur peccatores, ut postposita illa verecun-

dia ac præpostero pudore, audacter occulta sua crimina foras proferant ac declarent; nec fratrum suorum oculos atque conspectum pertimescant, nec eos imitentur, qui cùm in occultis corporis partibus morbum contraxerint, nolunt medico eum aperire, & ita cum sua erubescentia pereunt? Hæc & multa alia legi possunt apud Tertullianum L. de Pœnit. c. 10. & 11. S. Cyprianum Tractatu de lapsis, S. Pacianum Parænesi ad Pœnitentiam, S. Ambrosium L. 2. de Pœnit. c. 10. verba suppeditat Morinus L. 2. c. 10.

Resp. ea omnia apposité dicta fuisse à SS. Patribus adversùs timidos & ignavos peccatores, qui vel apud Sacerdotem privatim sua confiteri peccata recusabant, sive ex pudore & verecundia, ut sæpè contingit, sive ex timore pœnæ subeundæ, sive ex proposito permanendi in iisdem peccandi occasionibus; vel etiam publicam subire pœnitentiam, pro more illorum temporum, refugiebant, *quam*, inquit Tertullianus, *plerique ut publicationem sui*
Pagina *aut suffugiunt, aut de die in diem differunt*. Non ergo ad confessionem publicam
127. B. potius quàm ad secretam ista pertinent. Unde S. Pacianus in citata Parænesi dicebat: *Quid facis tu, qui decipis Sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut*
Bibliot. *non ad plenum scientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, eti-*
PP. T. *am pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vul-*
4. pag. *neratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis*
316. F. *quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos.*

To. 1. p. Dices 3. Origenes Hom. 3. in Leviticum ait, *in omni genere pronuntianda*
70. L. *esse peccata, & in publicum proferenda cuncta quæ egerimus: si quod in occulto gerimus, si quid in sermone solo vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.*

Resp. Origenem eò loci hortari peccatores ad exteriorem peccatorum confessionem, non quidem indiscriminatim & coram omnibus promiscuè faciendam, sed coram prudente ac perito Sacerdote, quem docet inter multos esse *cautè* seligendum: in publicum ergo *proferre peccata*, idem est apud Origenem, ac exteriùs proferre, seu, ut ait Hom. 2. in Psalm. 37. *non ce-*
Ibid. p. *lare intrinsecus*. Vide quæ suprà diximus ad primum argumentum ex Tra-
298. E. ditione pro demonstranda necessitate confessionis.

## QUARTA CONCLUSIO.

Ex consilio prudentis Sacerdotis inter occulta peccata quædam aliquando selecta fuisse quæ pœnitens publicè aperiret, vetera nonnulla ostendunt monumenta.

Probatur ex Origene Hom. 2. in Psalmum 37. ubi postquam admonuit cautè seligendum esse Sacerdotem apud quem peccata deponamus, hæc addit: *Si quid ille dixerit, qui se priùs & eruditum medicum ostenderit & mise-*
Ibid. *ricordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris. Si intellexerit, & prævideris talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis periti medici illius consilio procurandum est.*

Idem insinuare videtur S. Augustinus Serm. 351. aliàs Hom. 50. inter 50. ubi postquam dixit debere peccatorem venire ad Antistites Ecclesiæ à quibus satis-

satisfactionis modum accipiat, sic pergit: *Id agat quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videatur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset.* Tom. 5. p. 1359. C. D.

Idem denique colligi potest ex Sozomeno L. 7. Hist. c. 16. ubi de Presbytero Pęnitentiario dicit: *Ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille verò pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat confitentes.* Pagina 726. D. Conjiciunt verò multi, ex consilio illius Pęnitentiarii, aut saltem ex quodam inconsulto zelo, matronam illam nobilem, cujus ibidem historiam narrat, publicè suum cum Diacono facinus evulgasse, *longiùs in confitendo progressam*, ut legunt nonnulli apud Socratem L. 5. c. 19. Verùm observat Petavius in notis ad S. Epiphanium hæresi 59. verba Socratis non satis accuratè reddi; nec legendum, mulier *longiùs in confitendo progressa*, sed simpliciter, mulier *longiùs progressa*, hoc est diutiùs & seriùs in Ecclesia, occasione pœnitentiæ quam agebat, commorata, facinus commisit cum Diacono; quod crimen publicè cognitum & evulgatum fuisse, demonstrat gravis, quæ inde suborta est Fidelium offensio, quæ locum dedit abrogando illi Pœnitentiario, ut antea diximus.

### *De confessione per Litteras, & absolutione absentibus data.*

Duplex hic occurrit solvenda quæstio, una juris, altera facti.

Juris quæstio est, utrum confessio per Litteras absenti Sacerdoti facta, & absolutio ab eo missa ad pœnitentem absentem, sit contra naturam & institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, ita ut defectus præcisè compræsentiæ ministri & pęnitentis, nullum & irritum faciat Sacramentum. Affirmant nonnulli Theologi post S. Thomam in 4. dist. 17. qu. 2. art. 4. ubi ait, *in extrema necessitate utilius esse confiteri laico præsenti, quàm Sacerdoti absenti*.

Negat Morinus cum aliis benè multis quos appellat L. 8. de Pęnit. c. 25. ubi observat præsentem quæstionem sub duplici temporis ratione considerari posse, scilicet vel ante Decretum Clementis VIII. datum die 20. Julii anni 1602. quo ejusmodi confessionem per Litteras factam, & absolutionem absentibus missam prohibet ac damnat; vel post istud Decretum. Ante prohibionem Clementis VIII. & validum & licitum fuisse Sacramentum Pęnitentiæ inter absentem ministrum & pęnitentem per Litteras confitentem, pluribus ille factis historicis demonstrare nititur; at verò post Decretum Summi illius Pontificis, planè negat aut validum esse aut licitum, vel confiteri per Litteras, vel absolvere absentes. Illicitum quidem illud jam esse, omnes consentiunt; an verò irritum quoque sit & nullum Sacramentum, nonnulli dubitarunt aliquando, rati S. Pontificem de licito vel illicito duntaxat pronuntiasse, non verò de valido aut invalido. Ita Isambertus noster disput. 18. de Pęnit. art. 6. qui, *attentiùs consideratis*, inquit, *tùm institutione Sacramenti, tùm praxi universalis Ecclesiæ, tùm veritate verborum formę quibus hoc Sacramentum perficitur*, suam subinde mutavit sententiam. Tom. 6. p. 155. n. 2. B.

Sunt etiam qui contendunt Decretum Clementis VIII. non esse divisivè, sed collectivè & complexè sumendum: hoc est, damnari ab illo, non confes-

 sionem

ſionem factam ſimpliciter per internuntium aut interpretem, ſed quatenus illa jungitur cum abſolutione, quam Sacerdos mittit ad abſentem pœnitentem. Ita Suares diſput. 21. ſect. 4. n. 10.

Quæſtio verò facti eſt, utrum olim ante prohibitionem Clementis VIII. valuerit tùm confeſſio facta per Litteras abſenti Sacerdoti, tùm abſolutio miſſa per Sacerdotem ad pœnitentem abſentem. Valuiſſe contendit Morinus loco citato. Quæ noſtra ſit de propoſita quæſtione mens atque ſententia, patebit ex ſequentibus Concluſionibus.

## PRIMA CONCLUSIO.

Si ſola ſpectetur natura & inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ, non videtur jure divino irrita ſive confeſſio facta per Litteras aut per internuntium abſenti Sacerdoti, ſive abſolutio ab eo miſſa ad pœnitentem abſentem.

Probatur, quia nullum ſatis firmum deduci poteſt argumentum ex natura & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ.

Non ex generali ratione Sacramenti novæ Legis: namque Matrimonium verum eſt novæ Legis Sacramentum, quod tamen inter abſentes validè contrahitur.

Non ex ſpeciali natura & conditione Sacramenti Pœnitentiæ: unde enim haberet ut inter abſentem miniſtrum & pœnitentem non poſſet validè perfici?

An ex eo quòd Sacramentum illud per modum Judicii adminiſtretur? at verum Judicium ferri poteſt in abſentes, ut patet exemplo ſententiæ excommunicationis quæ in abſentes pronuntiari validè poteſt: modò enim perfecta, quantùm fieri poteſt, habeatur cauſæ cognitio, poteſt Judex ſententiam etiam in abſentes dicere.

An quòd non poſſit Sacerdos abſentis pœnitentis diſpoſitionem ſat certò exploratam habere, atque periculum eſſe poſſit, ne cùm abſolvit hominem, mutatus ſubinde fuerit ejus affectus, nec ampliùs idoneus percipiendo Sacramento?

Verùm in hacce cauſa non major, quàm moralis requiritur certitudo: poteſt verò Sacerdos per Litteras vel per internuntium moraliter certus eſſe de diſpoſitione pœnitentis, ut patet tùm exemplo moribundi quem Sacerdos abſolvit, poſtquam intellexit ex aliorum teſtimonio, poſtulatam ab ipſo fuiſſe pœnitentiam, & data contritionis aliqua ſigna; tùm exemplo eorum qui abſentes Matrimonium contrahunt: quamquam enim abſolutè potuerit mutari tùm illius pœnitentis, tùm illorum contrahentium animus, præſumi tamen debet non mutatus, & Sacerdos prudenter & abſolvit pœnitentem, & conjungit abſentes.

An denique iſtud haberet ex ratione ſpeciali verborum quibus conſtat forma Sacramenti Pœnitentiæ, v. g. quòd verba debeant ad præſentes dirigi: quòd verbum iſtud, *abſolvo*, exigat præſentiam illius qui abſolvitur, præſertim cùm adjunctum habet pronomen *te*? Verùm quàm iſta levia ſint & planè infirma, patet vel ipſo Sacramenti Matrimonii, quod inter abſentes celebratur, exemplo: verba enim formæ quibus Sacerdos dicit, *Ego vos conjungo &c.* diriguntur ad abſentes; nec magis verbum, *abſolvo*, & pronomen *te* in

*te* in forma Pœnitentiæ, necessariò præsentiam exigit rei qui absolvitur, quàm in absolutione ab excommunicatione, quæ potest ad absentem dirigi.

Ratio à priori hæc est, quòd in Sacramentis quorum materia in aliquo morali posita est, necesse non sit, ut forma materiæ correspondens significet subjectum præsens, quia nempè suam practicam significationem perfectam & integram habet etiam in absentes: porrò & Matrimonii, & Pœnitentiæ materia in re morali reponitur.

Non ita est in aliis Sacramentis, quorum materia est aliquod elementum vel res physica, v.g. aqua in Baptismo, & oleum in Confirmatione: cùm enim illa perficiantur per physicam materiæ & formæ applicationem ad subjectum, necesse est illud esse præsens; aliàs nec materia applicari, nec forma suam habere posset significationem & veritatem. Qua enim veritate diceret Sacerdos, *Ego te baptiso*, nisi reipsa aquam in hominem præsentem infunderet? Quomodo diceret Episcopus, *Ego te confirmo*, nisi præsens adesset ille quem oleo inungit? Atque ita refutata manent maxima ex parte, quæ Suares & Isambertus ex natura & institutione Sacramenti Pœnitentiæ adversùs Conclusionem nostram objiciunt.

Diximus in Conclusione, si sola spectetur natura & institutio Sacramenti Pœnitentiæ, seclusa Ecclesiæ prohibitione &c. Namque patebit ex tertia Conclusione, Ecclesiam hanc à Christo accepisse auctoritatem, ut in administratione Sacramentorum, quorum materia in re morali consistit, certas apponere possit conditiones, quibus reddat vel ministrum vel recipientem inhabilem aut ad ministrandum aut ad recipiendum Sacramentum, illæsa remanente substantia Sacramenti à Christo instituta. Sic inhabiles declaravit ad contrahendum Matrimonium, eos qui clam contrahere illud tentarent: sic inhabilem facit Sacerdotem ad absolvendum à peccatis, nisi sit ab Episcopo approbatus &c.

Dices cum Isamberto disput. 18. art. 6. Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 2. ait voluisse Christum, ut qui post Baptismum peccarunt, ante tribunal Pœnitentiæ se tanquam reos sistant: at verba hæc, *sistant se*, ait Isambertus, in propria significatione forensi significant corporalem præsentiam, quod probat ex Lib. 2. Digesti titulo 11. paragrapho *Si quis*.

Resp. in tribunali Pœnitentiæ & foro conscientiæ verba hæc, *sistant se*, nihil aliud significare, quàm ut peccatores confugiant ad tribunal Pœnitentiæ: qui verò absentes sunt ac per Litteras confitentur, & se clavibus Ecclesiæ subjiciunt, ii verè confugiunt ad tribunal Pœnitentiæ. Neque hìc rigidè urgenda significatio verbi, *sistere se*, quæ obtinet in usu fori civilis; nemo enim ignorat quàm latum sit discrimen inter tribunal forense ac civile cui reus denuntiatus sistere se præsentem tenetur, & tribunal Pœnitentiæ. In priori enim reus corporaliter præsens esse debet, ut in cute sua pœnam à Judice latam ferat: at nihil tale occurrit in tribunali Pœnitentiæ, quod totum intra conscientiæ arcana peragitur summa cum libertate.

Instabis cum eodem. Ex cap. *Quem pœnitet*, de pœnitentia, distinctione prima apud Gratianum, *peccata confitenda sunt corporali præsentia: non per nuntium, non per scriptum manifestanda; sic enim præcepit Christus*. Quæ verba ex S. Augustino decerpta sunt.

Resp. deceptum esse Gratianum: neque enim verba hæc leguntur apud S. Au-

S. Augustinum; excerpta quidem sunt ex Libro de vera & falsa religione, qui genuinus non est S. Doctoris fœtus.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Utrum ante prohibitionem Clementis VIII. licitum aliquando fuerit absenti ministro per Litteras confiteri, & ab eo absolvi, resplanè incerta, nec satis firma veterum exemplorum auctoritate confirmata nobis videtur.

*Morin. p.570.* Probatur strictim percurrendo exempla vetera quæ adducit Morinus Lib.6.cap.25.& quæ viris aliunde oculatis ac maximè perspicacibus decretoria visa non sunt.

*Euseb. p.246.* Primum exemplum est famosi illius Serapionis apud Euseb.Lib.6.Hist.c.44: Ille morti proximus advocavit unum ex Presbyteris, ut ab eo absolutionem & Eucharistiam perciperet: præ infirmitate verò qua detinebatur Sacerdos non potuit venire, sed per puerum misit & absolutionem & Eucharistiam. En, inquit Morinus, absolutio missa ad absentem.

At in tota Eusebii narratione mentio non fit sacramentalis absolutionis, sed unius dumtaxat Eucharistiæ, qua Serapio inter publicos pœnitentes stadium suum decurrens privatus fuerat, sed quam morientibus dandam esse jusserat Dionysius Alexandrinus.

Igitur nec Serapio per internuntium confessus est, nec sacramentaliter absolutus, sed Eucharistiam dumtaxat pueri ministerio ad se delatam, simul & reconciliationem canonicam ac ceremonialem accepit: nihil amplius ex narratione Eusebii extundi potest.

*Douzi vicus Campaniæ propè Sedanū Diœcesis Remensis. Tom.3. Conc. Gall.p. 706.* Secundum exemplum colligit ex Concilio Duziacensi sub Joanne VIII. an.872. ubi Robertus Cenomanensis Episcopus graviter ægrotans, & morti, ut credebatur, proximus, Concilii Patribus à se per 20.milliaria gallica dissitis scripto peccata confitetur, & ab iis absolvitur *per Ecclesiasticam Apostolicæ auctoritatis potestatem*, inquiunt Concilii Patres, *quam Dominus noster Jesus Christus tradidit Discipulis & Apostolis suis dicens, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* quæ certè verba indicant sacramentalem absolutionem.

Similem absolutionem refert ab Hincmaro Archiepiscopo datam Hildebaldo Suessionensi Episcopo ægrotanti, eamque per Litteras expostulanti.

Verùm istam, tùm confessionem Roberti, tùm absolutionem sacramentalem fuisse non demonstrat Morinus. Et certè 1. confessio illa dumtaxat generalis fuit, non verò specialis de singulis peccatis, qualem exigit Pœnitentiæ Sacramentum. 2. Dici non immeritò potest, absolutionem ab Episcopis Concilii Duziacensis missam ad Robertum, vel fuisse dumtaxat à censuris & pœnis canonicis, vel generalem tantùm & ceremonialem, qualis illa est, quæ fit à Sacerdote in Missæ Introitu, & ab Episcopis feria quinta majoris hebdomadæ, qualem in Ordine Cisterciensi Superior dat suo Religioso moribundo, quæ appellatur *absolutio Ordinis*, quæ profectò species absolutionis verè sacramentalis non est, *sed de eorum genere*, inquit Isambertus,

*To.6.p. 158.n.8.* *quæ à Theologis Sacramentalia vocantur*. Nec obstat quòd dicatur ejusmodi absolutio data pro auctoritate quam Christus dedit Ecclesiæ, ligandi vel solven-

vendi &c. namque & absolutio ab excommunicatione ac censuris ad hanc quoque auctoritatem revocatur, neque tamen semper sacramentalis est.

Ejusdem planè fuit conditionis absolutio quam Hincmarus absenti Hildebaldo misit: hortatur enim ipsum, teste Sirmondo in notis ad tertium Tomum Conciliorum Galliæ, ut specialiter Sacerdoti sua peccata confiteatur: *Bonam tuam devotionem commoneo*, inquit, *ut præter istam generalem confessionem, quæ ab ineunte ætate usque ad horam in qua nunc degis te commisisse cognoscis, specialiter ac sigillatim Deo & Sacerdoti satagas confiteri*. At si prior confessio generalis & absolutio fuisset verè sacramentalis, necesse non fuisset iterum speciatim confiteri apud Sacerdotem.

Tertium exemplum est Potamii Bracarensis Episcopi qui ad Patres Concilii X. Toletani scripto confessionem suam misit.

Verùm exemplum istud, vel ipso judice Morino, non est ad rem nostram: ipse siquidem Potamius Concilio præsens, ore confessus est, quod scripto declaraverat; neque præsenti, neque etiam absenti concessa fuit absolutio eo in Concilio; sed statim depositus est, ac perpetuæ pœnitentiæ addictus, alio in ejus locum subrogato Episcopo.

Quartum exemplum petit ex Gregorio VII. S. Pontifice, qui sæpius ad absentes absolutionem misisse legitur. Ita Epistola 34. Libri 1. Episcopum Lincolniensem in Anglia; Epistola 61. Lib. 2. Episcopum Leodiensem, & Epistola 2. Lib. 9. Alphonsum ejusque proceres absolvit à peccatis. *To. 10. Conc. p. 33. 114. & 275.*

Verùm ipsemet Morinus L. 10. cap. 22. n. 6. responsionem ad hujusmodi facta suppeditat: nimirum SS Pontifices à censuris dumtaxat & pœnis canonicis absolvere absentes, & ipsis indulgentias quasdam concedere; quæ absolutio nonnunquam simpliciter dicitur esse à peccatis, quia censuræ illæ & pœnæ canonicæ sunt peccatis addictæ. *Meritò*, inquit Morinus, *SS. Pontifices; licèt sint absentes, licèt peccatorum confessionem non audierint, peccata dicuntur absolvere & remittere, cùm indulgentiam concesserint, cujus virtute Pœnitentia canonica expungitur, & ea prætermissa absolutio conceditur, vimque suam omnem exerit*. Et certè in laudatis à Morino exemplis, nulla fit mentio confessionis editæ ab illis quos S. Pontifex absolvit; ac verisimile non videtur, voluisse S. Pontificem sacramentaliter absolvere eos, quorum sacramentalem confessionem non exceperat. *P. 775.*

Quintum exemplum est S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, qui cùm strenuè, ut cœperat in Concilio Clarendonensi, jura Ecclesiastica non defendisset, ac Henrico II. Anglorum Regi molliter assentatus fuisset, peccati veniam & absolutionem petiit ab Alexandro III. S. Pontifice, quam obtinuit.

Verùm S. Pontifex absolvit dumtaxat S. Thomam, vel à suspensione, quam sibi ipsi imposuerat, ne Sacrum faceret, vel à pœnis canonicis: unde illum admonet, ut si quid *commisit de quo propria conscientia debeat remordere, illud Sacerdoti qui discretus sit & providus, confiteatur*. *To. 10. Conc. p. 1430. E.*

His exemplis addi potest auctoritas eorum Theologorum qui, referente S. Antonino 3. parte titulo 14. cap. 19. & titulo 17. cap. 12. in Concilio Basileensi interrogati de absolutione data à Sacerdote non habente jurisdictionem, responderunt, posse illum, impetrata postmodum facultate, pœnitentem, ubicunque fuerit, absolvere.

Addi quoque potest, quod refert Morinus ex Harmenopolo sectione 5. titu-

titulo 3. Epitomes Canonum, in Scholio ad 54. Canonem S. Basilii, nimirum, Episcopum quemdam sub Luca Patriarcha, militi cuidam, qui cædem voluntariam commiserat, intra perexiguum tempus absolutionem per scriptum concessisse.

Denique addi potest exemplum S. Pauli, qui Corinthium incestuosum absens absolvit. 2. Corinth. 2. v. 10.

Verùm ista non urgent.

Non primum, quia rem nudè narrat S. Antoninus, nec ait probatam fuisse eorum Theologorum responsionem atque sententiam; nihil ergo certi concludi inde potest, quod unum volumus.

Non secundum, quia non constat num Episcopus ille præsens militem præsentem antea absolvisset, cujus absolutionem scripto confirmari voluit: qua verò de causa, incertum planè est.

Non denique tertium, tùm quia absolutio illa si fuit à sola pœna exteriori seu ab excommunicatione, ut multis placet, potuit absenti indulgeri: si verò fuit sacramentalis à culpa remissio, dici non immeritò potest, eam à ministris præsentibus datam fuisse, quam absens Paulus ratam habuit & confirmavit. Istud innuere videtur S. Paulus v. 10. *Cui autem*, inquit, *aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.*

## TERTIA CONCLUSIO.

**Clemens VIII. Decreto suo anni 1602. non tantùm illicitam, sed etiam invalidam declaravit tùm confessionem per Litteras, tùm absolutionem absentibus datam.**

Probatur ex ipso Constitutionis Clementis contextu datæ an. 1602. die 20. Julii. *Sanctissimus D. N. D. Clemens VIII. &c. auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus maturè ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet, licere per Litteras seu per internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minùs uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit ac prohibuit. Præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisque Lectionibus, Concionibus & Congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.* Eo verò Decreto non tantùm illicitam, sed etiam invalidam & nullam declarari confessionem & absolutionem inter absentes, vel hoc unum maximè suadet, quòd S. Pontifex nullum prorsus, nequidem extremæ necessitatis casum excipiat, quo quæ sunt valida, licita fiunt, urgente scilicet charitatis præcepto, de procuranda quantùm fieri potest salute proximi, per media à Christo instituta. Cùm ergo S. Pontifex casum illum extremæ necessitatis non excipiat, imò prohibeat ne prædicta propositio aliquo in casu tanquam probabilis defendatur, certè mens ejus hæc fuisse videtur, nimirùm confessionem & absolutionem hujusmodi & illicitam & invalidam omninò habendam esse.

Tom 3. Bull. R. p. 98.

Dices: Quæ ex institutione Christi rata & valida sunt, ea non potest S. Pontifex, imò nec Ecclesia universa, irrita & nulla declarare; nihil quippè potest

potest Ecclesia in substantiam Sacramentorum: atqui ex dictis Conclusione prima, Sacramentum Pœnitentiæ ex sua natura & institutione Christi valet inter absentes.

Resp. dist. maj. Ea non potest Ecclesia irrita & nulla declarare, mutando materiam à Christo institutam, & aliam substituendo, concedo: imponendo aliquas conditiones & leges quibus vel ministros, vel suscipientes inhabiles efficiat ad ministranda vel suscipienda Sacramenta, nego. Distinguo minorem ad sensum majoris. Quamquam igitur non possit Ecclesia mutare Sacramentorum substantiam à Christo institutam, potest tamen pro auctoritate à Christo accepta certas apponere leges & conditiones in administratione Sacramentorum, quorum materia in aliquo morali posita est, quarum omissio inhabiles reddat vel ministros vel Fideles ad Sacramenta ministranda aut percipienda: cujus quidem auctoritatis illustre argumentum habemus in duplici Sacramento, Matrimonii nempe & Pœnitentiæ. In priori enim, quamquam Christus institutione sua voluerit ut mutuus contrahentium consensus sit legitima hujus Sacramenti materia, illam nihilominus ita subjecit politiæ & legibus Ecclesiæ, ut ab illis pendeat, & inhabiles sint ad contrahendum Matrimonium qui leges illas non observant: sic invalidè contrahunt, qui clam & sine præsentia Parochi ac duorum testium contrahere jam præsumunt. Pariter, etsi Sacerdos quilibet in Ordinatione sua accipiat potestatem absolvendi à peccatis, nonnullas tamen conditiones præscripsit Ecclesia, quas nisi Sacerdos habuerit, inhabilis est ad absolvendum: v. g. nisi approbatus fuerit ab Episcopo, nisi jurisdictionem acceperit &c. Ita quoque judicandum de confessione & absolutione inter absentes: etsi enim ipso jure divino irritæ & nullæ non sint, Ecclesia præsentiam ministri & pœnitentis ita necessariam esse voluit, ut ejus defectu declaret inhabiles, & ministros ad absolutionem conferendam, & Fideles ad sacramentalem peccatorum confessionem faciendam.

## QUARTA CONCLUSIO.

Clementis VIII. Decretum & divisivè & collectivè intelligendum est, ita ut damnet aut confessionem factam absenti per Litteras & internuntium, aut absolutionem datam absentibus, & utramque simul.

Probatur ex ipsa Declaratione Clementis VIII. qui, referente Petro Lombardo Archiepiscopo Armacano, Epistola data ad Ægidium Coninc die 6. Junii an. 1624. in Congregatione Inquisitionis Romanæ declaravit, seutramque adductæ propositionis partem divisim damnasse ac prohibuisse, & contrariam interpretationem in prædicta Congregatione rejectam fuisse. Illius Epistolæ exemplar refert dictus Coninc, in Libello apologetico qui inscribitur, *Responsio ad Dissertationem impugnantem absolutionem moribundi sensibus destituti*.

II. Paulus V. die 14. Julii an. 1605. idem declaravit, ac contrariam Suaris expositionem damnavit, jussitque expungi ex Tomo ipsius 4. in 3. partem S. Th. sectione 4. disp. 21.

Dices: Valet absolutio data moribundo, cujus confessionem, aut potius confes-

confessionis desiderium nonnisi per testes Sacerdos cognoscit: at eo in casu confessio fit absenti per internuntium.

Resp. 1. prohibitionem S.Pontificis Clementis spectare dumtaxat modum communem & ordinarium quo fit confessio, non verò casum illum singularem& extremæ necessitatis, in quo non tam confessio fit, quàm ipsius desiderium declaratur, quod desiderium pia mater Ecclesia in extrema necessitate sufficere judicat, ut absolutionis beneficium impendatur. Unde, referente eodem Armacano, Clemens VIII. expresse viva voce declaravit, se non damnasse confessionem hujusmodi. Idem testantur Bellarminus & Bajus Lovaniensis, Franciscus Florentinus & Leonardus Lessius.

Resp. 2. cum Isamberto, in adducto casu quodammodo per testes præsentem fieri moribundum Sacerdoti, cùm suum de peccatis dolorem ac confessionis desiderium significat; hæc enim moraliter perseverare censentur, cùm adest Sacerdos à quo absolvitur moribundus.

## *De secreto confessionis ex parte ministri, seu de sigillo.*

Secretum confessionis vulgò sigillum appellatur, metaphora ducta à sigillo quo claudi solent & obsignari quæ secreta esse debent.

Circa sigillum illud confessionis hæc expendi solent à Theologis.

I. quo jure necessarium sit.

II. quàm arcta sit ejus lex & obligatio.

III. quæ sit ejus materia.

IV. quas personas obliget.

V. quæ pœnæ sint à Canonibus decretæ adversùs infractores sigilli confessionis.

## *Quo jure necessarium sit confessionis sigillum.*

Communis est Theologorum sententia, triplici jure, naturali, divino, & ecclesiastico necessarium esse confessionis sigillum.

Probat auctoritate sua & rationum momentis Synodus Senonensis anno 1524. apud Bochel Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ Lib. 2. pag. 241. *Obligantur*, inquit, *Sacerdotes omnes & singuli triplici jure, videlicet naturali, divino & humano, celare peccata quæcunque revelata & dicta in confessione sacramentali, quæ tanto & tali debet claudi sigillo secreti, ut nullo casu, nec verbo, nec signo, aliqualiter reveletur, aut revelari existimetur. Peccat enim graviter, primò contra jus naturale, Sacerdos qui revelat peccatum sibi in secreto confessionis dictum, quia revelando tale peccatum diffamat proximum, & facit proximo quod sibi non vellet fieri. Secundò peccat contra jus divinum, quia eodem jure prohibetur revelatio confessionis, quo jure præcipitur ipsa confessio, quæ est de jure divino à Christo instituta; & si licitum esset in aliquo casu Sacerdoti revelare peccatum sibi dictum in confessione, enervaretur præceptum divinum de confessione facienda; quia nemo esset qui vellet suum peccatum occultum propriæ famæ denigrativum Sacerdoti detegere & revelare, & sic talis revelatio peccati esset à præcepto de facienda confessione retractiva. Peccat etiam Sacerdos revelans confessionem contra præceptum Ecclesiæ, ut habetur in*

tur in Concilio Lateranensi, cujus hæc verba sunt Canone, Omnis utriusque sexus.

*Caveat Sacerdos omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.*

Plura in eandem rem Ecclesiæ Decreta laudare superfluum videtur. Summam verò fuisse apud Veteres silentii hujus religionem, colligere facilè poteris ex Tertulliano L. de Pœnitentia, S.Ambrosio Libro quoque de Pœnitentia cap. 1. 7. & 10. S.Paulino in vita S. Ambrosii, S.Basilio Can. 34. & in Regulis brevioribus ad interrogationem 229. Sozomeno L. 7. Hist. c. 16. quorum verba sæpius hoc in Tractatu relata sunt.

Dices: Quibus temporibus in usu fuit pœnitentia publica, confessionis sigillum non ita religiosè servatum videtur: cùm enim certæ ac determinatæ pœnæ singulis gravioribus peccatis assignarentur à Canonibus, facile erat ex illis cognoscere quale foret pœnitentis crimen.

Resp. 1. sola peccata publica non verò planè occulta legibus pœnitentiæ publicæ addicta fuisse, saltem ex præscripto Canonum, sicut ex dicendis patebit; adeoque semper tecta & clausa sub sigillo confessionis fuere occulta & secreta peccata.

Resp. 2. etiam ex pœnitentia publica minimè cognitum in specie fuisse occultum crimen: tùm quia, ipso teste S.Basilio citato sæpius Canone 34. summa cura providebatur ne occultum mulierum adulterium per pœnitentiam detegeretur: tùm quia eædem pœnæ publicæ animo pietatis ac religionis à multis absque conscientia gravioris criminis sustinebantur; tùm denique quia nusquam Sacerdos vel Episcopus crimen in aurem sibi declaratum, palam evulgabat invito ac non consentiente reo.

### *Quàm arcta sit lex & obligatio sigilli confessionis.*

Respondent communiter Theologi, tantam esse silentii hujus religionem, ut nullo prorsus in casu violari possit aut debeat. Ita Synodus Senonensis mox citata. Præcipuam verò causam & rationem tam arctæ obligationis repetunt iidem Theologi, ex ipso jure divino: audiatur inter cæteros Estius in 4. dist. 17. paragr. 14. *Quamvis*, inquit, *lege naturali quisque teneatur ad secreti sibi commissi occultationem, maximè quando ejus detectio spectaret ad infamiam proximi; ac præterea lege canonica graves pœnæ constitutæ sint Sacerdotibus peccata sibi confessa revelantibus . . . . præcipua tamen vis hujus obligationis nasci videtur ex jure divino, atque ex ratione Sacramenti, quo fit ut nullo prorsus casu, nequidem periculi vitæ, Reipublicæ, Regni, animarum, nec ulla dispensatione Ecclesiasticæ potestatis liceat vel minimum peccatum ex confessione cognitum detegere. Hoc autem non ita esset, si ex sola lege naturali vel humana hæc obligatio nasceretur: nam in multis casibus alia secreta prodi possunt, & in legibus humanis potest ab homine dispensari. Atque hinc etiam patet majus esse hoc vinculum, quàm sit ulla promissio servandi secreti etiam* T. 2. p. 233. col. 1. E. F.

jure-

*Iurejurando firmata; quandoquidem & hic interdum dispensatio locum invenit.* Ita Estius.

Dices 1. Quæ juris sunt divini non ita strictè semper obligant, quin sit dispensationi locus: v.g. ipsamet confessio ejusque integritas est jure divino necessaria, potest tamen quis in casu necessitatis salvus fieri sine ulla aut saltem sine integra confessione, per contritionem perfectam cum solo confessionis voto; ergo licèt sigillum confessionis sit juris divini, potest tamen ab eo dispensari Sacerdos.

Resp. nego consequentiam. Disparitas est, quòd ex Scriptura & constanti Traditione Ecclesiæ certum sit perfectam contritionem sufficere ad salutem sine ulla aut saltem integra peccatorum confessione, quando premit necessitas; neque enim lege Christi positiva ad impossibile homines tenentur: porro neque ex Scripturis, neque ex Traditione habemus posse aliquo in casu infringi confessionis arcanum. Ratio hujus discriminis est, quòd infractio sigilli directè pugnet & contra naturam Sacramenti Pœnitentiæ, & contra finem institutionis ipsius à Christo factæ. 1. pugnat contra naturam Sacramenti Pœnitentiæ, quia minister eo ipso modo peccata dimittere debet, quo Christus cujus est minister: at Christus ea ita dimittit, ut planè tecta & occulta maneant. 2. pugnat contra finem institutionis Christi, quia finis Sacramenti Pœnitentiæ est bonum totius Ecclesiæ, remissio nempe peccatorum per absolutionem Sacerdotis obtinenda: at si aliquo in casu violari posset sigillum confessionis, nullus forsan esset qui ad Sacramentum Pœnitentiæ vellet confugere, quam rationem attigit Synodus Senonensis antea laudata.

Dices 2. Sigillum confessionis privatum dumtaxat pœnitentis bonum spectat; bonum autem privatum cedere debet publico, nec ampliùs viget obligatio etiam juris naturalis servandi secretum quod vergeret in commodum alicujus privati, si ex tali secreto gravis Reipublicæ clades & excidium immineret; si ergo Sacerdos ex occulta confessione cognosceret grave damnum Ecclesiæ vel Reipublicæ imminere, teneretur postposito privato bono pœnitentis, consulere publico, neque eo in casu lex divina sigilli obligaret.

Resp. revera bonum publicum privato esse anteponendum: at lex sigilli in confessione sacramentali non privatum dumtaxat spectat pœnitentis bonum, ut falsò supponit argumentum, sed totius Ecclesiæ commodum, Sacramenti à Christo instituti reverentiam & securitatem, omnium denique Fidelium utilitatem: unde quodcunque fingatur sequi bonum ex infractione sigilli, longè majus esset malum quod inde in universam Ecclesiam redundaret. Si ergo ex secreta confessione intelligeret Sacerdos, grave aliquod Ecclesiæ vel Reipublicæ detrimentum paratum esse, caveat, ne vel crimen, vel personam prodat: verùm prudenter & cautè generatim monere potest de periculo imminente, & adversùs paratas insidias præmunire Ecclesiam vel Rempublicam, atque hac via & ratione longè securiùs providebit bono publico: si enim persuasum haberet pœnitens, suum hocce crimen esse detegendum, pro certo nusquam illud Sacerdoti aperiret; & ita spes omnis ac via eriperetur tùm admonendi hominem, & ad melius consilium, si fieri potest, adducendi, tùm præcavendi paratas insidias.

Anno 1223. Dices 3. Guillelmus Altissiodorensis in Summa Lib. 4. Tract. 6. q. 4. istas hypotheses proponit.

Prima

Prima est: Titius Sacerdoti confitetur se peccasse cum Caja: moritur Titius, ejus frater uxorem ducere vult Cajam. Jubet Episcopus ut idem Sacerdos eos matrimonio conjungat. Quomodo se gerere debet hic Sacerdos? an Episcopum monere de occulto criminis impedimento? an Titium & Cajum matrimonio conjungere?

Secunda hypothesis est: Jubet Episcopus alteri Sacerdoti easdem personas matrimonio conjungere; atque eos omnes excommunicationi subjicit, qui dictum impedimentum norunt, nec declarant. Quid eo in casu agere debet Sacerdos prior qui ex confessione impedimentum illud novit? Ratio dubitandi est, *Quia*, inquit Altissiodorensis, *si revelat, infringit sigillum; ergo peccat mortaliter. Si verò tacet, nullum damnum accidit; ignorantia enim facti excusat à peccato eos qui conjunguntur: ergo revelare non debet.*

Tertia hypothesis hęc est: Sacerdos ex confessione novit nonnullos Canonicos accedere debere ad sacros Ordines, qui tamen irregulares sunt, & ea quidem irregularitate, quæ dispensationem non admittit: tenetur-ne Sacerdos vitium illud aperire?

Quarta hypothesis à Cæsario Cisterciensis Ordinis Monacho refertur Lib. 3. Historiarum memorabilium c. 32. Quidam Monachus non Presbyter quotidie Sacrum faciebat: crimen aperit in confessione. Abbas prohibet ne celebret. Reus timens ne si abstineat à celebrando, crimen evulgetur, celebrare pergit. Abbas in Capitulo generali sui Ordinis casum illum generatim nullo nec nominato, nec indicato, proponit, quærens quid in his circumstantiis Confessario liceret, an reum detegere, vel non? Capitulum nihil definire voluit, nisi hoc unum, consulendum esse S. Pontificem, tunc temporis Innocentium III. *Summus Pontifex convocatis Cardinalibus Virisque litteratis de eorum consilio respondit, eo in casu revelandam esse confessionem; quia*, inquit, *talis confessio, non est confessio, sed blasphemia.* Ita narrat dictus Cæsarius Monachus Cisterciensis.

Ad tres priores hypotheses refert Guillelmus Theologos Parisienses respondisse, Sacerdotem, qui ex confessione cognovit occultum illud impedimentum, teneri illud revelare. *Ad hoc*, ait Guillelmus, *solent dicere Magistri, quòd in hoc debet Sacerdos revelare confessionem, & non infringit sigillum confessionis, sed aperit; quia infringere importat deformitatem, est enim infringere indebitè revelare. Et ad ultimum* (id est secundam hypothesim) *objectum dicunt, quòd damnum accidit si taceat: fit enim quiddam quod est contra Deum, & si scirent illi qui conjunguntur, deberent se separare.* Momenta quibus illi Magistri nitebantur, ista sunt. 1. *quia tenetur tùm Confessarius, tùm Episcopus impedire malum quantùm potest.* 2. *quia in fraterna correptione non dicitur proditor criminis, ille qui illud revelat ei qui prodesse potest, & non obesse; ergo si Sacerdos iste illud revelat Episcopo qui prodesse potest, & non obesse, non peccat.* 3. *quia ille qui est mortuus, si viveret; deberet velle quod revelaretur.* Eodem modo responsum est ad tertiam hypothesim.

Verùm qui sint illi Magistri Parisienses, an aliqui dumtaxat privati, an Facultas ipsa Theologica, non apparet; nec præponderare potest ista responsio tot solidissimis, quæ hactenus prolata fuere, momentis, maximè post Decretum Lateranense anni 1225. & Clementis VIII. anni 1594. Quem porro cordatum virum movebit ista Magistrorum illorum ratio? *Sacerdos*, in dicto casu, *non infringit sigillum* (*quod deformitatem importat*) *sed aperit.* Egregia verò subtilitas & argutia!

Ad quar-

Ad quartam hypothesim, fidem non meretur illa Cæsarii Cisterciensis narratio, quæ conciliari non potest cum iis quæ ipsemet S. P. Innocentius III. statuit in Canone Lateranensi circa inviolabile confessionis sigillum.

Quæres 1. an teneatur Sacerdos, etiam cum periculo vitæ; non reserare secretum confessionis.

Resp. affirmativè, quia Sacerdos cùm suscipit munus audiendi confessiones, se tacito quodam pacto obstrinxit nunquam violandi secretum confessionis, & extrema quæque potius experiendi.

Quòd si, inquies, Ecclesia sub pœna excommunicationis adigeret Sacerdotem ad hanc sigilli infractionem.

Resp. fictam esse hypothesim; Ecclesia enim nunquam id tentabit quod novit adversari juri divino. Quòd si privatus aliquis Episcopus ( quod absit ) officii sui tam esset immemor, ut id extorquere vellet à Sacerdote, caveat iste ne obtemperet, nec pœnam excommunicationis eo in casu reformidet, quia tunc nulla est, utpote manifestè injusta. Interpres Decretorum apud Gratianum, de Pœnitentia dist. 6. c. 2. turpiter lapsus est, ut & in aliis benè multis, cùm aliter pronuntiavit.

Quæres 2. quid respondere debeat Sacerdos, si à Judice interrogetur de auditis in confessione; v. g. an Petrus reus sit homicidii &c.

Respondent multi cum Estio, posse simpliciter Sacerdotem respondere, se nescire: quia nempe nescit ut testis qui interroganti Judici teneatur verum respondere: cùm enim non possit Judex interrogare Sacerdotem de iis quæ novit Sacerdos sub sigillo confessionis, non tenetur quoque Sacerdos interroganti Judici verum respondere.

Respondent multi cum Maldonato, Sacerdotem eo in casu hoc unum dicere
P. 187. D. debere, se nihil dicendum habere. *Aliud consilium*, inquit Maldonatus de Pœnit. cap. 3. ( de obligatione sigilli ) *mihi magis probatur, ne Sacerdos dicat se nescire, sed consistat in iure suo, & fortiter respondeat, se nihil posse dicere quod audierit in confessione in unam aut alteram partem. Nam hac ratione & cavet mendacium, & magis defendit jus Ecclesiasticum, & nullum relinquit locum suspicandi aut cunctatione aut modo respondendi.*

S. Thomas 2. 2. qu. 10. art. 1. ad 2. circa propositam quæstionem hæc habet. *Dicendum*, inquit, *quòd de illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet testimonium ferre, quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei minister, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto, circa ea verò, quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est; quandoque enim sunt talia ; quæ statim cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur ; puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur vel testificando, vel denuntiando, & contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum.*

Quæres 3. an non directè saltem & obliquè liceat aliquando secretum confessionis revelare.

Resp. nunquam licere : *Caveat Sacerdos* , ait Canon Lateranensis, *ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.*

Reus igitur foret Sacerdos violati saltem indirectè sigilli. 1. qui diceret v. g. se talem audivisse confitentem, sed non absolvisse: sic enim detegeret

ret occultum conscientiæ illius hominis statum. 2. qui diceret se multos quidem audivisse, sed solum Petrum inter illos peccata venialia confessum; sic enim alios peccatorum mortalium reos indicaret. 3. qui diceret se in hoc vel illo loco, in hac vel illa societate multa audivisse & per confessionem cognovisse crimina. 4. qui post auditas confessiones colloquitur de peccatis per confessionem cognitis, cum evidenti periculo ne personæ ipsæ veniant in suspicionem patrati criminis: cùm enim Sacerdos consilium petere voluerit circa nonnullos occurrentes casus, ita prudenter & cautè se gerat, ut absque ulla expressione personæ, consilium requirat. 5. denique, qui cùm multos audivit, iis tantùm scripto testimonium daret de excepta confessione, quos absolvisset; aliis verò testimonium factæ, ut dicunt, confessionis denegaret: istorum enim peccata indirectè saltem indicaret; propter quæ absolutionem denegavit.

Quando igitur rogatur Sacerdos ut scripto testetur se talis confessionem excepisse, testimonium illud non deneget, si revera exceperit confessionem; nihil autem aliud in eo exprimat, quàm se talis confessionem audivisse, vel talem accessisse ad tribunal Pœnitentiæ: de absolutione verò data, vel dilata, vel denegata, altum servet silentium; atque hoc unum respondeat, si necesse sit, suo se functum esse officio, cujus rationem soli Deo reddere tenetur.

Quæres 2. an de licentia & consensu pœnitentis possit Sacerdos secretum confessionis revelare?

Resp. discordes esse hac in parte Theologos, aliis affirmantibus, negantibus aliis, quorum momentis hìc ex utraque parte prætermissis, dicimus quòd etsi speculativè loquendo, possit Sacerdos, consentiente pœnitente, ejus secretum revelare; in praxi tamen parcè & multa cum prudentia utendum esse hac pœnitentis licentia, propter gravissima quæ inde nasci possunt incommoda. *Notandum*, inquit Estius in 4. dist. 17. parag. 14. *Sacerdotem tali concessione non facilè, sed prudenter, & nonnisi magna utilitate exigente uti debere, idque apud eos tantùm quibus omnino opus sit peccatum innotescere; ac multò magis cavendum, ne subreptitiè aut dolosè sciat extra confessionem, & sic detegat: quæ in re, præter fraudem, etiam sacrilegii crimen admitteretur.* To.4.p. 134.col. 1. E.

Quæres 5. cum Suares disput. 33. sectione 7. an liceat imponere pœnitenti pœnitentiam publicam in satisfactionem peccati, etiam si inde sequatur revelatio indirecta, id est suspicio alicujus gravis criminis, vel in particulari vel in generali, talis pœnitentis. P.463. col.1.D. Ibid.

Respondet Suares id fieri non debere, *nisi ex spontanea acceptatione pœnitentis, quia omnis etiam indirecta revelatio repugnat sigillo: quando verò pœnitens voluntariè acceptat, jam non est revelatio confessionis, sed ipsemet pœnitens se prodiit.*

Quæres 6. cum eodem, an quando id quod Confessarius injungit, non tantùm est in punitionem peccati commissi, sed etiam in remedium futuri, aut tollendi scandalum, teneatur & Sacerdos injungere, & pœnitens acceptare.

Respondet, *Si medium illud sit necessarium, posse Sacerdotem illud præcipere pœnitenti, v.gr. ut dimittat tale officium, vel hanc domum, aut aliquid simile; & ipsum pœnitentem teneri obedire: quòd si noluerit, dimittendum sine absolutione; quo in casu nulla est sigilli fractio: quia*, inquit, *si aliquid fit, totum est me-*

*est medio consensu & voluntate pœnitentis; neque est gravamen aut onus contra sigillum, quòd ille consensus per præceptum vel per comminationem negandi absolutionem extorqueatur, quia supposita vera necessitate, illud præceptum non tam imponitur à Confessore, quàm declaratur pœnitenti obligatio quam in se ipso habet; & ideo comminatio illa justa etiam est, imò & necessaria, quia non potest aliter Confessor debito modo fungi suo munere.* Ita Suares.

Quæres 7. qualis requiratur pœnitentis consensus, ut secretum confessionis ipsius detegatur.

Resp. requiri expressum, formalem, & liberum, ex causa justa & necessaria. Caveat verò Sacerdos, ne consensum illum, aut metu, aut minis, aut absolutionis denegatione, extorqueat, ne fortè odiosa & gravis reddatur confessio.

Quæres 8. an possit Sacerdos post confessionem loqui cum pęnitente de auditis in ejus confessione.

Resp. non posse, nisi ex consensu pœnitentis.

Quæres 9. an possit Sacerdos uti scientia ex confessione comparata, ad fugiendum aliquod malum, vel bonum procurandum.

Resp. generatim non licere, quando vel aliquod temporale detrimentum pati posset pęnitens, vel indirectà sequeretur sigilli infractio. His duobus in tuto positis, potest Sacerdos ea notitia uti, v. gr. ut ferventiùs oret pro pœnitente, ut de certis rebus eum interroget, ut se ipsum diligentiùs custodiat &c. Ut verò distinctiùs proposita quæstio solvatur, nonnulli exponendi sunt casus.

I. Sacerdos qui ex sacramentali confessione novit sibi paratas esse insidias, v.g. vinum quo uti debet in sacrificio Missæ, veneno infectum esse, si à Sacro celebrando se dispensare non potest, nec mortem effugere nisi detegendo reum criminis, debet potius se morti objicere, quàm secretum confessionis aperire.

II. Non potest Sacerdos excommunicatum, quem ex sola confessione cognovit, vitare: sicut nec Parochus, qui eadem via novit impedimentum dirimens esse inter eos qui Matrimonio conjungi postulant, potest Matrimonium denegare; aut etiam indigno publicè petenti Eucharistiam.

III. Non potest Superior Sacerdos notitia per confessionem comparata uti ut pęnitentem sibi subditum exteriùs puniat, ab aliquo officio arceat, aut suum ipsi suffragium pro aliquo munere deneget. Limitationem apponit Suares, si nempe suffragium publicè ferendum sit, secus si occultè: uno verbo, non possunt Superiores uti notitia illa ad exteriorem gubernationem. Ita Decreto suo anni 1594. die 26. Maji prohibuit S. P. Clemens VIII. *Tam Superiores*, inquit, *pro tempore existentes, quàm Confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ex notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

Et die 5. Decembris an. 1682. Decreto Romanæ Inquisitionis proscripta est sequens propositio quæ spectat usum scientiæ ex confessione comparatæ, *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modò fiat sine directa aut indirecta revelatione, aut gravamine pęnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur. Hanc autem propositionem auctores limitabant, nempe quòd sit intelligenda* (sunt verba Decreti) *de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu quo multò gravius gravamen ejusdem*

*Recueil des Bulles, p. 504.*

*dem pænitentis ex non usu sequeretur*. Hanc verò propositionem DD. Consultores, *quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pænitentis*, statuerunt *omnino prohibendam esse*, *etiam cum dicta explicatione sive limitatione*; *& præsenti Decreto probibent ne quis ultrà audeat talem doctrinam publicè aut privatim docere*.

Quæres quid juris in isto casu: Episcopus statuit alicui Clerico, quem bonis moribus ornatum putat, conferre Beneficium, audita verò ejus confessione, agnoscit virum esse flagitiosissimum; potest ne Episcopus mutare consilium, nec Beneficium conferre. Item: Statuerat apud se Episcopus, Clericum à suo officio propter certas rationes amovere; audita verò ejus confessione novit esse peccatis oneratum, potest-ne in priori suo consilio persistere?

Respondet S. Thomas quodlibeto 5. q. 7. art. 13. si vel non conferendo Beneficium, vel ab officio removendo Clericum, suspicio esse possit violati sigilli confessionis, Episcopum non posse aut Beneficium non conferre, aut Clericum ab officio removere; posse verò si nulla sit suspicio: nulla autem suspicio esse potest, si Episcopus nulli consilium suum antea detexisset. Tutius videtur legem à Clemente VIII. latam observare.

### *Quæ sit materia sigilli confessionis.*

Resp. 1. esse omnia & singula peccata cum suis circumstantiis, quæ per confessionem sacramentalem cognita sunt Sacerdoti. Responsio ex jam dictis est manifesta.

Resp. 2. ea quoque quæ licèt per se peccata non sint, tamen ex peccatis sequuntur, & in peccati cognitionem ducere possunt, cadere sub sigillum confessionis: talis est v.g. irregularitas ex homicidio contracta, defectus corporis occultus &c.

Resp. 3. etiam peccata publica quæ secreta confessione deteguntur, esse materiam sigilli; nec posse Sacerdotem dicere se ea in confessione audivisse.

Quæres, an peccatum exteriùs non commissum, sed cujus committendi voluntatem habuit pænitens, sit etiam materia sigilli.

Resp. affirmativè: quia talis voluntas seu propositum, verum est peccatum in corde jam consummatum, docente Christo: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*. Pariter sub sigillo clausa debet retinere Sacerdos peccata à quibus pœnitens abstinere se non posse fatetur: illius enim confessio excipienda est, ait Alexander III. S. P. Cap. *Quòd quidam*. *De pænitentiis & remissionibus*. *Quia licèt non sit vera pænitentia hujusmodi, admittenda tamen confessio, & crebris & salutaribus monitis pænitentia indicenda*. Responsionem probat S. Th. aut quisquis auctor est Supplementi q. 11. art. 1. ad 1. Matt. 5. v. 28.

Quæres, an obligatio sigilli sequatur ex confessione, etiam cùm absolutio concessa non fuit.

Resp. affirmativè, quia talis confessio verè est sacramentalis, seu pars Sacramenti, quamquam non jungatur cum forma seu absolutione: obligatio autem sigilli nascitur ex omni confessione sacramentali.

*Quas personas obliget lex sigilli.*

Resp. obligare 1. Sacerdotes qui confessiones exceperunt. 2. Superiorem à quo postulata est licentia absolvendi à casibus quibusdam reservatis. 3. Doctores seu illos omnes qui consuluntur de re ad confessionem sacramentalem pertinente. 4. interpretem aut internuntium cujus ope pœnitens uteretur ad sua peccata Sacerdoti detegenda. 5. eos qui furtivè aut casu confessionem audiunt: addunt nonnulli & eos qui scriptam alicujus confessionem reperiunt. 6. laicum qui se Sacerdotem finxit, & confessionem alicujus audivit.

*Quæ sint pœnæ à Canonibus impositæ infractoribus sigilli confessionis.*

Resp. 1. nullam censuram vel pœnam ipso facto incurrendam in Jure exprimi, quia nullum est in Jure tale decretum. Capite enim *Sacerdos*, & Canone *Utriusque sexus*, imponitur pœna depositionis à Judice ferenda: necesse igitur est ut interveniat priùs sententia Judicis. Falluntur ergo qui affirmant ipso facto pœnam irregularitatis incurri ab iis qui sigillum confessionis frangunt: pœna quippe hæc in duplici citato Decreto non assignatur ipso facto incurrenda. Irregularitas autem solùm à Jure ipso imponitur; & si in Jure expressa non est, nulla est, juxta Caput *Is qui*. *De sententia excommunicationis*, in Sexto.

Resp. 1. tempore Gregorii VII. Capite *Sacerdos*, præter depositionis pœnam, injunctam esse perpetuam peregrinationem Sacerdotibus qui sigillum confessionis violassent. Canone verò *Utriusque sexus*, confirmatur eadem pœna depositionis, cui additur perpetua pœnitentia in Monasterio perficienda.

Quæres: Si Sacerdos accusatus infractionis sigilli causetur se licentiam à pœnitente accepisse, pœnitens verò illud neget, quid facto sit opus?

Resp. multos Theologos, quos refert Suares Disput. 33. sectione 8. imponere Sacerdoti onus probandi: quod certè, inquit Suares, difficile est, ac grave onus quod moraliter vix potest expleri; unde colliges, raro admodum, & summa cum prudentia, licentia etiam à pœnitente concessa utendum esse. In adducto verò casu multùm conferet ad veritatis cognitionem, accuratum vitæ Sacerdotis illius examen atque judicium, unde augurari poterit vir prudens, num talis flagitii reus ille esse possit, necne.

# QUÆSTIO SEPTIMA.

*De satisfactione, quæ tertia pars est Sacramenti Pœnitentiæ.*

TRIBUS Articulis præsentem controversiam concludemus.

Primus erit de necessitate humanæ satisfactionis, adversùs Novatores Lutheranos & Calvinistas.

Secundus varias expendet quæstiones quæ spectant tùm materiam, seu opera per quæ divinæ justitiæ satisfacere possumus; tùm effectus, subjectum seu personam, & ministrum satisfactionis.

Tertius

Tertius denique exponet tempus quo debeat impleri satisfactio, an præcedere debeat, an sequi absolutionem sacramentalem.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De necessitate humanæ satisfactionis.*

Satisfactio generatim est debiti cujuscunque solutio: hic verò solutio est debiti quod contractum est ex delicto, seu offensa Dei. Triplex scilicet ex mortali peccato resultat in homine reatus, culpæ, pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis, quæ postrema etiam luenda superest, post condonatam culpam & pœnam æternam.

Non hic controvertitur de satisfactione divina, qualem Christus plenam atque perfectam sui sanguinis pretio Deo Patri pro redemptione nostra persolvit, de qua fusè diximus ubi de Incarnatione Verbi divini; sed agitur de humana satisfactione, cujus laus omnis, valor & pretium ex satisfactione Christi tanquam ex fonte defluit. *Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*, ait S. Joan. Epistolæ 1. cap. 2. v. 2. *In quo*, ajunt Patres Tridentini, *vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Sess. 14. c. 8. T. 14. Conc. p. 821.

Satisfactio humana describi potest, pœnæ temporalis acceptatio ac voluntaria perpessio, quam pœnitens vel sibi sponte imponit in ordine ad Sacramentum, vel à Sacerdote injunctam habet, ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, & expungendam pœnam temporalem. Satisfactio verò illa vel antecedit Sacramentum, vel sequitur. Prior disponit ad Sacramentum, & meritoria dicitur de congruo; altera verò gratiam sacramentalem supponit, & meritoria dicitur de condigno. Quæ antevertit Sacramentum, ad culpam & pœnam æternam simul ac temporalem expungendam; quæ autem sequitur, ad pœnam dumtaxat temporalem refertur.

Præsentis controversiæ hic status est. 1. an dimissâ culpa & pœna æterna, supersit adhuc aliqua temporalis in ultionem ac vindictam peccati luenda sive in hac vita, sive in altera, in eo loco qui vulgò *Purgatorium* dicitur. 2. an pœna illa piis ac laboriosis operibus nostris expungi ac redimi possit. 3. an per illam pœnam verè Deo satisfaciamus, nec tantùm utilis illa sit respectu Ecclesiæ ad exemplum, aut aliorum emendationem, sed etiam respectu divinæ justitiæ ad eam placandam, & obtinendam à Deo debitæ pœnæ temporalis relaxationem. Affirmant omnes Orthodoxi, negant nostri Novatores, rati hujusmodi satisfactiones humanas infinitæ Christi satisfactioni derogare ac injuriosas esse, nec valere nisi coram Ecclesia. *Patres*, inquit Calvinus L. 3. Instit. c. 4. n. 39. *satisfactionem vocarunt, non compensationem quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant, cùm in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant de sua pœnitentia certiorem.... Atque ita dicebantur non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere.* Adversùs eos sit P. 238.

## CONCLUSIO.

Necessariò exigenda est à pęnitentibus pęnalis satisfactio, non tantùm ad novæ vitæ custodiam, ad infirmitatis medicamentum, & aliorum exemplum, ut Novatoribus videtur: sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, seu ad veram satisfactionem, non Ecclesiæ tantùm, sed Deo exhibendam, tùm ad reparandam injuriam ipsi per peccatum illatam, tùm ad redimendam pęnam temporalem, quæ, dimissa culpa & pęna æterna, luenda nobis superest, sive hac in vita, sive in altera.

Probatur 1. ex Scriptura triplici argumento.

Primum desumitur ex iis locis quæ significant Deum, post condonatum peccatum, ultricem pœnam temporalem à pęnitente adhuc reposcere.

Illustre imprimis est exemplum Davidis Lib. 2. Regum cap. 12. Quamquam enim à Propheta Nathan audivisset v. 13. *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*; statim adjungit: *Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur.* Et v. 10. *Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quòd contempseris me, & tuleris uxorem Uriæ.* Remittit ex una parte Deus culpam & pęnam æternam; at ex altera temporalem pænam tùm ex filio, tùm ex patre ipso repetit, non tantùm in disciplinam & emendationem Davidis, & aliorum exemplum, ut solent respondere Novatores, Dallæus imprimis, sed etiam in vindictam & castigationem peccati quamquam dimissi: *Quia blasphemare fecisti inimicos Domini.... eo quòd contempseris me*, ait sacer contextus: quæ certè particula *quia, eo quòd*, denotat peccatum Davidis veram fuisse causam omnium malorum quæ ille passus fuit, non verò solam occasionem, ut cavillatur Dallæus: quibus enim aliis significantioribus terminis veram causam exprimere potuisset Scriptura?

Eodem Lib. 2. Regum c. 24. quamquam Deus condonasset Davidi peccatum quod in numerando populo commiserat, vers. tamen 12. superstes pœna solvenda proponitur, & ipsi datur optio ut eligat bellum, aut famem, aut pestem.

Exodi 32. intercedente Moyse apud Deum, ne universum populum internecione deleret, ob crimen adorati vituli aurei, placatus quidem dicitur Dominus v. 14. attamen v. 34. Deus ait: *Ego in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.*

Numerorum 14. ob murmurationem populi iratus est Dominus, & oratione Moysis ita placatus, ut v. 20. dixerit, *Dimisi juxta verbum tuum.* Attamen v. 22. addit: *Omnes homines qui viderunt majestatem meam, & signa quæ feci... non videbunt terram.*

His adde ea Scripturæ loca quibus viri justi & sancti declarant se propter sua peccata, haud dubiè præterita & jam à Deo condonata, puniri & affligi hac in vita. Ita Tobias c. 3. v. dicebat: *Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem & captivitatem.* Et Danielis 3. v. 28. tres pueri missi in fornacem ajunt: *In veritate & in judicio induxisti hæc omnia propter peccata nostra.* Unde generatim Proverbiorum 3. v. 12. pronuntiat Sapiens, *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Idem dicitur Heb. 12. v. 6. & Apoc. 3. v. 19.

Secun-

Secundum argumentum colligitur ex iis testimoniis quæ à peccatoribus pœnitentibus, præter conversionem mentis ac novitatem vitæ exiguntlaboriosa opera, cujusmodi sunt jejunium, luctus, cilicium &c. Infinita penè sunt & cuique obvia utriusque Fœderis testimonia.

Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me* ( ait Dominus ) *in toto corde vestro, in jejunio, fletu & planctu.*

Jonæ 3. v. 10. de pœnitentia Ninivitarum dicitur: *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus.*

Job ultimo v. 6. *Ago*, inquit, *pœnitentiam in favilla & cinere.*

David Psal. 68. v. 12. *Posui*, ait, *vestimentum meum cilicium.* Et Psal. 34. v. 13. *Humiliabam in jejunio animam meam.*

Matthæi 11. v. 21. & Lucæ 10. v. 13. *Si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent.*

Mattth. 3. v. 7. & Lucæ 3. v. 8. Joannes confluentibus ad se Judæis dicebat: *Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.*

Accedit usus & praxis Apostolorum, qui vel sibi, vel aliis dura imposuere opera pœnitentiæ. Ita S. Paulus 1. Corinth. 9. v. 27. *Castigo*, inquit, *corpus meum & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et ad Colossenses 1. v. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.* Non dixit Apostolus, *ea quæ desunt passionum Christi in Christo*, nihil quippe deest ipsis, cùm sint infiniti pretii; sed *quæ desunt in carne mea*, quia nempe ut applicetur pretium passionum Christi, requiritur conformitas membrorum cum capite nostro: hoc est, necesse est ut dura & acerba quisque Fidelium sustineat, suamque ferat crucem: si velit in se adimpleri ac sibi applicari pretium meritorum Christi. *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam & sequatur me*, ait Christus Matth. 16. v. 24. Favet textus græcus juxta quem legitur, *adimpleo ea quæ supersunt*, seu reliquias passionum Christi: quia nempe post solutum à Christo redemptionis pretium, id dumtaxat superest, ut nos cum ipso patiamur. *Si tamen compatimur, ut & cum ipso conglorificemur.* Rom. 8. v. 17. S. Paulus 1. Corinth. 5. Corinthium incestuosum satanæ tradidit, sive reipsa permiserit eum à dæmone cruciari in corpore, sive eo nomine gravissimam castigationem & pęnam intellexerit, sive expulsionem ab Ecclesia: quidquid illud sit, certum est pęnam illam non in exemplum dumtaxat aliorum, sed in vindictam peccati & salutem animæ impositam fuisse. *Jam judicavi*, ait Apostolus v. 3. & 5. *tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi.*

Adde, vel ipsa verba quibus expressa est institutio Sacramenti Pęnitentiæ, Matth. 18. v. 18. necessitatem hanc imponendi pęnas & eas subeundi denotare. Datur enim Sacerdotibus potestas solvendi & ligandi: ligant autem cùm excommunicationis aut alterius acerbioris pęnæ vinculum injiciunt.

Frustra reponit Dallæus, opera illa laboriosa, de quibus mox citati textus, imponi ad exemplum Ecclesiæ, ad reparationem scandali, aut in remedium futuri. Esto enim concedamus, quod verum est, ad illos fines pęnas illas dirigi, an idcirco alius & quidem præcipuus earumdem finis excludi debet, nempe ut sint vindicta & castigatio præteriti peccati, ut divinæ justitiæ ad salu-

tem animæ satisfaciant? minimè profectò: prosunt enim illæ, juxta S. Joan. *ad fugiendam venturam iram. Sunt secundùm Deum*, teste Apostolo 2. Corinth. 7. Imponuntur *ut ad Deum fiat conversio, & ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi*, eodem teste Act. 26. & 1. Corinth. 5.

Frustra addit idem Dallæus, pęnas illas ab illis exigi quibus nondum dimissa sunt peccata. Namque & Job, & Davidi, & S. Paulo haud dubiè condonaverat Deus peccata: nihilominus tamen propter illa se ipsos castigare ac cruciare non dubitarunt. Præterea, parum refert quando exigantur pęnæ illæ, an post, an ante dimissa peccata, modò constet eas necessariò solvendas esse, sive in præsenti sive in futura vita.

Tertium argumentum petitur ex iis locis quibus significatur laboriosis pęnitentiæ operibus vim inesse redimendi peccata, seu pro illis divinæ justitiæ satisfaciendi, & placandi divinam iram.

Danielis 4. v. 24. *Quamobrem Rex consilium meum tibi placeat: peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.*

Cap. 16. Proverbiorum v. 6. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas. His*
T. 3. p. 467. A. *in locis*, ait Bellarminus L. 4. de Pœnit. cap. 8. *habemus vocem redemptionis, quæ æquivalet voci satisfactionis; non enim minùs ad justitiam pertinet redemptio, quàm satisfactio: & si absurdum foret dicere, nostris operibus satisfieri Deo pro peccatis, multò esset absurdius dicere, nostris operibus redimi peccata.*

Tobiæ 4. v. 11. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat.*

Denique Lucæ 11. v. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Respondet Dallæus, verbum *redimere* citatis in locis non significare veram satisfactionem aut redemptionem quæ fit solutio pretio, sed simplicem liberationem, & quidem gratuitam, tametsi eam non concedat Deus nisi sub conditione operum charitatis ac pęnitentiæ: hoc autem sensu verbum istud in Scripturis usurpari probat L. 3. de pęnis & satisfactionibus cap. 3. nonnullis testimoniis.

Verùm quantùm hæc responsio faveat Socinianis, vel ipsi experiuntur Cal-
P. 214. vinistæ, quando adversùs illos pugnant pro satisfactione Christi. Quippe non aliud solent illi reponere ad testimonia Scripturæ, quibus Christus dicitur nostra redemisse peccata, quàm quod hìc reponit Dallæus, verbum scilicet *redimere* non veram satisfactionem & pretii solutionem significare, sed meram liberationem: adeo verum est, quod sæpius pro data occasione observavimus, Calvinistarum principia ad Socinianismum directè tendere. Sicut igitur tenentur Calvinistæ reponere Socinianis, verbum *redimere* sæpissimè usurpari pro vera satisfactione & pretii solutione, atque eo ipso sensu usurpari cùm Christus dicitur nostra redemisse peccata; ita & Catholici respondent ad præsens Calvinistarum effugium.

Probatur 2. Conclusio ex constanti SS. Patrum & Ecclesiæ totius Traditione. Ad duo autem capita generatim revocari possunt SS. Patrum testimonia pro necessitate humanæ satisfactionis.

I. ad ea quibus frequenter affirmant, post dimissam culpam & pęnam æternam, adhuc superesse solvendam temporalem pęnam, quod quidem
T. 4. p. exemplo Davidis imprimis confirmant & illustrant. Ita
471. A. S. Aug. pluribus in locis. In Psal. 50. *Aliquando*, inquit, *Deus cui ignoscit*

*scit in futuro sæculo, corripit eum de peccato in isto sæculo. Nam & ipsi David, cui dictum jam fuerat per Prophetam, Dimißum est peccatum tuum, evenerunt quædam quæ minatus erat Deus propter ipsum peccatum.* Ibid. *Impunita peccata, etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti . . . Sic prærogasti misericordiam, ut servares & veritatem. Ignoscis confitenti, sed seipsum punienti: servatur misericordia & veritas.* Idem repetit in Psal. 98. L. 22. contra Faustum c. 67. & Tract. 124. in Joan. Ibid. p. 468. C.

S. Gregorius Magnus L. 9. Moralium cap. 34. aliàs 17. *Delinquenti*, inquit, *Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit . . . Sic David post confessionem audire meruit, Dominus transtulit peccatum tuum; & tamen multis postcruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ quam perpetraverat, exolvit. Sic nos salutis unda à culpa primi parentis absolvimur, sed tamen reatum ejusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus.* Plùs æquo cresceret hic Tractatus, si vellemus singulorum SS. Patrum in rem eandem testimonia hìc referre. Indicasse sufficiat SS. Ambrosium super Psalm. 37. Chrysostomum initio Hom. 2. super Psal. 50. & Hom. 4. in 2. ad Corinth. Hieronymum in caput 10. Jeremiæ, Leonem Sermone 8. de passione Domini, Fulgentium L. 1. de remissione peccatorum c. 12. Prosperum Sententia 72. & 148. T. 1. p. 313. C.

Hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ mentem, manifestè demonstrat vetus ejus disciplina circa pœnitentes qui in infirmitate, absolutione & Eucharistia donati jam fuerant; si enim à morbo convaluissent, ad eum ipsum remittebantur pœnitentiæ gradum, in quo morbus eos corripuerat: cujus profectò disciplinæ non alia potior adduci ratio potest, quàm quòd persuasum semper habuerit Ecclesia, etiam post dimissam culpam per sacramentalem absolutionem, pœnitentem obstrictum & obligatum remanere pœnis quibusdam temporalibus persolvendis. Hanc porro fuisse Ecclesiæ disciplinam, patet ex Concilio Nicæno Can. 13. ex Concilio IV. Carthaginensi Can. 78. ex Arausicano I. Can. 3. ex Epaonensi Can. 36. ex S. Gregorio Nysseno Epistola ad Letojum c. 1. verba inferiùs referemus ad Quæstionem nonam Art. 2.

Ad hanc constantem ac perpetuam Traditionem attendens Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 14. & Can. 30. & Sess. 14. cap. 8. & Can. 12. definivit post culpam remissam remanere debitum pœnæ temporalis solvendum. *Falsum omnino est*, ait Sess. 14. c. 8. *& à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim & illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam Traditionem, hic error quàm manifestissimè revincitur.* Rationem istam illico subjungit Synodus. *Quia divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurisantes nobis iram in die iræ.* Et Canone 12. ejusdem Sess. *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœniten-* T. 14. Conc. p. 820. D.

*nitentium non esse aliam quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.*

II. huc pertinent ea SS. Patrum testimonia quibus sæpissimè asserunt, pœnitentiæ laboribus, tanquam oblato pretio, nostra redimi peccata, & [P.124. B.] pro iis divinæ justitiæ satisfieri. Ita Tertullianus L. de Pœnit. cap. 6. *Quàm ineptum*, inquit, *quàm iniquum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere: hoc est, pretium non exhibere, & ad mercedem manum emit-* [P.126. D.] *tere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac pœnitentiæ com-* [P.127. A.] *pensatione redimendam proponit Deus impunitatem.* Et cap. 8. *Confessio satisfactionis consilium est.* Et cap. 9. *Delictum nostrum Domino confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenùs satisfactio confessione disponitur, confessione pœ-* [Ib. B.] *nitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Et postea: *In quantùm*, inquit, [T.1.p. 109. B.] *non peperceris tibi, in tantùm tibi Deus, crede, parcet.*

[Ibid. p. 213. A.] Origenes Hom. 15. in Leviticum, vocat opera pęnitentiæ *pretium* quo peccata redimuntur. Et Hom. 3. in Librum Judicum. *Quanto tempore*, inquit, *errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto tempore humilia teipsum Deo.*

S. Cyprianus multis in locis vehementiori stylo invehitur adversùs mollem & laxam nonnullorum disciplinam, qui lapsis pacem & communionem reddebant ante impletam pœnitentiam & satisfactionem pro delictis ex- [P. 172. & seq.] piandis Deo persolutam. Abusum hunc appellat in Tractatu de lapsis, *novum genus cladis, malum fallens, blandam perniciem. Pacem hanc præposteram*, ait *& periculosam esse dantibus, & accipientibus nihil profuturam.* Et Epi- [P. 83.] stola 55. ad Cornelium, hujus abusus pericula & damna sic describit. *Intercedunt*, inquit, *ne rogetur Deus, qui indignari se ipse testatur; intercedunt ne exoretur precibus & satisfactionibus Christus . . . Elaborant ne vulneratos divina clementia in Ecclesia sua curet, ne Deo indignanti satisfiat... Datur opera ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur.* Eadem repetit Epistola 9. & Tractatu de lapsis, & à lapsis dura & laboriosa pęnitentiæ opera exigit, quibus non Ecclesiæ tantùm, ut ajunt Novatores, sed etiam divinæ justitiæ satisfaciant, suaque redimant peccata.

S. Ambrosius Lib. 7. in Lucam nu. 156. *Sicut*, inquit, *qui pecunias solvunt,* [To.1.p. 1448.C.] *debitum reddunt, nec priùs evacuatur fenoris nomen, quàm totius sortis ad nummum usque quocunque solutionis genere quantitas universa solvatur; sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacunque, peccati pœna dissolvitur.* Et L. 2. de Abel & Cain cap. 3. *Crimina*, inquit, *bonis operibus, fideique pretio, & miseratione redimamus. Pretium meum sanguis est* [Ibid. p. 210. E.] *Christi.* Quia scilicet quidquid pretii est in humanis operibus, totum illud ex sanguine Christi derivatur.

S. Hieronymus Commentario in Joelem. *Qui peccator est*, inquit, *& quem* [T.3.p. 1345.] *remordet propria conscientia, cilicio accingatur & plangat sua delicta . . . . & cubet vel dormiat in sacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset.*

Denique S. Augustinus, ut alios prætercam, Serm. 351. aliàs 50. inter [T.5.p. 1362.D.] 50. *Non sufficit*, inquit, *mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.*

*synis*. Et Serm. 57. de tempore, nunc 255. in Append. *Parum est*, ait, *peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, sed opera quæruntur*. Et cap. 70. Enchiridii, ait *peccata eleemosynis esse redimenda*. *Ib. Append. p. 418. G. To. 6. p. 223. A.*

Huc denique revocanda SS. Patrum testimonia quæ affirmant gravitati offensæ æquandam esse pœnam. *Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit*, ait sanctus Cyprianus in Tractatu de lapsis, versùs finem. Pariter S. Ambrosius in Exhortatione ad virginem lapsam cap. 8. n. 37. *Grandi plagæ*, inquit, *alta & prolixa medicina opus est; grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem*. Et in Psalm. 118. Serm. 8. n. 26. *In ipsa Ecclesia*, inquit, *ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma justitiæ, ne quis à communionis consortio abstentus, brevi lachrymula, atque ad tempus parata... communionem.... facilitate Sacerdotis extorqueat*. Plura in rem eandem testimonia laudavimus suprà ad secundum argumentum Traditionis pro demonstranda necessitate confessionis. *P. 178. To. 2. p. 315 B. To. 1. p. 1055. C*

Hanc perpetuam Ecclesiæ doctrinam exposuit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 8. & Canonibus 12. 13. & 14. definivit; in quo postremo expressè ait, pœnitentes peccata sua suis satisfactionibus per Christum redimere. Canone verò 13. ait: *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis; sed neque spontè susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit*. Citato verò cap. 8. hujusce dogmatis rationes egregias adducit, *tùm ex parte divinæ justitiæ quæ postulat ut aliter in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui scientes templum Dei violaverunt; tùm ex parte divinæ clementiæ; ne scilicet peccata leviora reputaremus, si absque ulla satisfactione dimitterentur; tùm ex parte nostri, quorum vitiosi habitus sanantur & tolluntur contrariis virtutum actionibus; tùm ex eo quòd satisfactio imminentem à Deo pœnam avertat; tùm denique ex conformitate quæ debet esse inter Christum & nos: sicut enim oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, ita & nos oportet Christo conformes fieri: Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Rom. 8. v. 17. *To. 14. Conc. p. 825. Ibid. p. 820. E.*

Meritò igitur à SS. Pontificibus S. Pio V. & Gregorio XIII. damnata est ista propositio inter Bajanas 77. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam*. *Recueil des Bulles, p. 23.*

Quid ad hæc Calvinus? *Parum me movent*, ait L. 3. Inst. c. 4. paragr. 38. *quæ in veterum Scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter, omnes ferè quorum Libri extant) aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos*. Ita modestè ac verecundè more suo de Patribus sentit ac loquitur Calvinus. *P. 247.*

Paulò temperatior ac modestior Dallæus respondet, voluntarias illas carnis macerationes, de quibus SS. Patres, necessarias quidem esse ad morum emendationem, vitiorum fugam, & idoneam ad Sacramentum percipiendum præparationem seu dispositionem, non verò ad propriè dictam satisfactionem seu compensationem injuriæ Deo per peccatum illatæ, quod probat ex ipsa

pœni-

pœnitentia, seu laboriosis operibus quibus Catechumeni antequam baptisarentur, diu exercebantur, & ad gratiam Baptismi præformabantur. Verùm non tantùm ad ista, sed etiam maximè ad relaxationem pœnæ temporalis qua post condonatam culpam divinę justitię debitores sumus, macerationes illas plurimùm valere demonstrant, quæ mox ex Scripturis relata sunt. In Catechumenis quidem laboriosa illa opera disponunt ad gratiam Baptismi; in pœnitentibus verò non tantùm disponunt, sed etiam debitum pęnæ temporalis aut imminuunt, aut extinguunt penitus, pro mensura charitatis, ac bonorum operum. Discrimen illud pœnitentiæ inter Catechumenos ac pœnitentes manifestè ostendit erga utrosque varia Ecclesiæ praxis ac disciplina: Catechumenos siquidem in stadio Catechumenatus ob imminens mortis periculum baptisatos, si convaluissent, non remittebat ad eum Catechumenatus gradum in quo morbo correpti fuerant, secus verò pœnitentes, ut ex mox probatis manifestum est.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. Deus in Scripturis sæpissimè testatur se perfectè ac gratis peccata hominibus dimittere, absque ullo debito pœnæ temporalis persolvendæ. Ezechielis 18. v. 21. & 22. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis . . . . vita vivet & non morietur. Omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et c. 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit.* Et Isaiæ 1. v. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Aliis in locis ait se post tergum projicere peccata nostra; projicere in profundum; illa tegere, non imputare. Porrò conciliari hæc non possunt cum pęna temporali, quam post dimissam culpam Deus à nobis reposcat.

Resp. nego min. Aut enim necesse est Scripturam Scripturæ repugnare, quod est absurdissimum; aut, quod verissimum est, alteram ex altera explicari. Cùm igitur expresè significet Scriptura, Deum à pœnitente, etiam post condonatam culpam & pœnam æternam, aliquas temporales pęnas reposcere, neque alia hic quærenda sit ratio quàm Dei voluntas, necesse est mox citata testimonia intelligere cum universa Ecclesiæ totius Traditione, de remissione perfecta & quoad culpam, & quoad pęnam æternam, cujus comparatione, cùm pęna temporalis parvi sit æstimanda, meritò & Deus dicitur, *omnium iniquitatum non recordari, eas post tergum, vel in profundum projicere &c.* & pœnitens post dimissam culpam *vita vivere*, cui Deus gratiam & amicitiam suam restituit: meritò etiam dicitur *iniquitas præterita ei non nocere*, quia pœna temporalis, quæ solvenda superest, prodest ipsi plurimùm ad mercedem æternam citiùs consequendam &c.

Instabis 1. Peccata nostra vera sunt debita quibus obligati & obstricti tenemur divinæ justitiæ; debitum autem non censetur perfectè relaxari ac remitti, cùm aliqua ejus pars retinetur; si ergo Deus temporali pœna puniat peccatum, quod condonavit, perfectè non remittit debitum quod contractum fuerat: at ex citatis mox testimoniis constat Deum perfectè nobis dimittere nostra debita.

Confirmatur: quia in Oratione Dominica postulamus à Deo, ut nostra debita nobis dimittat, sicut & nos ea dimittimus debitoribus nostris:

at

at sic debemus proximo illatas nobis injurias remittere, ut nihil omninò ab eo repetamus in ultionem & vindictam.

Resp. nego consequentiam argumenti. Censetur enim debitum ex peccato contractum perfectè remitti, cùm ejus pars præcipua, cujus comparatione pęna temporalis nihil est, remittitur: at debitum culpæ & pęnæ æternæ præcipuum est haud dubiè, quod quidem perfectè remittitur, *Nihil enim damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*, Rom.8. v.1. Præterea censetur debitum omne perfectè relaxari, cùm gratis conceditur, unde quod superest solvi possit: at Deus restituendo pęnitenti gratiam suam, dat ipsi unde possit perfectè & de condigno satisfacere pro pęna temporali, sicut & mereri vitam æternam.

Ad confirmationem, hoc unum ex Oratione Dominica inferri duntaxat potest, Deum nempè aliquando plenam nobis indulgere pęnarum remissionem, pro fervore nimirum charitatis; imò & illam plenam remissionem nobis proponere, tanquam mercedem nostræ in proximum charitatis & indulgentiæ: verùm inde non sequitur, Deum aliquando, imò & ordinariè, pęnas aliquas ex peccato superstites non reposcere, quas vel omninò effugere, vel breviores & leviores reddere possumus pro ardentiori & vehementiori nostro in Deum & proximum studio & affectu.

Instabis 2. Rom 8. v.1. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*: at si superesset ipsis luenda pęna temporalis, aliquid damnationis in illis foret.

Respondet Estius in 4. dist. 15. paragr. 8. *damnationem eò loci significare vel mortem æternam, vel mortis æternæ reatum*; sicut & cap. 8. ejusdem Epistolæ ubi dicitur, *Quorum damnatio justa est*, & cap. 13. *Ipsi sibi damnationem acquirunt. Hoc verò sensu cap. 8. damnationem usurpandam esse, loci circumstantia demonstrat. Nam ex eo quòd quis mente serviat legi Dei, sola verò carne legi peccati, concludit Apostolus, in tali homine nihil remanere damnatione seu morte dignum; ut qui post Baptismum Christo incorporatus est, jam non secundùm carnem ambulet; Lex enim, inquit, spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis. Ubi advertendum est Apostolum, quod antea damnationem dixerat, nunc mortem vocare, quam sine dubio æternam intelligit, cùm quoad temporalem attinet mortem, testetur eodem capite, etiam in renatis corpus mortuum esse, id est, morti obnoxium propter peccatum.* *Tom. 2. p. 190. col. 1. C*

Instabis 3. Deus gratis peccata nobis remittit: Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis*, ait Apostolus, *per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu*. Ergo sine ulla ex parte nostri necessaria satisfactione: nihil enim magis opponitur gratuitæ remissioni, quàm satisfactio; hæc enim ad justitiam, illa ad gratiam tota pertinet.

Resp. nego consequentiam. Non pugnat enim gratuita remissio peccati ex parte Dei, cum necessitate satisfactionis pro pęna temporali ex parte nostri: atque hoc ipsum argumentum quod Calvinistæ hìc proponunt adversùs humanas satisfactiones, proponitur & ab ipsis Socinianis adversùs satisfactionem Christi, quod Calvinistis sicut nobis solvendum est. Ut igitur Calviniani reponunt, hæc duo rectè cohærere simul, nempè Deum gratis ex parte nostri remittere nobis peccata, quia nihil ex nobis possumus ad eorum remissionem; & Christum pro nobis verè ad rigorem satisfecisse, ac consequen-

sequenter ex parte ipsius Christi gratuitam non esse, sed debitam illam peccatorum remissionem; ita & nos hic respondemus, Deum gratis quidem peccata nobis remittere, quamquam aliquas pœnas in satisfactionem reposcat, tùm quia gratis nobis concessit Christum, in quo, & per quem nostræ satisfactiones valent; tùm quia gratis concedit gratiam fidei & pœnitentiæ, sine qua satisfactiones nostræ nullius sunt ad vitam æternam valoris ac meriti.

Instabis 4. Si peccata nobis à Deo gratis dimitti idcircò dici possunt, quòd gratis concedatur gratia per quam dimittuntur & satisfacimus, dici quoque poterit peccata nostra gratis etiam dimissa fuisse à Christo Domino nostro, quia nempè gratis accepit à Deo humanitatem aliaque dona per quæ satisfecit: atqui peccatorum nostrorum remissio gratuita non est, sed ex stricta justitia respectu Christi, quamquam gratis acceperit humanitatem &c.

Resp. nego sequelam antecedentis. Ita enim Christus accepit à Deo humanitatem, ut eam si voluisset, non accepisset: liberè enim incarnatus est,
Isai. 53. liberè mortem obiit, *Oblatus est quia voluit*, ait Propheta. Ex propriis igi-
v. 7. tur & aliàs indebitis satisfecit Deo pro peccatis nostris, adeoque remissio peccatorum nostrorum, quamquam gratuita sit ex parte nostri, debita tamen est ex stricta justitia meritis Christi. Quando igitur ex gratia Dei satisfacimus pro pœna temporali, gratia illa tota est gratuita, nihilque in nobis supponit quo eam promereri possimus; unde non immeritò simpliciter & absolute peccata nobis gratis remitti dicuntur; quamquam remissio hæc titulo rigorosæ ac strictæ justitiæ pretio sanguinis Christi debita sit.

Instabis 5. Sublata causa tollitur omnis ejus effectus: atqui culpa est causa pœnæ temporalis; ergo dimissa culpa non superest debitum pœnæ temporalis.

Resp. nego maj. quæ in rebus moralibus, ut nihil dicam de physicis, evidenter falsa est. In baptisatis enim v.g. non remanet originalis culpa, remanent tamen pœnalitates quæ sunt effectus illius: pariter mors & passio Christi causa est meritoria omnium auxiliorum gratiæ quibus adjuvamur; an ideo effectus illi jam nulli sunt, quia jam diu effluxerit eorum causa, nempè mors & passio Christi? non ita profectò. Etsi igitur culpa causa sit reatus pœnæ temporalis, remanet iste reatus etiam post dimissam culpam, sicut remanet ipsa culpa, etiam postquam fluxit & transiit actus physicus ex quo tanquam ex causa resultavit.

Objicies 2. Vel superfluæ & inanes dici debent humanæ satisfactiones, vel satisfactio Christi non fuit infiniti pretii ac valoris. Probatur: Quia si Christus abundè satisfecit pro nobis, quorsum aliquid à nobis exigitur?

Resp. nego ant. Ad probationem dico, humanas satisfactiones exigi & necessarias esse, non quidem in pretium redemptionis nostræ, quod abundè & superabundè solvit Christus; sed ut sint media per quæ pretium sanguinis Christi nobis applicatur; neque enim infinito valori satisfactionis Christi magis nocent humanæ illæ satisfactiones, quàm Sacramenta, quàm fides ipsa, quæ etiam in sententia adversariorum planè necessaria est ut fructum passionis Christi percipiamus. Ratio est, quia hæc omnia, sive media, sive
To. 14. instrumenta, per quæ defluit ad nos pretium meritorum Christi, quidquid ha-
Conc. p. bent valoris & dignitatis, totum trahunt ex Christo. Audiantur Patres Tri-
8:1.A. dentini Sess. 14. cap. 8. *Accedit ad hæc*, ait Synodus, *quòd dum satisfaciendo pati-*

*patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur... Neque verò ita nostra est satisfactio hec, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, facientes dignos fructus pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Et Can. 14. ejusdem Sess. sic definit: *Si quis dixerit, satisfactiones quibus pœnitentes per Jesum Christum peccata redimunt non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.* Ibid p. 815. E.

Instabis 1. Christus abundè satisfecit etiam pro ipsis pęnis temporalibus peccato debitis; ad quid ergo necessariæ sunt humanæ satisfactiones?

Resp. necessarias esse, ut nobis applicetur seu communicetur pretium satisfactionis Christi: quamquam enim abundè satisfecerit Christus quantùm ad sufficientiam pretii, imò & quantùm ad efficientiam, & etiam quantùm ad jus illud nobis communicandi; non alia tamen lege ac conditione pretium illud applicari nobis voluit, quàm pęnitentibus, ac laboriosis operibus passionem capitis nostri Christi imitantibus. Satisfactiones igitur humanæ non sunt in supplementum satisfactionis Christi, sed propter alias causas antea enumeratas.

Instabis 2. Si Christus omnem culpam & pęnam simul non remittit; ergo plùs nobis obfuit inobedientia Adæ, utpotè quæ culpam & pęnam simul invexit, quàm profuit obedientia Christi?

Resp. Eo argumento etiam probaretur mortem & miserias omnes hujus vitæ statim per Christum tolli debuisse, ne plùs obfuisse dici posset inobedientia Adæ, per quem unà cum peccato mors & miseriæ intraverunt in mundum, quàm profuerit obedientia Christi. Dicendum igitur, per Christum auferri omne illud malum, quod prævaricatio Adæ invexit. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntr.* Verùm id non 1. Cor. statim fit, *ne parva putaretur culpa*, ait S. Augustinus Tract. ultimò in Joan. 15. v. 22. *si cum illa statim finiretur & pœna*; & ut interim habeant justi quo exerceantur ad palmam supernæ vocationis. To. 3. p. 2. pag. 821. E.

Objicies 3. Non potest homo Deo satisfacere pro suis peccatis: tùm quia offensa Dei ratione objecti est infinita, satisfactio verò hominis planè finita; per finitam autem satisfactionem non potest expungi aut compensari offensa infinita: tùm quia nihil potest homo Deo offerre, quod ipsi non debeat saltem titulo creationis; satisfactio autem fieri debet per opus aliàs indebitum.

Resp. dist. ant. Non potest homo Deo satisfacere, ex condigno & quoad strictos juris apices pro peccatis quoad culpam & pœnam æternam; esto, quam quæstionem hic non expendimus: non potest satisfacere ex condigno pro peccatis quoad pęnam temporalem, nego. Si enim potest homo justus mereri de condigno vitam æternam, quidni poterit satisfacere pro pœna temporali debita peccatis? Duplex adducta probatio eò tendit unicè, nempè hominem non posse quidem satisfacere ex condigno & ad strictos juris apices pro offensa, & debito æternæ pęnæ: at non evincit, eum satisfacere non posse pro debito pęnæ temporalis, de qua una hìc sermo est.

Objicies

Objicies denique: Nonnulli ex SS. Patribus negasse videntur post dimissam à Deo culpam superesse luendam pœnam temporalem. Ita

To.1.p. 14:3.A S. Ambrosius L.10. in Lucam n.88. *Lacbrymas Petri lego*, inquit, *satisfactionem non lego*.

T.10.p. 68.E. S. Augustinus L.2. de peccat. mer. & rem. cap.34. ait, *vitæ hujus miserias ante remissionem esse quidem supplicia peccatorum; post remissionem autem, certamina & exercitationes justorum*.

To 4.p. 892.E. Et in Psal.84. ad illud, *Operuisti omnia peccata eorum, Quid est*, inquit, *operuisti? ut non illa videres. Quid est ut non illa videres? ut non illa vindicares*.

S. Chrysostomus Hom. de pœnit. & confessione, *Propter hoc*, ait, *imponit Deus nobis pœnam, non de peccatis supplicium sumens, sed ad futura nos corrigens*.

Ed. Antuern. 1614. To.5.p. 364 col. 1.A.

Resp. nego ant.

S. Ambrosius eò loci satisfactionis nomine non intelligit Sacramenti Pœnitentiæ partem, seu laboriosa & afflictiva opera, sed excusationem seu defensionem; quo pacto satisfacere objectis criminibus idem est ac objecta crimina diluere seu refellere. Mens igitur S. Doctoris hæc est, nempè S. Petrum suum agnovisse crimen, non excusasse, non defendisse: unde statim addit ibid. *Quod defendi non potest, ablui potest*.

S. Augustinus priori loco vult dumtaxat vitæ hujus miseriis, quæ supplicia sunt peccati, hoc etiam accedere utilitatis post condonatam culpam, ut sint certamina & exercitationes justorum, qui eas patienti animo tolerantes, in virtutibus proficiunt, Deumque magis sibi promerentur: quem fructum ultrò agnoscimus in humanis satisfactionibus. Ex altero testimonio hoc unum extundi potest, quod etiam concedimus, Deum ita dimittere hominibus peccata, ut ea non puniat æterno supplicio: quòd autem temporali afflictione ea castiget ac puniat, etiam post condonatam culpam, patet ex locis S. Augustini inter probationes citatis.

S. Chrysostomus eodem modo exponendus ac mox laudatum S. Augustini testimonium ex L.2. de peccat. mer. & rem.

## ARTICULUS II.

*Proponuntur & solvuntur nonnullæ quæstiones circa materiam, effectus, subjectum, & ministrum satisfactionis.*

QUæres 1. per quæ opera possit homo Deo satisfacere pro pœna temporali.

To.14. Conc.p. 815.D. Resp. 1. cum Patribus Trid. Sess. 14. Can. 13. *satisfacere posse pœnis à Deo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, vel etiam spontè susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus*: unde Sacerdos post formam absolutionis addit, *Quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum*. Tria hæc pietatis opera, jejunia, orationes, & eleemosynas assignant vulgò Theologi pro materia satisfactionis, tùm quia ea simul conjungit Scriptura, Tobiæ 12. v. 8. *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna*. Tùm quia unicuique vis inest maximâ ad placan-

placandum Deum; tùm denique, ut alias omittamus rationes, quia ad hæc tria cætera quæcunque satisfactionis opera revocari facilè possunt, ut ostendit S. Augustinus L. de perfectione justitiæ. *Sub jejunio quippè comprehenditur universa corporis castigatio; sub eleemosyna, benevolentia & beneficentia, vel dandi vel ignoscendi; sub oratione, omnes regulæ sancti desiderii.* T. 10. p. 174. B.

Resp. 2. satisfieri posse divinæ justitiæ, etiam per opera aliunde debita; magis tamen efficacem esse satisfactionem, quæ fit ex indebitis.

Prior pars ostenditur: Quia satisfacimus Deo per jejunia quæ ex mandato Ecclesiæ debent observari; per afflictiones quas Deus immittit, & patienti animo tolerare debemus; per orationes, eleemosynas & alia id genus pietatis officia nobis ex præcepto injuncta: Martyr quoque Deo satisfacit per martyrium, etiam cùm tenetur illud in defensionem fidei sustinere; atque in eo elucet maximè Dei benignitas ac clementia, ut nobis ea in præmium ac mercedem imputet, quæ ex justitia à nobis potest exigere.

Posterior pars per se manifesta est: Qui enim facit id ad quod ex præcepto non tenetur, ille procul dubio & Deo gratior est, ac majorem reportat laudem & mercedem: sic perfectiores sunt inter Christianos, qui præter divina præcepta, etiam & consilia Evangelica sequuntur & implent.

Hinc inferes 1. opera quæ sunt aliis titulis debita, ordinariè pœnitentibus injungi non debere pro satisfactione sacramentali: quia nempè quæ debita sunt, opus non habent nova obligatione ut fiant. Sic v.g. injungi non debet pœnitenti in satisfactionem & vindictam præteriti peccati, ut Sacrum audiat diebus Dominicis & festis, ut jejunet tempore ab Ecclesia præscripto &c.

Inferes 2. restitutionem rei ablatæ, reparationem injuriæ &c. non debere injungi in satisfactionem. Ratio est, quia ista pertinent ad cessationem à peccato, potius quàm ad satisfactionem: non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; ac debet priùs homo recedere à peccato, quàm pro illa satisfaciat.

Resp. 3. satisfieri etiam posse per actus internos. Ratio est, quia illi meritorii esse possunt; ergo & satisfactorii.

Quæres 2. quæ sint conditiones necessariæ ad opus satisfactorium.

Resp. opus satisfactorium debere esse liberum, bonum, & pęnale, hoc est afflictivum.

Quæres 3. quis sit effectus satisfactionis.

Resp. ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 14. & Sess. 14. cap. 8. esse remissionem pœnæ temporalis.

Quæres 4. quandonam satisfactio sacramentalis suum assequatur effectum: an cùm pœnitens absolvitur; an cùm satisfactionem injunctam adimplet?

Resp. si post acceptatam satisfactionem & firmum illius adimplendę propositum homo moriatur, antequam eam possit adimplere, vi Sacramenti ex opere operato aliquid pęnæ temporalis remitti, cujus quidem mensuram solus Deus novit: ordinariè verò remittitur illa pęna, proportione servata pęnitentiæ seu satisfactionis; id est major vel minor pro majori vel minori labore qui sustinetur.

Quæres 5. an satisfactio sacramentalis tollat non modò reatum pœnæ temporalis, sed etiam novam aliquam conferat gratiam.

Resp.

Resp. negativè. Quia Sacramentum gratiam producit ex opere operato, quando suis omnibus partibus essentialibus perfectum est: atqui cùm impletur satisfactio, Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter perfectum fuit. Neque verò potior ratio est, cur satisfactioni, quatenùs ab aliis pœnitentiæ partibus sejungitur, tribuatur virtus producendi gratiam ex opere operato, quàm confessioni, vel contritioni seorsim sumptis.

Quæres 6. an valeat satisfactio facta in peccato mortali.

Ut propositæ quæstioni satisfiat, observa 1. satisfactionem aliam esse non sacramentalem, aliam verò sacramentalem, seu quæ pars est integralis Sacramenti.

Observa 2. in peccato mortali, seu in homine reo peccati alicujus mortalis distingui debere 1. actum peccati qui transit. 2. reatum seu maculam quæ superest post physicum peccati actum, quæ macula nihil aliud est, quàm peccatum ipsum non retractatum sed moraliter perseverans. Reatus verò ille triplex distingui solet, nempè culpæ, pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis. 3. affectum peccati, seu complacentiam & voluntatem peccandi. 4. infirmitatem quæ ex diuturno habitu peccati contrahitur.

Observa 3. reatum peccati nunquam dimitti, sive extra, sive in Sacramento, nisi deposita priùs voluntate peccandi; est enim hæc conditio omninò essentialis ac necessaria. Conditionem dico, non formam aut causam quæ per se tollat reatum peccati: certum siquidem est ex Concilio Trid. attritionem per se extra Sacramentum non auferre peccatum mortale, quod tamen aufert cum Sacramento, si voluntatem excludat peccandi; voluntas ergo illa sola non sufficit expungendo peccato. His præmissis,

Resp. 1. hominem in statu peccati mortalis non satisfacere Deo extra Sacramentum pro pœna temporali, neque de condigno, neque etiam de congruo. Non de condigno, quia in homine injusto ac lethali culpa fœdato nihil est quod possit de condigno mereri remissionem pœnæ temporalis; non de congruo, quia nulla extat in Scripturis Dei promissio, qua se obstrinxerit ad talem veniam & indulgentiam. Non idcircò tamen laxanda fræna cupiditatibus, nec abjicienda pœnalis satisfactio, qua & inflecti potest divina misericordia, & corpus labori ac pœnitentiæ paulatim assuescit.

Resp. 2. eum qui injunctam à Sacerdote sacramentalem satisfactionem implendo vel actu peccat, ut qui v.g. recitando Psalterium voluntariè aliò distrahitur, aut voluntatem & propositum peccandi actu gerit, verè non satisfacere divinæ justitiæ pro pœna temporali: vix enim intelligas, qui fieri possit ut eadem actione quis simul Deum & offendat, & propitium habeat. Eò pertinet quod refertur Isaiæ 58. v. 3. Populo enim dicenti: *Quare jejunavimus, & non aspexisti? respondet Deus: Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*. Et Ecclesiastici 34. v. 31. *Homo qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se?*

Resp. 3. satisfactionem sacramentalem quæ fit in statu peccati mortalis non obesse integritati Sacramenti, suumque assequi effectum ex opere operato, tanquam partem Sacramenti integrantem, modò fiat animo pœnitenti. Ratio est, quia justitia & sanctitas fructus est seu effectus Sacramenti Pœnitentiæ, non verò dispositio omninò necessaria ad illud percipiendum, cùm sit Sacramentum mortuorum: unde confessio etiam facta

in

in statu peccati mortalis, valida est & vera Sacramenti pars. Atque hæc fuisse videtur mens Ecclesiæ, cùm absolutionem nonnisi post expletam satisfactionem olim conferebat: ejusmodi quippè pœnitentes nondum Deo reconciliatos supponebat, quos tamen prolixiori ac severiori exercebat pœnitentia. Addidi, si fiat animo pœnitenti; aliàs irrisio potius foret, quàm vera satisfactio. Si verò quæras, quo tempore suum effectum obtineat ejusmodi satisfactio, an cùm impleta est; an cùm recessit fictio. Respondebo rem esse planè dubiam & incertam, de qua litigant Scholastici.

Quæres 7. an possit homo satisfacere pro pœna temporali debita uni peccato, & non satisfacere simul pro pœna debita aliis peccatis.

Resp. affirmativè. Quia certa pœnæ temporalis mensura unicuique peccato debita est; & si potest homo, ut revera potest, in statu peccati mortalis satisfacere pro pœna temporali peccati aliàs dimissi, quare non poterit satisfacere pro pœna unius peccati, superstite integro debito pœnæ persolvendæ pro alio peccato? Quæ verò in contrarium hic objicit Estius in. 4. dist. 15. paragr. 18. tùm ex Scripturis, tùm ex SS. Patribus, probant dumtaxat hominem in actuali peccato vel formali affectu ac voluntate peccandi, non posse satisfacere, quod fatemur. To. 2. p. 201.

Quæres 8. an satisfactio debeat esse personalis, ita ut unus non possit pro alio satisfacere.

Resp. posse unum hominem pro alio satisfacere. Probat evidenter Ecclesiæ fides ac doctrina circa Indulgentias, atque Sanctorum communionem: non enim alio fundamento nixa olim fuit Ecclesia, ut in gratiam Martyrum relaxaret pœnitentibus pœnas canonicas, quàm quòd persuasum habuit merita Sanctorum eorumque satisfactiones posse aliis, Deo ita indulgente, applicari. Sed de hoc argumento fusiùs ubi de Indulgentiis.

Quæres 9. an teneatur pœnitens injunctam à Sacerdote satisfactionem implere.

Resp. affirmativè. Patet ex testimoniis Art. 1. hìc relatis. Si enim tenentur Sacerdotes congruam imponere satisfactionem, tenentur haud dubiè & pœnitentes eam adimplere.

Quæres 10. an Sacerdos teneatur peccatis congruam & proportionatam imponere pœnitentiam.

Resp. affirmativè. *Debent Sacerdotes*, ait Concilium Trid. Sess. 14. cap. 8. *quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* To. 14. Conc. p. 821. B.

Appositè omninò monet Synodus, prudentia opus esse Sacerdoti cùm satisfactionem injungit: neque enim ad strictam & litteralem Canonum pœnitentialium observantiam ita semper astringitur, quin possit aliquando ab iis, cùm expedit, recedere. Audiatur S. Thomas in Supplemento q. 18. art. 4. in corpore. *Pœnæ*, inquit, *satisfactoriæ infligendæ sunt ut medicinæ. Sicut autem medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundùm arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed*

*scientiam medicinæ; ita pœnæ satisfactoriæ in Canone determinatæ, non competunt omnibus, sed variandæ sunt, secundùm arbitrium Sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita Sacerdos divino instinctu motus, non semper totam pœnam quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & à pœnitentia totaliter recedat.*

Quæres ultimò qui sint satisfactionis fructus, seu quæ commoda & utilitas.

Resp. multiplicem esse, præter condonationem seu remissionem pœnæ temporalis, de qua jam adversùs Novatores disputavimus. Concilium Trid. Sess. 14. c. 8. de Pœnitentia, fructus illos recenset. *Divinam clementiam decet*, ait, *ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurisantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis; & vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquam æstimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur certissimam quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur.* Deinde docet Concilium, vim omnem & efficaciam nostræ satisfactionis à Christo ipso derivari. *Qui enim ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus, Christo cooperante qui nos confortat, omnia possumus.*

Isti ergo sunt satisfactionis fructus.

1. Ne putemus leviora esse peccata, quæ tam duris & acerbis pœnis emendari debent ac castigari.

2. Pœnæ illæ à peccato revocant, & quasi fræno quodam peccandi licentiam coercent. *Nam si citò rediret homo ad pristinam beatitudinem*, ait S. Augustinus Serm. 278. aliàs 34. de diversis, *ludus illi esset peccando cadere in mortem.*

To. 5. p. 1124. F.

3. Peccatores inde cautiores ac vigilantiores in futurum evadunt.

4. Pœnæ illæ satisfactoriæ medentur peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos tollunt.

5. Imminentem à Domino pœnam amovent.

6. Nos Christo capiti nostro qui tot dura & acerba nostri gratia perpessus est, conformes efficiunt.

7. Ex his pœnitentis laboriosis operibus Confessarius certior fit interni animi doloris. *In actione pœnitentiæ*, ait S. Augustinus Ench. cap. 65. *non tam considerandâ est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba aut quæcunque signa procedit.., rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippè non remittuntur.*

To. 6. p. 220. E.

8. De-

8. Denique, satisfactoriæ illæ pœnæ sunt in exemplum & ædificationem Fidelium. *Id agat*, (pœnitens) ait S. Augustinus Serm. 351. aliàs Hom. 50. *quod non solùm ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset.* To. 5. p. 1359. C

## ARTICULUS III.

### *De tempore quo impleri debeat satisfactio. An præcedere debeat, an sequi absolutionem.*

DUplex hìc quæstio movetur. Una juris seu dogmatis, altera facti. Prior est, utrum ad integritatem & veritatem sacramentalis absolutionis necesse sit ex natura & institutione Sacramenti, ut priùs adimpleta sit & perfecta injuncta satisfactio: posterior, quænam fuerit eam in rem veteris Ecclesiæ praxis ac disciplina.

Circa primum caput, Petrus de Osma à Sixto IV. damnatus anno 1478; Spalatensis apostata Lib. 5. de Republica Christiana c. 7. n. 57. Theophilus Brachet in Libro cui titulus, *Verax pacificus*, Censura sacræ Facultatis notatus an. 1644. & alii nonnulli recentiores dogmatistæ, quorum doctrinam proscripsit Alexander VIII. S. P. an. 1690. docent, *executionem pœnitentiæ seu satisfactionis injunctæ, necessariò ex institutione Christi, ac inviolabili Sacramenti natura, ita prærequiri absolutioni, ut alioquin absolutio non sit valida, nisi hujusmodi satisfactio priùs completa fuerit*; atque præsentem Ecclesiæ usum, corruptelam & abusum appellare non pertimescunt. In eum errorem lapsus est Quenellius, propositione 87. inter centum & unam damnatas à Clemente XI. die 8. Sept. an. 1713.

Circa secundum caput, sunt qui existimant absolutionem illam quam olim Ecclesia post expletos pœnitentiæ labores publicis pœnitentibus publicè concedebat, canonicam dumtaxat fuisse, & ceremonialem cum Ecclesia reconciliationem; hoc est, solutionem à pœnis canonicis, non verò sacramentalem à peccatis absolutionem. Utrum verò tunc temporis sacramentalis illa absolutio simul concederetur cum canonica, (quamquam secretò) post expletam pœnitentiam, res ipsis planè dubia & incerta videtur, quam non putant Veterum monumentis satis clarè posse definiri. Alii è contra cum Morino L. 9. c. 3. & sequentibus, Petavio in Animadversionibus ad S. Epiphanium hæresi 59. pag. 251. existimant, ordinariè post emensum pœnitentiæ stadium, in fine substrationis concessam simul fuisse tùm canonicam, tùm sacramentalem à peccatis absolutionem. His præmissis sit

## PRIMA CONCLUSIO.

Necesse non est ad substantialem integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, ut satisfactio impleatur ante absolutionem; sed perinde est sive antecedat, sive illam sequatur.

Probatur 1. Quia Ecclesia tùm priorum tùm posteriorum temporum ratam habuit absolutionem datam ante impletam satisfactionem; ergo persuasum semper habuit, ad substantiam seu essentiam absolutionis non pertinere, ut sequatur satisfactionem. Consequens per se manifestum est: Ecclesia quippe nihil potest circa substantias Sacramentorum, nec in illis assignandis errare potest.

Antecedens ostenditur; ac I. certum est, ipsis non refragantibus adversariis, Græcam Ecclesiam à mille & ducentis annis statim post confessionem peccatorum Sacerdoti factam, & pœnitentiam ab eo assignatam, pœnitentes sacramentaliter absolvere. Istud ex professo demonstrat Morinus Lib.6. c.24. ex Græcorum Ritualibus & Scriptoribus.

II. Ecclesiam Latinam saltem à sex sæculis idem observasse, & etiamnum observare, res est usu quotidiano trita & comprobata; Ecclesiam verò ea in re culpare & accusare, quasi corruptelam & abusum induxerit contra Christi institutionem ac naturam Sacramenti Pœnitentiæ, temeritatis est & audaciæ non ferendæ, cujus soli Hæretici Ecclesiæ hostes infensi, rei esse possunt. Etenim Ecclesia, quæ Spiritu sancto semper regitur, non minùs sancta est in moribus ac disciplina, quàm infallibilis in fide; & quamquam disciplinam suam circa administrationem Sacramentorum mutare aliquando possit, salva tamen semper remanet illorum substantia, in quam nihil illa potest. Ita Conc. Trid. Sess.21. cap.2. ubi ait, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum administratione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum ac locorum varietate magis expedire judicaverit.*

To. 14. Conc. p. 849. D.

Et Sess.7. Can.13. de Sacramentis in genere, anathema dicit *iis qui dixerint receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine pecato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse.* Sacra Facultas Parisiensis huic doctrinæ firmiter adhærens, in sua Censura circa jam dictum Librum Theophili Brachet an. 1644. ait, *temerarium esse atque erroneum & hæreticum, damnare disciplinam & consuetudinem ecclesiasticam ab omnibus Catholicæ communionis Ecclesiis receptam, quantumcunque diuturnam, tanquam abusivam, & institutioni Christi atque Evangelicæ doctrinæ contrariam, & negare auctoritatem penes Ecclesiam esse condendi novas leges, & aliud statuendi quàm quod Apostoli instituerunt, circa ea quæ ad regimen ecclesiasticum, sive quæ ad cultum divinum, officium & ceremonias pertinent.* Loquitur verò sacra Facultas de consuetudine Ecclesiæ dandi absolutionem ante expletam satisfactionem, quam consuetudinem auctor prædictus Theophilus Brachet, tanquam *abusivam, scandalosam*, ac

Ibid. p. 777. E.

*ac institutioni Christi & naturæ Sacramenti contrariam* inverecundè damnaverat. *Propositiones illæ*, ait Censura Parisiensis, *quæ asserunt executionem pœnitentiæ seu satisfactionis impositæ, necessariò, & ex institutione Christi ac invariabili natura, ita prærequiri absolutioni, ut alioqui absolutio non sit valida, nisi ejusmodi satisfactio priùs completa fuerit, temerariæ sunt, & hæreticæ, à Sixto IV. contra Petrum de Osma illiusque sequaces prædamnatæ, Bulla data an.*1478. *atque ad hunc errorem astruendum abutitur auctor Concilio Tridentino.*

Quantùm verò spectat ad veterem Ecclesiam, non minùs certum & exploratum est, ipsi ratam & validam fuisse absolutionem à peccatis, quam multis in casibus ante omnem, vel saltem ante condignam satisfactionem persolutam concedebat. Nemo autem sanus in animum suum induxerit, his in casibus violatam ab Ecclesia fuisse Christi institutionem & naturam Sacramenti, quam nec impunè, imò & incassum violasset, quæcunque tandem supponatur urgens salutis necessitas : Sacramentum quippè aliqua sui parte essentiali mutilum, verum non est, adeoque nullius planè virtutis & efficaciæ: *Lex tingendi data est, & forma præscripta*, inquit Tertullianus de Baptismo. Sicut ergo nusquam licet aliter baptisare, quàm in aqua & verbis à Christo præscriptis, ita pariter nusquam licitum foret absolutionem concedere ante satisfactionem adimpletam, si & Christi institutio ac natura Sacramenti Pœnitentiæ istud postularet: atqui tamen multis in casibus aliter se gessit vetus Ecclesia. *Pagina 119.D.*

I. Cùm pœnitens in vitæ discrimen veniebat ante expletum pœnitentiæ tempus, absolvebatur. Ita cautum legimus in Conciliis Nicæno I. generali, Can.13. Carthaginensi IV. Can.76. Arausicano I. Can.3. Epaonensi, Can. 36. Ita jubent SS. Pontifices, Innocentius I. cap.7. Epistolæ 1. *Si quis*, inquit, *in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat*. Et S. Leo Epistola 82. aliàs 91. ad Theodorum cap.4. *His*, inquit, *qui in tempore necessitatis, & periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio.* *Tom.2. Conc.p. 1247.B To.1.p. 605.*

II. Cùm periculum erat ne propter dilatam absolutionem pœnitentes ad Hæreticos vel Schismaticos deficerent. Ita S. Cyprianus Epistola 52. de Libellaticis ait, *Quorum si pœnitentiam respuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim cum uxore, cum liberis quos incolumes reservarant, in hæresim vel schisma, diabolo invitante, rapiuntur. Quapropter*, concludit, *opem nostram, medelam nostram vulneratis exhibere debemus.* *Pa.70.*

III. Cùm instabat persecutio Tyrannorum, lapsis absolutio & Eucharistia indulgebatur ante expletam pœnitentiam. Ita S. Cyprianus Epistola 54. *Meritò*, inquit, *trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat.... At verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus.* *Pa.76.*

IV. Cùm spes affulgebat hac indulgentia vel plures ad Ecclesiam reversuros esse, vel extinguendum fore schisma, vel aliquod insigne bonum aut faciendum, aut factum jam fuisse. Ita Cornelius S.P. multos Confessores, inter quos erat Maximus Presbyter, à schismate Novatiani ad Ecclesiam redeuntes, nulla imposita pœnitentia statim recepit; imò & Maximo Presbyteri gradum restituit. Lege Epistolam 46. inter Cyprianicas, quę est Cornelii ad S. Cyprianum. Idem S. Pontifex Trophymum, qui ab Ecclesia defecerat multosque secum abduxerat, redeuntem, & quos perverterat reducentem, sine mora suscepit & absolvit. Lege Epistolam 52. S. Cypriani ad Antonianum. Ita pariter S. Cyprianus Epistola 19. Respondens enim ad consultationem Caldonii circa lapsos, qui post casum urgente persecutione iterum tentati Christum confessi fuerant, *& extorres facti pro Christo*; ait *pacem ipsis esse concedendam, quia posteriori illa confessione delictum abluisse videntur*. En opus insigne, exilium scilicet pro Christo, in cujus gratiam vult S. Cyprianus relaxari canonicam pœnitentiæ severitatem, ac pacem indulgeri ante perfectam satisfactionem.

Pa. 60. Pa. 69. Pa. 31.

V. Cùm Martyres datis libellis postulabant ut lapsis pœnitentia relaxaretur, ac pax & communio concederetur: quorum libellorum hæc formula legitur apud S. Cyprianum Epistola 16. *Scias nos universis de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, dedisse pacem*. Conqueritur reipsa aliquando Sanctus Doctor, de nimia Martyrum facilitate in hisce libellis promiscuè concedendis: verùm in eorum gratiam relaxatam esse pœnitentiæ severitatem, negari non potest.

Pa. 29.

VI. Denique, cùm pœnitens vehementem & intensum de peccatis suis dolorem demonstrabat; pro magnitudine quippè contritionis temperabatur rigor pœnitentiæ. Ita S. Gregorius Nyssenus Epistola canonica Canone 5. *In iis quoque*, inquit, *pœnitentis voluntate examinata, ut si sit fide digna conversio, non servetur annorum numerus, sed temporis prolixitate resecata, ad Ecclesiæ restitutionem & boni participationem compendio deducatur*. Ita pariter Concilium Ancyranum Can. 5. *Statuimus*, ajunt Patres, *ut Episcopi modo conversionis examinato, potestatem habeant vel utendi clementia, vel plùs temporis adiiciendi. Ante omnia autem & præcedens vita, & quæ consecuta est, examinetur, & sic eis indulgentia impertiatur*.

To. 1. p. 952. D. Tom. 1. Conc. p. 1458. E

Probatur 2. Conclusio auctoritate SS. Pontificum Sixti IV. qui hanc Petri de Osma doctrinam damnavit an. 1478. *Pœnitentes non sunt absolvendi, nisi peracta priùs pœnitentia eis injuncta*, & Alexandri VIII. à quo die 20. Decembris anni 1690. istæ propositiones proscriptæ sunt.

Recueil des Bulles, p. 306.

Decima sexta, *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante*.

Decima septima, *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus*.

Decima octava, *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*.

Parem in Theophilo Brachet errorem proscripsit sacra Facultas die 23. Junii anni 1644.

Proba-

Probatur denique, quia satisfactio est pars dumtaxat integralis Sacramenti Pęnitentiæ: at sine parte integrante stat incolumis essentia compositi. Adde quòd vel in ipsa contritione & confessione nonnihil pœnale occurrit, quod in compensationem aliquam Deo potest offerri pro debito pęnæ temporalis.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Verisimilius est, quo tempore in usu fuit pęnitentia publica, sacramentalem à peccatis absolutionem lege communi & ordinaria datam fuisse post expletam satisfactionem.

Probatur testimoniis præcipuarum Ecclesiarum.

I. Pro Ecclesia Romana testes sunt

Zephirinus S. Pontifex cujus edictum refert Tertullianus L. de pudicitia c. 1. *Audio etiam*, inquit Tertullianus, *edictum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex scilicet Maximus, quod est, Episcopus Episcoporum, edixit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta penitentia functis dimitto.* Ob. an. 219. Pagina 555. A.

Audis pœnitentia functis; non ergo tantùm confessis ac pœnitentiam suscipientibus.

Siricius Epistolæ 1. cap. 3. de Christianis idololatria pollutis, & subinde pęnitentibus ait: *Si resipiscentes aliquando fuerint ad lamenta conversi, his, quamdiu vivunt, agenda penitentia est, & in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda; quia (docente Domino) nolumus mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Quibus postremis verbis non obscurè significat S. Pontifex, reconciliationem illam non ceremonialem dumtaxat & canonicam fuisse, sed etiam verè sacramentalem à peccatis solutionem planè necessariam, ut peccator à morte animæ excitetur & vivat. Ob. an. 398. Tom. 2. Conc p. 1018. B

Innocentius I. Can. 7. Epistolæ ad Decentium. *Cæterùm*, inquit, *de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacbrymas corrigentis; ac nunc debere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.* Sequebatur ergo tunc temporis satisfactionem absolutio. Ob. an. 417. Tom. 2. Conc. p. 1247. D. E.

S. Leo idem declarat in Epistola 82. novæ editionis, aliàs 91. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, inquit, *hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem penitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Omnem Pœnitentiæ ordinem breviter ac dilucidè hic repræsentat sanctus Leo, confessionem scilicet, pęnitentiæ actionem, reconciliationem, ac demum communionem. Ob. an. 461. To. 1. p. 602.

Quòd autem reconciliationis nomine intelligat S. Pontifex sacramentalem à peccatis absolutionem, non unam dumtaxat canonicam cum Ecclesia reconciliationem, hæc nobis persuadent. 1. Quia his temporibus utraque significabatur generali reconciliationis vocabulo; nisi velis, quod esset absonum, vix ac ne vix quidem in veteribus monumentis mentionem fieri sacramentalis absolutionis à peccatis. Ita Concilium Carthaginense IV. anni

 398.

Tom.2. Conc.p. 1205.E 398. Can.76. de infirmo sic statuit: *Is qui penitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & ori ejus infundatur Eucharistia.* Reconciliatio hæc quam sequitur Eucharistica communio, procul dubio non tantùm ceremonialis erat, sed etiam sacramentalis absolutio à peccatis. 2. Quia in eadem Epistola jubet S.Leo, ut pęnitens qui è vita excessit ante acceptam reconciliationem, mortuus non possit habere, quod vivus non accepit, id est, non fruatur communione ecclesiastica, nec consequenter preces ac sacrificia pro ipso publicè in Ecclesia offerantur. *Si autem*, inquit, *aliquis eorum* (pęnitentium) *pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit.* Rationem verò hujusce disciplinæ statim reddit: *Nec necesse est*, inquit, *nos, eorum qui sic obierint, merita actusque discutere, cùm Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit; ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multùm enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur.* Quæ sanè postrema ratio evidenter innuit, loqui sanctum Leonem de vera & sacramentali absolutione à peccatis, qua donati non fuerant ii pęnitentes, qui subito casu oppressi in ipso pęnitentiæ cursu extremum diem obierant, & quibus mortuis vult plenam Ecclesiæ communionem denegari, eo quòd illa, dum viverent, privati fuissent.

To.1.p. 605.

Ibid.

Hanc severam erga pœnitentes disciplinam in Ecclesia Romana obtinuisse aliquando, præter mox citatum S.Leonem testatur Gelasius in Concilio Romano, pro absolutione Miseni Cumani Episcopi; testatur & Concilium Toletanum II. Can. 12. Immutatum nihilominus brevi fuisse, atque cum ejusmodi pęnitentibus ante perceptam reconciliationem mortuis communicasse Ecclesiam, patet ex IV. Concilio Carthaginensi Can.79. ex Arelatensi II. Can.12. ex Vasensi II. Can.2. ex Toletano XI. Can.12. ex Innocentio III. & aliis subsequentibus Pontificibus.

Denique S. Gregorius Magnus Hom.26. in Evangelia, *Videndum est*, inquit, *quæ culpa præcesserit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam vivificat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur judicis.*

Ob.an. 603. To.1.p. 1555.E

II. Pro Ecclesia Africana testis est omni exceptione major S. Cyprianus. Epistola 59. ad Fidum: *Legimus*, inquit, *Litteras tuas, frater charissime, quibus significasti de Victore quodam Presbytero, quòd ei, antequam pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temerè Therapius Collega noster immaturo tempore & præpostera festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis movit, recessum esse à decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente ac necessitate cogente, pax ei concederetur.*

Pag.94.

En

En consuetudo Ecclesiæ Africanæ Decreto Episcoporum firmata, quam à Therapio Episcopo violatam fuisse conqueritur S.Cyprianus.

Eandem querimoniam sæpius instituit, tùm adversùs Martyres qui plùs æquo faciles erant in concedendis indulgentiæ libellis, quibus lapsi muniti ab onere penitentiæ liberos se & immunes contendebant; tùm adversùs nonnullorum Presbyterorum mollem & remissam disciplinam; tùm adversùs lapsos ipsos: atque pacem & communionem hujusmodi præpostero & immaturo tempore datam appellat *falsam pacem*, *periculosam dantibus*, *& accipientibus nihil profuturam*. Ita passim in Epistolis 9. 10. 11. 52. 54. & in Tractatu de lapsis, qui totus ferè est de hoc argumento.

Pacem verò illam apud S. Cyprianum, non nudam esse, ac merè ceremonialem canonicam cum Ecclesia reconciliationem, sed adjunctam habere sacramentalem à peccatis absolutionem, certum & exploratum nobis videtur: ea enim pax est, quam Martyres postulabant libellis suis; quam lapsi ardenter exoptabant, cum qua se ad Dominum ituros confidebant, per quam vita concedebatur, & jus erat ad dignam Eucharistiæ participationem; uno verbo, pax est quam Sacerdotes auctoritate à Christo his verbis accepta, *Quorum remiseritis &c.* concedunt. At illa vera est à peccatis absolutio, quam aut nusquam expressit S.Cyprianus, ( quod vix credi potest ) aut verbis, quæ relata sunt: non enim aliis eam passim designat in Epistolis suis & integro Tractatu de lapsis.

III. Pro Ecclesia Mediolanensi testem damus S. Ambrosium Lib. 2. de Pœnit. c. 9. num. 87. *Nonnulli*, inquit, *ideo poscunt pœnitentiam*, *ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt*, *quàm Sacerdotem ligare : suam enim conscientiam culpa non exuunt*, *& Sacerdotis induunt.* Et cap. 3. dixerat: *Quotiescunque peccata donantur*, *corporis ejus Sacramentum sumimus; ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio*. Porro certum est Eucharisticam communionem datam non fuisse nisi absoluta & perfecta penitētia. *T. 1. p. 434. F.* *Ibid. p. 420. C.*

IV. Ecclesiæ Hispaniæ eundem fuisse usum significat S. Pacianus in Epistola 1. ad Sempronianum. *Scio*, inquit, *frater*, *banc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari*; *nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis*, *aut forsitan visitatio fuerit*, *relaxari*: *magno pondere*, *magnoque libramine*, *post multos gemitus effusionemque lachrymarum*, *post totius Ecclesiæ preces*, *ita veniam veræ penitentiæ non negari*. Idem significat Concilium Toletanum III. an. 589. Can. 11. *Quoniam*, inquiunt Patres, *comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias*, *non secundùm Canonem*, *sed fedissimè pro suis peccatis homines agere penitentiam*, *ut quotiescunque peccare libuerit*, *toties à Presbytero se reconciliari expostulent*; *& ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione id à sancto Concilio jubetur*, *ut secundùm formam Canonum antiquorum dentur penitentiæ*, *hoc est*, *ut priùs eum*, *quem sui penitet facti*, *à communione suspensum*, *faciat inter reliquos penitentes ad manus impositionem crebro recurrere*: *expleto autem satisfactionis tempore*, *sicut sacerdotalis contemplatio probaverit*, *eum communioni restituat*. *Biblio. PP. T. 4. p. 307. D.* *Tom. 5. Conc. p. 1011. D.*

V. Non alium fuisse nostræ Gallicanæ Ecclesiæ usum, colligimus ex S. Eligio Hom. 8. in Cena Domini, ubi sermonem ad publicos penitentes sic convertit: *Nunc ad vos servo noster dirigitur*, *quos mater Ecclesia quasi non suos recognoscens ob feditatem scelerum vestrorum*, *dudum à se repulit*; *modò verò* *Bibl. PP. T. 12. p. 309. G.*

*verò, quia Domino per dignos pœnitentiæ fructus placuistis, mundantes vos (quantùm humana fragilitas permittit) ab omni inquinamento carnis & spiritus, per crebra jejunia & afflictiones corporum, quasi jam suos ad se revocat . . . Et licèt, fratres charissimi, per divinam gratiam nobis collatam, & per impositionem manuum Episcopalium, credatis vos posse absolvi à peccatorum vestrorum vinculis, quia statim restituemini sacris altaribus, nullus inde tamen debet vitam suam negligere &c.* Non potuit sanctus Episcopus clariùs designare sacramentalem à peccatis absolutionem, quæ post expletam pœnitentiam impendebatur. Idem colligimus etiam ex Gennadio L. de dogmatibus Ecclesiasticis c. 23. aliàs 53. *Quem mortalia*, inquit, *crimina post Baptismum commissa premunt, hortor priùs publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.*

Ib. p. 310. G. — T. 8 S. Aug. Append. p. 78. D.

Eandem fuisse Ecclesiæ Græcæ disciplinam, quo tempore viguit pœnitentia publica, facile est intelligere ex Epistolis canonicis SS. Petri Alexandrini, Gregorii Taumaturgi, Gregorii Nysseni, Basilii, & Canonibus priorum Conciliorum: quæ disciplina inclinari & mutari cœpit, tùm in Græca, tùm in Latina Ecclesia, cùm usus imponendi publicam pœnitentiam paulatim exolevit; citiùs quidem in Orientali, tardiùs verò in Occidentali Ecclesia. Post factum enim Nectarii, qui Presbyterum pœnitentialem sustulit, in Oriente absolutio dari cœpit etiam ante expletam satisfactionem; in Occidente verò, sæculo septimo vel octavo idem usus invehi cœpit: utriusque usus ac disciplinæ optimæ sunt rationes & causæ.

Martene L. 1. p. 30.

His omnibus momentis adde argumentum ductum ex controversia quæ fuit Catholicos inter ac Montanistas & Novatianos. Scilicet negabant isti, non quidem agendam esse pœnitentiam, sed eam agentibus Ecclesiam posse veniam peccatorum indulgere: quibus Orthodoxi meritò opponebant, frustraneam esse pœnitentiam quæ est sine spe veniæ. *O frustrandæ fraternitatis irrisio*, exclamabat S. Cyprianus Epistola 52. versùs finem, *ò miserorum lamentantium caduca deceptio! ò hæreticæ institutionis inefficax & vana traditio! hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam &c.* Constabat ergo inter omnes, agendam esse pœnitentiam; post illam verò negabant Hæretici veniam ab Ecclesia dari posse, quam soli Deo reservabant: è contra Catholici veniam illam ab Ecclesia concedi propugnabant. Unde sic arguimus: Eam ipsam peccatorum veniam & absolutionem post pœnitentiam concedebant Orthodoxi, quam Montanistæ & Novatiani negabant posse ab Ecclesia concedi: atqui venia hæc & absolutio non tantùm erat canonica & ceremonialis reconciliatio cum Ecclesia, sed vera coram Deo absolutio à peccatis; ergo veram seu sacramentalem à peccatis absolutionem Catholici conferebant post expletam pœnitentiam.

P. 74.

Quæres quo in gradu pœnitentiæ data fuerit absolutio.

Respondent multi cum Menardo, in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 236. datam in fine consistentiæ; alii verò distinguunt inter tempus quod præcessit, & quod subsequutum est Novatianam hæresim; ac existimant, ante istud tempus, cùm nondum distincti erant gradus pœnitentiæ, & participatio Eucharistiæ tempore non sejungebatur à sacramentali absolutione, datam hanc fuisse in fine substrationis, post expletum

Pœni-

pœnitentiæ cursum; subinde verò postquam pœnitentes jussi sunt in consistentia subsistere, antequam admitterentur ad participationem Eucharistiæ, concessam existimant absolutionem in fine consistentiæ.

Quæres 2. qua die anni solebant reconciliari pœnitentes.

Resp. feria quinta majoris hebdomadæ. Ita Innocentius I. Epistola ad Decentium n. 7. *De pœnitentibus verò*, inquit, *qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat*. Verùm in Mediolanensi Ecclesia alia obtinebat consuetudo: pœnitentes quippe reconciliabat feria sexta majoris hebdomadæ, sicut colligitur ex S. Ambrosio Epistola 20. novæ editionis, ad Marcellinam sororem n. 26. To. 2. Conc. p. 1247. D. T. 2. p. 859. B.

### *Solvuntur Objectiones adversùs duplicem Conclusionem.*

Objicies 1. contra primam Conclusionem. Pugnat hæc nostra Conclusio cum doctrina SS. Patrum, tùm circa necessitatem satisfactionis, tùm circa tempus & modum concedendi absolutionem.

Docent 1. peccatorum absolutionem esse mercedem; satisfactionem verò esse pretium quo redimuntur peccata, debitum expungitur ex peccato contractum, divina placatur ira, ac misericordia conciliatur. Ita Tertullianus, SS. Cyprianus & Ambrosius laudati Art. 1. hujus Quæstionis, ubi de necessitate satisfactionis. Atqui mercedis ratio & natura postulat, ut non detur nisi post solutum pretium; pariter debitum non relaxatur, nisi præmissa solutione; ergo est contra naturam absolutionis, quæ est satisfactionis fructus seu merces, ut detur ante persolutam satisfactionem.

Docent 2. esse contra præscriptam à Christo legem, atque institutionem pœnitentiæ, ut detur venia peccatorum ante pœnitentiam seu satisfactionem impletam. Ita imprimis S. Cyprianus Epistola 52. *Scimus*, inquit, *juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore & hortatore ipso Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari*. Epistola verò 10. invehitur acriori stylo adversùs eos qui lapsis pacem & communionem temerè laxabant ante expletam pœnitentiam. *Illi*, inquit, *contra Evangelii legem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam.... offerre lapsis pacem & Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus prophanare audent*. Et Tractatu de lapsis idem argumentum versans, *Contra Evangelii vigorem*, ait, *contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio. Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura*. Ibid. præposteram hanc *& immaturam pacem*, appellat *novum genus cladis, bellum, persecutionem, injuriam, impietatem quæ salutem non tribuit, sed impedit*. P. 74. P. 23. P. 173.

Docet 3. hanc esse Sacerdotibus observandam legem ac regulam in tribunali Pœnitentiæ, ut eos dumtaxat exteriùs absolvant pœnitentes, quos præsumere meritò possunt à Deo interiùs absolvi: *Ut quos omnipotens Deus*, ait antea citatus S. Gregorius Hom. 26. in Evangelia, *per compunctionis gratiam vivificat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim*, pergit S. Pontifex, *vera est absolutio præsidentis, cùm interni*, aliàs, *æterni arbitrium sequitur judicis*. Idem prorsus docet S. Eligius Hom. 4. *Quos Deus*, inquit, *invisibiliter* To. 1. p. 1555. E.

*absol-*

Bibliot. PP. T. 12. pag. 306. D. *absolvendo, dignos sua reconciliatione judicat, nos visibiliter reconciliando, per officium nostri ministerii absolvimus.*

Porro iidem SS. Patres affirmant, eos dumtaxat à Deo interiùs absolvi, quos verè ac sincerè de peccatis pęnitet: cùm verò interior ille dolor cognosci non possit nisi ex fructibus pęnitentiæ, inde concludunt neminem absolvendum esse, nisi qui priùs sinceræ conversionis signa dederit, per fletus, jejunia, orationes, aliaque id genus pietatis ac pęnitentiæ exercitia. Audiatur S. Aug. cap. 65. Enchiridii. *In actione pœnitentiæ*, inquit, *ubi tale crimen commissum* To. 6. p. 210. E. *est ut is qui commisit à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris .... Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia signa procedit, cùm sit coram illo cui dicitur, Gemitus meus à te non est absconditus; rectè constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ; ut fiat etiam satis Ecclesiæ in qua remittuntur peccata.* Et S. Gre- T. 3. p. 367. E. gorius Magnus L. 6. in primum Regum cap. 2. nu. 33. *Signum veræ confessionis*, inquit, *non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque benè conversum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* Hac igitur regula innixi SS. Patres, jubent explorari priùs conversionem cordis per laboriosa pęnitentiæ opera, quàm impendatur beneficium absolutionis.

Docet 4. pęnitentes, qui periculo imminente fuerant absoluti ante emensum pęnitentiæ stadium recuperata sanitate remittendos esse ad eum pœnitentiæ gradum in quo erant cùm morbo correpti sunt. Canones eam in rem indicavimus Art. 1. hujus Quæstionis. Porrò disciplina hæc non aliud videtur habere fundamentum, quàm quòd valde incerta sit & planè nulla absolutio concessa ante perfectam pęnitentiam.

Docent 5. valdè dubiam & incertam esse absolutionem quæ datur moribundo, in ipso mortis periculo pęnitentiam postulanti. Unde? quia nem- T. 5. p. 1507. D. pe non præcessit pęnitentia. *Si quis*, ait S. Augustinus Hom. 41. inter 50. nunc 393. *positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur; & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia benè hinc exit . . . Agens pœnitentiam ad ultimum*, pergit, *& reconciliatus, si securus hinc exit, ego non* Ib. Append. p. 418. G. *sum securus.* Et Sermone 57. de tempore nunc 255. in Append. *Datur quidem*, inquit, *in extremis pęnitentia, quia non potest denegari: sed auctores tamen esse non possumus, quòd qui sic petierit, mereatur absolvi . . . Et ideo pęnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est: pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipsa moriatur.*

Resp. nego antecedens.

Ad primam probationem, dico testimonia SS. Patrum intelligenda esse de pęnitentia, vel quatenus est virtus, vel quatenus est Sacramentum; vel de satisfactione, quatenus pars est integralis Sacramenti pęnitentiæ: quocunque verò sensu ea intellexeris, nobis favent nedum officiunt. Namque hoc unum demonstrare illi in animo habent, pęnitentiam scilicet, seu ut virtus est, seu ut Sacramentum, planè necessariam esse, neque alia conditione aliove pretio Deum veniam indulgere peccatorum, quàm vel perfecta cordis conversione, vel sacramentali absolutione, quæ utraque consequenter

præ-

præmitti debet & præcedere priusquam Deus culpam & pœnam æternam relaxet: quæ certè pęnitentia hoc etiam modo usurpata, quamdam satisfactionem includit, nempe & conversionem cordis, & oris confessionem: unde non immeritò generatim affirmant SS. Doctores, pœnitentiam esse satisfactionem, quæ, cùm sit pretium quo peccata redimuntur, præire debet absolutioni, quæ veluti merces est seu fructus illius pœnitentiæ. Si verò intelligantur SS. Patrum testimonia, de satisfactione quatenus est pars integralis Sacramenti Pęnitentiæ, ultro concedimus ejusmodi satisfactionem esse necessariam, & per illam tanquam pretium redimi peccata, ratione nempe pœnæ temporalis; atque sub illo etiam respectu satisfactionem debere veniæ seu condonationi illius pęnæ præire: neque enim hanc relaxat Deus, nisi post condignos pęnitentiæ fructus. Cùm verò iidem SS. Patres ostendunt, satisfactionem hanc præmittendam esse sacramentali absolutioni, loquuntur illi juxta usum & disciplinam suo tempore receptam, sicut Conclusione secunda ostendimus, non verò quasi velint hunc ordinem ex institutione Christi & natura Sacramenti necessarium esse.

In forma igitur sic respondemus ad argumentum: Satisfactio est pretium quo redimuntur peccata, quoad pęnam temporalem, concedo: quoad culpam & pęnam æternam, nego. Ista enim gratis à Deo remittitur, sive per contritionem perfectam, sive per absolutionem sacramentalem. Ergo debet satisfactio præcedere absolutionem, distinguo pariter: absolutionem à pęna temporali, concedo: à culpa & pœna æterna, nego.

Ad secundam, duo distingui apprimè debent in hisce S. Cypriani testimoniis: primum, quòd sit Deo exhibenda satisfactio; alterum verò, quòd hæc præcedere debeat absolutionem seu reconciliationem. Prius meritò revocat S. Martyr ad legem Christi in Evangelio latam: jure quippe divino ad satisfactionem seu laboriosam pęnitentiam obstringimur; unde meritò insurgit citatis in locis adversùs lapsos in persecutione, qui propter libellos Martyrum, quibus erant muniti, audacter postulabant omni onere pęnitentiæ liberari, ac statim à lapsu ecclesiasticæ communioni restitui: adversùs quos gravi oratione probat, juxta Evangelii legem atque vigorem agendam esse pęnitentiam; nec ab ea in totum dispensari posse ejusmodi lapsos propter commendationem Martyrum, nisi fortè urgeat periculum mortis. Posterius verò, nempe pęnitentiam seu satisfactionem priùs absolvendam esse, quàm ejus fructus, nempe absolutio & communio obtineatur, non revocat sanctus Doctor ad legem Christi, aut necessitatem fundatam in institutione & natura Sacramenti, sed ad usum & disciplinam quæ vigebat ea ætate in Ecclesia Africana; siquidem ab illa lege aliquibus in casibus recedi posse, docet idem S. Martyr. Quamquam etsi apertè dixisset, juxta legem Christi ac Evangelii vigorem absolutionis necessariò præmittendam esse satisfactionem, condonari hoc ipsi deberet, ac benignè exponi, pro more SS. Patribus familiari, qui cùm usum & disciplinam Ecclesiæ suæ adversùs infractores propugnandam suscipiunt, eam Christi institutioni ac voluntati conformem esse demonstrare conantur. Ita passim sentiunt & loquuntur v.g. de necessitate pœnitentiæ publicæ; de admiscenda aqua vino Eucharistico, de communione sub duplici specie, de trina immersione baptismali: & aliis hujus generis benè multis, quæ ad disciplinam, non ad substantiam seu essentiam Sacramentorum pertinent.

Ad

Ad tertiam: Quæ Conclusione nostra docuimus minimè adversantur huic SS. Patrum regulæ. Neminem quippe absolvunt, aut saltem absolvere debent æqui ac prudentes Sacerdotes, nisi quem debitè præparatum, adeoque interiùs contritum ac pęnitentem meritò præsumunt, cujus quidem judicii certitudinem tùm ex confessione pęnitentis, tùm ex aliis signis eliciunt. Revera olim diuturna probatio & pęnitentia præmittenda erat, ex usu & disciplina tunc temporis vulgata, in signum & probationem veræ conversionis; at nusquam existimavit Ecclesia, ad substantiam absolutionis sacramentalis pertinere, ut subsequatur satisfactionem: siquidem, ut jam diximus, multis in casibus priùs absolutionem concedebat, quàm omnino impleta fuisset satisfactio.

Ad quartam & quintam eadem est planè responsio. Remittebat Ecclesia pęnitentes qui in infirmitate absoluti fuerant, ad explendam satisfactionem, si convaluissent: non quòd planè nullam judicaret illam absolutionem, ad quid enim illam concessisset? sed quòd disciplina horum temporum istud exigebat, ad exemplum & terrorem aliorum. Suspecta pariter & dubia visa fuit absolutio data moribundis, qui eam in mortis periculo dumtaxat postulaverant, non quòd absolutè nulla foret, si eos ex animo verè pęniteret, (*desperat enim de clementia Dei*, ait Cęlestinus S.P. *qui eum ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit*) sed quòd valde incerta & dubia videatur interior eorum hominum conversio, *quos*, ait S. Cyprianus Epistola 52. *non delicti pęnitentia, sed mortis urgentis admonitio rogare compellit.*

To. 2. Conc. p. 16.9.E.

P. 73.

Objicies 2. contra secundam Conclusionem: Absolutio illa quæ olim concessa legitur post expletos pęnitentiæ labores, canonica dumtaxat & ceremonialis erat reconciliatio cum Ecclesia, non verò sacramentalis absolutio à peccatis.

Probatur I. Quia sacramentalis absolutio peccata dimittit, non verò supponit dimissa: atqui absolutio illa quæ dabatur olim post pęnitentiam, non dimittebat sed dimissa supponebat peccata, quia nempe supponebat pęnitentiam & satisfactionem, per quam peccata redimi ac dimitti asserunt SS. Patres Art. 1. hujus Quæstionis laudati.

Confirmatur exemplo Lazari, quod sæpius proponunt SS. Patres. Sicut enim ille ad vitam revocatus jam fuerat, cùm à Christo Discipulis solvendus traditus fuit; ita quoque jam vivit homo spirituali animæ vita per remissionem peccatorum, cùm ab Ecclesia exteriùs absolvitur.

II. Absolutio quæ supponit Eucharistiæ perceptionem, sacramentalis non est, sed purè ceremonialis & canonica: atqui finalis illa absolutio quæ concedebatur expleto pęnitentiæ tempore, supponebat Eucharistiæ perceptionem. Patet istud ex iis Conciliorum Canonibus quibus statuitur ut pęnitentes, qui in periculo mortis absoluti fuerant & Eucharistia donati, si fortè convaluissent, remitterentur ad perficiendam pęnitentiam, qua absoluta reconciliarentur per manus impositionem. Ita Concilium Carthaginense IV. Can. 76. *Is qui pęnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur à suppradictis testibus*

To. 2. Conc. p. 1205. E.

*flibus, petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis penitentiæ legibus*. Canone verò 78. *Penitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint*, *Ibid. p.* *non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint*. Et Concilium 1106.B. Arausicanum I. Can. 3. de iisdem penitentibus ait: *Si supervixerint, stent* *To. 3.* *in ordine penitentium, & ostensis necessariis penitentiæ fructibus, legitimam* *Conc. p.* *communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant*. 1448.D.

III. Sacramentalis absolutio à solis Episcopis & Presbyteris dispensari potest: atqui absolutio illa quæ expletos penitentiæ labores olim sequebatur, non à solis Episcopis & Presbyteris, verùm etiam à Clero inferiori, & à Diaconis ipsis dispensabatur. Inde gravis querimonia S.Cypriani adversùs eos *qui nondum*, *P. 23.* inquit Epistola 10. *exomologesi facta, nondum manu ab Episcopo & Clero imposita*, lapsis immaturo tempore Eucharistiam concedebant.

Resp. nego ant.

Ad primam probationem, dist. min. absolutio quæ sequebatur satisfactionem supponebat peccata dimissa, aliquando, cùm nimirum perfecta charitate informata erat penitentia, concedo: semper, nego. Quin non sine voto absolutionis subsecuturæ dimittebantur peccata, etiam cùm perfecta aderat charitas.

Distinguo pariter hanc propositionem: per satisfactionem dimittuntur peccata, quoad penam temporalem, concedo, quoad culpam, iterum distinguo: dispositivè, concedo: formaliter vel effectivè, nego.

Ad exemplum Lazari jam Art. 2. Quæstionis secundæ respondimus. Eò quippe unicè tendit exemplum illud, ut pateat debere penitentes inchoata quadam vita spiritali per excitantem gratiam vivere priusquam absolvantur.

Ad secundam, dist. pariter min. absolutio quæ dabatur post expletam penitentiam, supponebat Eucharistiæ perceptionem, nec erat sacramentalis, aliquibus in casibus, in eo præsertim qui in Objectione exponitur, concedo: semper & communi ac ordinaria lege, de qua loquitur Conclusio nostra, nego.

Ad tertiam, dico absolutionem illam quæ sequebatur penitentiam, & ceremonialem fuisse simul & sacramentalem: quatenus ceremonialis & canonica erat cum Ecclesia reconciliatio, poterat à Clero inferiori & à Diaconis dispensari; perinde ac illa manus impositio, quæ in Ordinatione Sacerdotum & Diaconorum, à Clero adhibetur, verè sacramentalis non est, sed ceremonialis dumtaxat: quatenus verò absolutio illa sacramentalis erat, ab Episcopo vel Presbytero sive publicè, sive privatim conferebatur.

Objicies 3. testimonium Sozomeni L.7. Hist. cap. 16. ubi loquens de Pres- *P. 726.* bytero Penitentiario ejusque officio, *ad quem*, inquit, *accedentes ii qui de-* *D.* *liquerant, actus suos confitebantur. Ille verò pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, penæ loco indicens, absolvebat confitentes, à se ipsis penas criminum exacturos*. En absolutio sacramentalis data ante satisfactionem, quæ injuncta fuerat, adimpletam. Deinde postquam descripsit, quo ritu ageretur penitentia publica, clarè significat, aliam finalem absolutionem fuisse dumtaxat relaxationem à penis canonicis: *Ubi verò*, *P. 727.* pergit Historicus, *præstitutus dies advenit, tanquam debito quodam persolu-* *B.* *to, à pœna commissi sceleris liberatur, & reliquo Ecclesiæ populo sociatur*. Hunc autem usum in Ecclesia Romana ad sua usque tempora observatum fuis-

Ibid. fuisse ibidem testatur: *Hæc*, inquit, *Episcopi Urbis Romæ, jam inde ab ultima vetustate ad nostram usque ætatem custodiunt*. Florebat autem Sozomenus an. 439. Non potuit clariùs designari utraque absolutio, una sacramentalis quæ præcedebat satisfactionem; altera non sacramentalis, sed canonica & ceremonialis quæ sequebatur, & clausula erat totius pœnitentiæ.

Resp. hac in parte hallucinatum fuisse Sozomenum, cujus certè auctoritas præponderare non debet tot insignibus testimoniis quæ inter probationes Conclusionis descripsimus. Et verò manifestè aberravit Historicus ille, cùm supposuit in Romana Ecclesia, perinde ac Constantinopolitana, institutum ab initio fuisse Presbyterum Pœnitentiarium, excipiendis pœnitentium confessionibus præfectum: rectè enim observat Valesius in notis ad istud Sozomeni caput, nullam prorsus illius Pœnitentiarii mentionem extare apud vetera Ecclesiæ Romanæ monumenta.

# QUÆSTIO OCTAVA.

*De disciplina veteris Ecclesiæ circa pœnitentiam: seu de pœnitentia publica.*

TOta ferè historica est Quæstio præsens, de qua legi poterit eruditum Opus P. Morini. Ad quinque verò Articulos generatim revocabimus quæ hìc dicenda nobis sunt.

In primo quæremus quodnam temporis spatium præfixum olim fuerit agendæ pœnitentiæ, tùm à Christo ad Montanum, tùm à Montano ad schisma & hæresim Novati & Novatiani, tùm ab ortu hæresis Novatianæ ad quartum & posteriora sæcula.

In secundo, varios pœnitentiæ publicæ gradus seu stationes strictim percurremus.

In tertio, expendemus quænam peccata obnoxia fuerint pœnitentiæ publicæ: an omnia mortalia, an sola canonica; an publica, an etiam occulta.

In quarto, agemus de personis pœnitentiæ publicæ olim addici solitis.

In quinto denique, quæremus an sæpiùs imposita fuerit iisdem personis publica pœnitentia.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De tempore quod olim præfixum fuit agendæ pœnitentiæ publicæ, tùm à Christo ad Montanum; tùm à Montano ad schisma & hæresim Novatianam, tùm ab hæresi Novatiana ad quartum & posteriora sæcula.*

DUo hìc tanquam certa & apud omnes explorata supponimus: primum, Veteres peccata in tres classes distribuisse, nempe gravissima, vulgò canonica dicta, gravia, & levia, quibus æquas & proportionatas imponebant pœnas; alterum, pœnitentiam publicam in Ecclesia diu viguisse, cujus quod præfinitum fuerit tempus præsenti Articulo inquirimus.

PRI-

## PRIMA CONCLUSIO.

A nascente Ecclesia ad Montani hæresim quæ circa medium secundum sæculum caput extulit, nullum certum tempus peragendæ pœnitentiæ legitur præfixum: brevius illud fuisse conjicimus. *Mor. L. 4.c.9.p. 182.*

I. exemplo Apostoli qui Corinthium incestuosum Ecclesiæ restituit, anno nondum, vel ad summum vix expletò. Namque secundam inter & primam ad Corinthios Epistolam, nonnisi annus intercessit: intra verò istud spatium temporis, & pœnitentiæ addictus fuit ille incestuosus, & communioni restitutus.

II. ex historia juvenis illius qui cùm per plures annos dux latronum factus fuisset, ab Apostolo S. Joanne ad pœnitentiam adductus est, & brevi tempore in communionem Ecclesiæ ab eodem receptus. Historiam ex Clemente Alexandrino refert Eusebius L. 3. c. 23.

III. ex Libro Pastoris, qui tanto apud Veteres in loco fuit: in eo quippe frequens occurrit pœnitentiæ mentio, nullum verò tempus legitur ipsi peragendæ præfixum ac determinatum. *P. 92. & seq.*

IV. ex Eusebio L. 5. c. ultimo, ubi narrans historiam conversionis & pœnitentiæ Natalis Episcopi, significat illum ad pedes Zephirini provolutum, sacco indutum ac conspersum cinere, ita fletibus suis Ecclesiam commovisse, ut statim absolutus & communioni redditus fuerit, absque diuturniori pœnitentiæ afflictione. *P. 197.*

V. denique, ex Tertulliano qui etsi necessitatem pœnitentiæ pluribus commendet in Libro hac de re integro, nusquam tamen præfixi alicujus temporis, unius aut plurium annorum, meminit.

Neque est quòd opponas Canonem 24. Apostolicum, & concionem S. Petri apud S. Clementem Alexandrinum Lib. 6. ante medium, ubi certum tempus assignatur percurrendæ pœnitentiæ.

Namque nemo tam rudis & ineruditus ignorat Canones illos Apostolorum non esse, sed ex veteribus Conciliis collectos, sub ementito Apostolorum nomine: pariter concionem illam S. Petri planè fictam & supposititiam esse.

## SECUNDA CONCLUSIO.

A Montano ad hæresim Novatianam, etsi in specie nullum determinatum sit à Patribus agendæ pœnitentiæ tempus, paulò tamen diuturnum illud fuit; & severiùs cum pœnitentibus agere tum cœpit Ecclesia. *Mor. L. 4. c. 10. p. 185.*

Prior pars Conclusionis patet ex silentio tùm Cornelii S. P. in suo Romano, tùm S. Cypriani in suo Carthaginensi Concilio in causa lapsorum: nullum etenim his in Conciliis præfinitum legitur tempus, quo necesse fuerit lapsos in laboribus pœnitentiæ detineri.

Posterior verò pars, nempe tempus illud paulò fuisse longius quàm antea, & Ecclesiam tum demum incæpisse agere severiùs cum lapsis,

Probatur ex causa lapsorum qui libellis Martyrum muniti, vel nulla, vel levis-

levissima acta penitentia reconciliari postulabant, adversùs quos, sicut & Presbyteros in concedenda ipsis venia faciliores, graviter invehitur S.Cyprianus. Eorum verò occasione duplex emissum est Decretum: prius provisorium, quo nempe provisum fuit, ut lapsis ejusmodi pax & communio concederetur, si urgeret mortis periculum; alterum verò peremptorium, quo statutum fuit, ut si nullum esset mortis periculum, lapsi plenam agerent penitentiam. Hujus Decreti meminit S.Cyprianus Epistola 52. ad Antonianum. *Cùm data esset*, inquit, *facultas in unum conveniendi.... Scripturis diu ex utra-*
P. 67. *que parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur.... sed traheretur diu penitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia.* Severior ergo tunc temporis esse cepit disciplina penitentiæ, ut nempe Montanistis & Novatianis eriperetur locus incusandi & arguendi, ut solebant, nimiam Catholicorum in concedenda lapsis venia indulgentiam & facilitatem. Certi tamen erant casus expositi superiùs Art. 3. Qu. 7. in quibus disciplinæ suæ rigorem temperabat Ecclesia, ac lapsos penitentes communioni suæ sine mora restituebat.

## TERTIA CONCLUSIO.

Post Novatum severissima fuit Ecclesiæ circa penitentes disciplina, in quatuor solemnes gradus, fletum, auditionem, substrationem, & consistentiam distincta; atque præfinitum ejus per plures annos, pro conditione criminum, peragendæ tempus.

Probatur ex SS. Gregorio Thaumaturgo, Basilio, Gregorio Nysseno & aliis benè multis veteribus monumentis, quibus aperta fit mentio illorum graduum penitentiæ. De illis agit Morinus L. 6. c. 1. 2. & seq.

Si verò quæras quo præcisè tempore distributa sit penitentia in illos artificiales gradus?

Respondeo verisimile esse gradus illos institutos non fuisse ante medium tertii sæculi, sed circa tempus hæresis Novatianæ. Ratio est, quia illius distributionis penitentiæ in quatuor gradus mentio apud Veteres non occurrit ante istud tempus. Omnium primus gradus illos expressit S. Gregorius Thaumaturgus Episcopus Neocæsariensis creatus anno 240. & mortuus an. 265. in Epistola canonica Can. 11. cujus verba inferiùs referemus.

Scio Morinum L. 6. c. 1. n. 9. contendere Canonem illum 11. supposititium esse, aliena manu isti Epistolæ insertum. Verùm etsi id daremus Morino, quod tamen non concedimus, an propterea supposititia & falsa dicenda foret integra S. Doctoris Epistola? minimè certè. Atqui tamen in aliis ejusdem Epistolæ Canonibus mentio fit eorumdem graduum penitentiæ: Canone nimirum 7. & 8. auditionis; Canone 9. substrationis & consistentiæ: quin & fletus subobscurè indicatur Canone 8. ubi domorum invasores ne auditione quidem dignos esse pronuntiat, quod certè de statione fletus non immeritò intelligi potest; neque enim omni prorsus penitentia privandos illos esse voluit sanctus Doctor.

His adde, Concilium Ancyranum, quod annis circiter 40. aut 50. celebratum est post scriptam illam Epistolam, gradus illos recensere, non tanquam

quam à se primùm inductos ac recentes, sed jam receptos & in usu positos. Ita similiter de illis loquuntur subsequentes Scriptores. Verisimile igitur est gradus illos non ante medium tertii sæculi inductos fuisse, sed circa tempus hæresis Novatianæ.

Quæres, an in Oriente citiùs quàm in Occidente viguerint illæ distinctæ pœnitentium stationes.

Resp. affirmativè. Nam apud Scriptores Græcos priùs quàm apud Latinos eorum graduum occurrit mentio. Apud S. Gregorium Thaumaturgum tertio sæculo; apud Ancyranos Patres, S. Basilium, S. Gregorium Nyssenum quarto sæculo: apud verò Latinos Scriptores sexto sæculo; in septima nimirum Epistola Felicis III. S. Pontificis ad universos Episcopos, gradus illi primò recensentur: quamquam negari non possit, quin ante illud tempus publica pœnitentia in usu fuerit apud Latinos. Mor. L. 6. c. 4. p. 367.

## QUARTA CONCLUSIO.

In Ecclesia Orientali post quartum sæculum, in Occidentali verò post septimum, multùm remissa est disciplina prior, ac ferè abrogatæ videntur solemnes pœnitentiæ publicæ stationes. Mor. L. 6. c. 22. p. 415.

Prior pars quæ est de Ecclesia Orientali,

Probatur 1. ex facto Nectarii de quo superiùs: abrogavit enim in Ecclesia Constantinopolitana cum Pœnitentiario disciplinam publicæ pœnitentiæ, seu solemnes illius stationes; aut saltem extinxit usum publicæ pœnitentiæ pro peccatis occultis, quam nonnulli pœnitentes, sive ex consilio, sive ex mandato illius Pœnitentiarii subibant. Pœnitentiam enim publicam pro peccatis omnino publicis aliquamdiu adhuc viguisse in Oriente post Nectarium, diximus suprà, ubi solvebamus objectiones petitas ex SS. Patribus contra necessitatem confessionis: unde non sine consilio diximus in Conclusione, ferè abrogatas videri solemnes pœnitentiæ stationes; quæ particula *ferè*, indicat non omnino ac totaliter extinctum statim pœnitentiæ publicæ ritum.

Probatur 2. ex Liturgiis, Canonibus & Libris ritualibus qui à quarto sæculo ad hæc usque tempora prodiere apud Græcos: altum enim apud hæc monumenta silentium de publica pœnitentia peccatis occultis imponenda. Non tamen propterea penitus obliterata est apud Græcos pœnarum canonicarum severitas; secretò enim eas imponunt, quæ sunt à Canonibus præscriptæ. Ita colligimus ex Libro pœnitentiali Joannis Jejunatoris, qui labente sexto sæculo creatus est Patriarcha Constantinopolitanus. Ita pariter testatur eruditus P. Goarius in suis notis ad Euchologium Græcorum, ubi sic loquitur: *Sacerdotes sedentes, pœnitentes pariter sedentes* ( *pro antiquo Latinorum more* ) *pro exomologesi audiunt: si leves & venia dignas pœnitentis culpas deprehenderint, nullam adhibent absolutionem, sed de pio devotoque quodam opere exercendo monitum amicè remittunt: si lethifera . . . detegunt, illa in Nomocanone juxta seposito examinant, censurarumque districtioni, prout legunt, cuncta subjiciunt, & tandem pœnitenti benè precantur . . . Publica verò pœnitentia nulli licet amplius imponatur* , ( *relaxato nimirum apud eos antiquo Canonum rigore à Nectario, & deinde Joannis Jejunatoris mitissimi in de-* P. 678. col. 1. Ib. col. 1.

 *linquen-*

*linquentes animi, tempore, & levioribus penis compensato) aliquos tamen confessione expiatos à sacra communione per annum vel plures quandoque arcent.* Ita Goarius.

Ex quibus patet, ex quatuor gradibus pœnitentiæ tres extinctos fuisse à tempore Nectarii, nempe fletum, auditionem, & substrationem, sola retenta consistentia, seu separatione ab Eucharistica communione per aliquot annos, ubi gravissimum est commissum scelus.

Secunda pars fusè demonstratur à Morino L.6.cap.27. ex Libris pœnitentialibus qui à septimo sæculo in Latina Ecclesia prodierunt, apud quos nulla mentio pœnitentiæ publicæ pro occultis peccatis; nulla illarum solemnium stationum, in quas distributa hucusque fuerat pœnitentia; nulla pariter impositionis manuum ac solemnis ritus quo dimittebantur pœnitentes. Huic immutationi occasionem dedisse videtur Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus, qui cùm origine Græcus foret, Græcorum disciplinam invexit in suo pœnitentiali Libello. Post undecimum sæculum videtur planè abrogata pœnitentia publica, cùm nempe licitum fuit vel eleemosynis, vel expeditione Terræ sanctæ, vel spontanea flagellatione pœnas canonicas redimere. Has omnes immutatæ disciplinæ causas expendit Morinus L.10.c.16.17.18.19.&seq.

## ARTICULUS II.

### *De variis pœnitentiæ publicæ gradibus seu stationibus.*

QUatuor fuere solemnes pœnitentiæ gradus seu stationes, scilicet, fletus, auditio, substratio, & consistentia, de quibus sigillatim & strictim hìc dicendum.

### *De fletu.*

Quæres 1. quæ fuerit fletus seu flentium statio.

Resp. flentes appellatos fuisse eos pœnitentes qui stabant extra portam Oratorii, & ab ingredientibus & egredientibus cum lachrymis & precum subsidium expostulabant; & peccati condonationem. *Fletus*, ait S.Gregorius Thaumaturgus Can. 11. Epistolæ Canonicæ, *est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur.* Idem ait S.Basilius Can.56. Inde patet fletus stationem collocatam fuisse extra omnem Ecclesiæ ambitum.

Edit. Parif. 1662.p. 41. B. Edit. vet. T. 2.p.775. C. To. 1. Conc.p. 1461.E.

Quæres 2. an *hyemantes*, de quibus loquitur Canon 17. Ancyranus, (*Eos*, inquit, *qui rationis expertia animantia inferunt, & qui leprosi sunt vel fuerunt, jussit Synodus inter hyemantes orare*,) iidem sint cum flentibus.

Respondet Illustrissimus Albaspinæus in notis ad Concilium Ancyranum, præter locum flentibus in atrio seu domo Ecclesiæ adjacente destinatum, aliquos nefandos peccatores, quales mox citato Canone notantur, fuisse extra omne tectum sub dio omnibus aeris incommodis obnoxios, quos indigitasse videtur Tertullianus Lib. de pudicitia cap.4. his verbis, *Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora & in sexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.*

P. 557. B.

Respon-

Respondent alii, *hyemantes* esse arreptitios seu energumenos immundis spiritibus vexatos.

Respondet Morinus L. 6. c. 2. inter *hyemantes* orare, nihil esse aliud quàm in fletu, atque ab omni Ecclesiæ ambitu semotum sub dio aerisque tempestatibus expositum.

Quæres 3. quid agerent pœnitentes in statione fletus.

Resp. hac in statione lugubri habitu indutos, cilicio & cinere sordidatos pœnitentes, ad hoc unum intentos præsertim fuisse, ut Fidelium ingredientium & egredientium vota captarent, eosque deprecarentur ut pro se apud Ecclesiam intercedere dignarentur.

Quæres 4. quo temporis spatio definiretur statio flentium.

Resp. pro diversa criminis gravitate brevius vel longius fuisse hujus, ut & aliarum, stationis tempus. *Qui sua sponte interfecit*, ait Canon 56. S. Basilii, *& postea penitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet quatuor annis flere stans extra fores oratorii, & fideles ingredientes rogans ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur. Septem autem annis cum iis qui in substratione orant egredietur. In quatuor autem annis solùm stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps: iis autem expletis erit Sacramentorum particeps.* Edit. vet. T. 2. p. 775 C.

## De auditione.

Quæres 1. quæ fuerit statio auditionis, seu audientium.

Resp. pœnitentes audientes fuisse illos qui stabant intra portam, in loco qui *narthex* dicitur, & divinas Scripturas, communisque doctrinæ explicationem audiebant, & postea cum Catechumenis exibant. *Auditio*, ait Canon 11. jam citatus S. Greg. Thaumaturgi, *est intra portam in porticu*. . . P. 41. B. *ubi oportet eum qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censeatur*. Inde colliges, hoc unum pœnitentibus in auditionis statione versantibus permissum fuisse, ut conciones sacras, lectionem Scripturæ, Psalmorum cantus audirent, quibus peractis exire tenebantur.

Quæres 2. quid significet in mox citato Canone, *stare usque ad Catechumenos*.

Resp. sensum esse, audientibus pœnitentibus fuisse licitum stare in loco designato Catechumenis, usque ad Missam Catechumenorum dictam, quæ cùm incipiebat, exeundum ipsis erat. Missa verò Catechumenorum complectebatur preces & expiationes quibus illi purgabantur, & quibus interesse non licebat pœnitentibus qui dicebantur audientes.

Quæres 4. quot hominum genera poterant versari in statione auditionis?

Resp. ea in statione admissos Ethnicos, Judæos, Hæreticos, Schismaticos, primi generis Catechumenos, & audientes pœnitentes: his quippe omnibus, cùm ad Ecclesiam sese recipiebant, hic locus assignabatur, iisque omnibus Psalmorum cantum, sacræ Scripturæ lectionem & conciones Episcoporum audire licebat. Ita statuit Canon 84. Concilii Carthaginensis IV. *Episcopus*, inquit, *nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum.* To. 2. Conc. p. 1206. D.

*De substratione.*

Substractio erat statio in qua pęnitentes substrati & genuflexi stabant, humili ac demisso habitu, variisque pęnis ac laboribus exercebantur & castigabantur. Severissima fuit hæc statio, unde apud Veteres absolutè pęnitentia vocatur.

Quæres quo in loco essent pęnitentes substrati.

Resp. eos fuisse intra Templi ambitum, à portis Ecclesiæ usque ad ambonem, id est, ad locum illum, ex quo Epistola & Evangelium legebantur.

Frequentes supra substratos fiebant manus impositiones, & orationes fundebantur: cum Catechumenis exibant, quando sacrificium offerebatur. Lege Morinum L.6.c.8.& seq.

*De consistentia.*

Quæres 1. quæ fuerit statio consistentiæ.

Resp. eam fuisse in qua pęnitentes cum Fidelibus in Ecclesia consistebant, nec cum Catechumenis exire compellebantur. Inde dicta consistentia, seu precum participatio, communio; quia nempe licebat eo in gradu adesse cum Fidelibus Sacrificio & precibus: aliquando dicitur excommunicatio minor; quia ejusmodi pęnitentes nondum admittebantur ad sacram mensam.

Quæres 2. quis fuerit specialis locus consistentium.

Resp. assignatum illis fuisse locum ab ambone ad sanctuarium: verùm utrum à Fidelibus separati fuerint, vix affirmari potest, cùm ea de re sileant Veteres.

Quæres 3. quid observatum fuerit in gradu consistentiæ.

Resp. sola excepta Eucharistiæ communione, qua privabantur qui consistentes dicebantur, cætera omnia ipsis communia fuisse cum aliis Fidelibus extra ordinem pęnitentium positis.

## ARTICULUS III.

*De peccatis quę publicæ pęnitentię addicta olim fuerunt.*

QUæstio est utrum omnia peccata mortalia, an verò sola gravissima, dicta vulgò canonica, quòd Canones nominatim certas ipsis pęnas imponerent, fuerint obnoxia pænitentiæ publicæ. Rursus quæstio est, utrum illa canonica peccata si occulta fuissent, eidem pęnæ necessariò & vi Canonis subjici debuerint; an verò cùm publica dumtaxat erant. Peccatum verò dici potest publicum duobus modis: primo, cùm ad Judicem Ecclesiasticum delatum est, ac per idoneos testes probatum; secundò, cùm multis quidem scandalo & offensioni fuit, nihilominus juridicè ad tribunal & forum externum Ecclesiæ delatum nec probatum est: quam peccati publici distinctionem expressè agnovit S. Augustinus Sermone 351. alias Hom.50.inter 50.c.4.

T.5.p.1359. Sunt inter Theologos qui existimant omnia indiscriminatim mortalia peccata

cata legibus pęnitentiæ publicæ obnoxia olim fuisse: alii è contra, sola canonica seu gravissima, nempe idololatriam, homicidium, & adulterium, eorumque species manifestas, sive publica, sive occulta illa fuissent, huic legi subjacuisse contendunt: alii denique id concedunt quidem de publicis peccatis, de occultis verò negant. Quid verisimilius nobis videatur duplici Conclusione aperiemus.

## PRIMA CONCLUSIO.

Omnia moralia peccata nusquam subdita fuere legi pœnitentiæ publicæ, sed canonica dumtaxat, nempe idololatria, homicidium & adulterium, eorumque species manifestæ, quibus successu temporis nonnulla alia addita fuerunt.

Tria hæc canonica peccata eorumque species manifestas, ac subinde nonnulla alia legi pęnitentiæ publicæ obnoxia fuisse, res est apud omnes certa, quæ vix indiget probatione. Lege Morinum L. 5. c. 4. & 5. Tota igitur præsens quæstio eò divolvitur, an nempe omnia indiscriminatim mortalia peccata huic pœnæ subdita olim fuerint.

Probatur itaque 1. Conclusio nostra; Quia neque veteres Scriptores qui tertio Ecclesiæ sæculo floruere, Tertullianus, S. Cyprianus, Origenes, S. Gregorius Thaumaturgus, neque Concilia, quæ initio quarti sæculi celebrata sunt, alia peccata præter tria gravissima, idololatriam, homicidium, & adulterium, eorumque species manifestas, publicæ pœnitentiæ addicunt. Non alia profectò occurrent legenti Canones octoginta & unum Concilii Elibertani ann. 304. duos supra viginti quinque Ancyranos, quatuordecim Neocæsarienses eodem anno. Et Concilium Toletanum I. an. 442. Can. 2. *Pœnitentem*, inquit, *dicimus de eo, qui post Baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.* Tom. 1. Conc. p. 1223. E.

Probatur 2. quia Veteres apertè significant ab ista lege pęnitentiæ publicæ libera fuisse nonnulla mortalia peccata. Ita

Concilium Neocæsariense Can. 4. excipit peccatum cogitatione dumtaxat, non opere externo commissum. *Si quis*, inquit, *mulierem concupiscens proposuerit cum ea decumbere, & cogitatio ejus non pervenit ad effectum, apparet quòd gratia Dei liberatus est.* A quo? non à culpa & quidem mortali; *Qui enim viderit mulierem ad concupiscendum eam*, inquit Christus Matt. 5. v. 28. *jam mæchatus est eam in corde suo.* Non etiam ab omni prorsus pœna seu pœnitentia; ómne siquidem lethale peccatum per pœnitentiam debet expiari. Liberatus ergo ille dicitur, tùm quia peccatum opere externo non consummavit; tùm quia luctuosæ ac publicæ pęnitentiæ subjici non debuit, sicut debuisset, si crimen opere perfecisset. Tom. 1. Conc. p. 1484. E.

Concilium Laodicænum Can. 7. Hæreticos recipit sine pęnitentia, per solam fidei professionem & chrismatis unctionem. Synodus Nicæna Can. 8. Catharos seu Novatianos admittit per manus impositionem, eosque in suo gradu remanere permittit.

S. Basilius Epistolæ ad Amphilochium Can. 14. non aliud ab usurariis po-

Edit. vet. T. 2. p. 765. B. stulat, quàm ut deposito avaritiæ studio, in pauperes effundant quod per usuras compararunt: imò eos ad Sacerdotium posse promoveri declarat. *Qui usuras*, inquit, *accepit, si iniustum lucrum in pauperes consumere voluerit, & ab omni avaritiæ morbo deinceps liberari, ad Sacerdotium admitti poterit*. Nulla hic mentio pœnitentiæ publicæ tali peccato impositæ legitur.

Ibid. p. 771. A. Canone 30. observat antiquos Canones nullas in raptores pęnas decrevisse. *De his autem qui rapiunt*, inquit, *Canonem quidem antiquum non habemus; sed propriam sententiam proferimus, ut ipsi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis sint extra orationes*. Pariter Canone 61. furtum; 64. perjurium; 66. sepulchrorum effossores; 80. polygamiam, quod crimen matrimoniales contractus supra tetragamiam interpretatur Balzamo, ad publicam pęnitentiam damnat. Ibid. p. 776. & 778. Non omnia igitur indiscriminatim mortalia peccata huic pęnæ obnoxia erant; aliàs quid necesse fuisset ista nominatim designare?

Canone denique 34. mulieres adulteras à percurrendis gradibus pœnitentiæ publicæ dispensat, ne fortè veniant apud maritos in suspicionem patrati sceleris, atque in discrimen vitæ adducantur; *Adulterio*, inquit, *pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus: eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleatur tempus pœnitentiæ*. Ibid. p. 771. B.

Sanctus pariter Gregorius Nyssenus in Epistola canonica ad Letojum Canone 6. observat nullas publicas pęnas à Canonibus assignatas fuisse avaritiæ, usuræ, furto. *Altera*, inquit, *idololatriæ species (sic enim divinus Apostolus avaritiam appellat) nescio quomodo absque ulla pœnæ medela à Patribus prætermissa sit .... quo fit ut hic morbus valdè in Ecclesia redundet*. T. 1. p. 955. A. Ibid. C. Per pęnam autem necesse hic intelligere pęnitentiam publicam: neque enim existimandum, Veteres in ea mente fuisse, avaritiæ peccatum sine pęnitentia saltem privatim expleta dimitti posse.

Tertullianus in Libro de pudicitia, non obscurè insinuat apud Catholicos gravissima dumtaxat peccata penitentiæ publicæ addicta fuisse; alia verò, quæ mediocria vocat, quamquam plerumque mortalia, statim cum gaudio emendationis, hoc est, absque luctuosa pęnitentia, dimissa. Sic loquitur c. 7. *Juxta drachmæ quoque exemplum, etiam intra domum Dei Ecclesiam, licet esse aliqua delicta pro ipsius drachmæ modulo ac pondere mediocria, quæ ibidem delitescentia, mox ibidem & reperta, statim ibidem cum gaudio emendationis transigantur &c.* P. 560. B. Mediocria verò illa peccata, ut vocat, ex numero sunt eorum quæ recenset cap. 19. inter quæ sanè nonnulla mortalia sunt: *Cui enim*, inquit, *non accidit aut irasci iniquè & ultra solis occasum, aut manum immittere, aut facilè maledicere, aut temerè jurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundia, aut necessitate mentiri? In negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu quanta tentamur, ut si nulla sit venia illorum, nemini salus competat?* P. 572. B. Illis igitur delictis, etiam cùm lethifera sunt, veniam post actam pęnitentiam indulgendam esse contendit adversùs Montanistas Tertullianus, illa tamen secernit à tribus gravissimis sceleribus quæ recenset L. de Pudicitia c. 5. & 12.

Probatur 3. ex S. Augustino pluribus in locis.

Epistola 22. aliàs 64. ad Aurelium Episcopum, testatur ætate sua in Ecclesia

Car-

Carthaginensi comessationes & ebrietates quæ etiam ad Martyrum sepulchra, falsæ pietatis animo, à rudiori plebe committebantur, nullis publicis pœnis repressas & castigatas fuisse. *Vas electionis Apostolus ait: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & dolo. Horum ergo trium, cubilia & impudicitiæ tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modò Ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiam Sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculavit. Et rectè omninò. Sed quare solùm? Comessationes enim & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solùm per dies solemnes, (quod ipsum quis non lugendum videat?...) sed etiam quotidie celebrentur. Quæ fœditas si tantùm flagitiosa, & non etiam sacrilega esset, quibuscunque viribus sustentandam putaremus.* To.2.p. 27. F.

Sermone 352. aliàs Hom.27. inter 50. postquam tres pœnitentiæ species enumeravit, cap.3. clarè ac disertè significat non omnia, sed certa quædam gravissima delicta luctuosæ ac publicæ pœnitentiæ obnoxia fuisse. *Restat*, inquit, *pœnitentiæ tertium genus.... Est pœnitentia gravior atque luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes, remoti etiam à Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indignè, judicium sibi manducent & bibant. Illa ergo pœnitentia luctuosa est. Grave vulnus est: adulterium fortè commissum est, fortè homicidium, fortè aliquod sacrilegium: gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, sed omnipotens medicus &c.* To.5.p. 130. F.

Sermone 392. aliàs Hom.49. inter 50. quæ est ad conjugatos, cap. 5. distinguit inter adulterium virorum cognitum, & incognitum, atque pro utroque pœnitentiam agendam esse docet; publicam nempè pro publico, secretam verò pro secreto. *Scio*, inquit, *quia sapientes amant me in hoc. A communione se cohibeant, qui sciunt quia novi peccata ipsorum; ne de cancellis projiciantur*. En notum ac publicum peccatum propter quod *de cancellis*, hoc est, de sacra mensa rejiciendi qui eorum rei sunt. *Quorum autem*, pergit sanctus Doctor, *nescio, hos coram Deo convenio. Agant etiam ipsi pœnitentiam, & deinceps ab immunditia abstineant fornicationum.* Ibid. p. 1506. B Ibid.

Sermone 350. aliàs Hom.56. inter 50. cap.4. enumerata rursus triplici pœnitentiæ specie, relinquit judicio Episcopi vel Sacerdotis, ut discernant quænam peccata damnanda sint & punienda pœna publica. Non omnia igitur indiscriminatim huic pœnæ subdita erant. Verba S. Doctoris Conclusione secunda referemus. Ibid. p. 1356.

Libro de fide & operibus cap.26. conceptis verbis tria distinguit peccatorum genera quibus convenientem assignat pœnam; nempè levia seu venialia, quæ Oratione Dominica & aliis pietatis officiis sanantur; mortalia, quæ duplicis sunt ordinis, gravissima scilicet, quæ luctuosa seu publica, & alia mortalia quidem, sed non ita gravia, quæ non luctuosa seu publica & solemni pœnitentia castigabantur. Audiatur sanctus Doctor. *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, Congregatis vobis & meo spiritu, tradere ejusmodi hominem satanæ ad interitum carnis.... Item nisi essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus, Corripe eum inter te & ipsum solum.... Postremò, nisi essent quædam sine quibus hæc vita non* To.6.p. 191. C.

agi-

*agitur, non quotidianam medelam poneret in Oratione quam docuit, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra.* Correptionum autem medicamenta, de quibus hic Augustinus, non pertinent dumtaxat ad correptionem fraternam, ut putat Auctor Libri *De frequente communione*; sed ad eas pœnas, quas Ecclesia virtute clavium sibi à Christo concessa, imponit. Agit enim sanctus Doctor adversùs falsam eorum confidentiam, qui præsumebant se quibuscunque

*Ibid. p. 192. D.* peccatis implicatos, salutem assecuturos, modò credant in Christum, & Sacramenta percipiant. *Qui homines*, inquit cap. 27. *ita tolerandi sunt, ut tamen erga eos non negligatur Ecclesiastica disciplina.*

Denique Lib. 83. quæstionum q. 26. de variis peccatis variaque pœnitentia iis debita sic loquitur: *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti; imperitia contraria est sapientiæ; malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus & sapientia Dei, potest existimare quæ sunt peccata venialia; & quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur & hic & in futuro sæculo. Quibus benè tractatis, probabiliter judicare potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, quamvis peccata fateantur; & quibus nulla omninò speranda sit salus, nisi sacrificium Deo obtulerint spiritum contribulatum per pœnitentiam.*

*Ibid. p. 7. B.*

Non omnes igitur, juxta sanctum Doctorem, qui peccata fatentur, aut ignorantiæ, aut infirmitatis, inter quæ plura esse mortalia nemo inficias ibit, cogebantur ad pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, hoc est publicam; sed judicio & prudentiæ vel Episcopi, vel Sacerdotis relinquit sanctus Doctor, ut assignet pœnam unicuique peccato congruam & convenientem. Si verò mos tunc fuisset omnia indiscriminatim mortalia subjiciendi pœnitentiæ publicæ, an, rogo, deliberationi & consilio locus relictus fuisset?

Probatur 4. ex sancto Paciano in Parænesi ad pœnitentiam, ubi conceptis verbis asserit, non omnia peccata publicæ pœnitentiæ obnoxia fuisse. *Ne quis existimet*, inquit, *propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscreta pœnitendi lege constringere.* Deinde exponit quænam peccata ita publicè castigari oporteat, ea scilicet quæ Apostoli, inquit, in suo Concilio Jerosolymitano assignarunt, nempè idololatriam, homicidium, & adulterium. *Cætera verò*, pergit, *contrariis bonis operibus sananda sunt.... Tenacitas, humanitate; convitium, satisfactione; tristitia, jucunditate; asperitas, levitate; gravitate, levitas; honestate, perversitas; & quæcunque contrariis emendata proficiunt.* Inter illa porrò nonnulla esse mortalia peccata, nullus dubitat Orthodoxus; ista tamen eximit S. Pacianus à lege pœnitentiæ publicæ.

*Biblioт. PP. To. 4. pag. 315. F.*

*Ibid. H.*

Probatur 5. ex S. Leone Epistola 2. aliàs 92. ad Rusticum Narbonensem, ubi secretam à publica pœnitentiam distinguens, huic idololatriam, homicidium & adulterium subjicit; alteri verò usum immolatitiorum. Sic enim de iis qui inter Paganos vixerant, ac de modo quo recipiendi in Ecclesiam

*To. 1. p. 412.* forent loquitur: *Si convivio solo gentilium*, inquit, *& escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis, & manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes Sacramentorum Christi possint esse participes. Si aut idola adoravere, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.* Opponit eò loci S. Pontifex

tifex publicam pœnitentiam qua puniendi erant ejusmodi peccatores, si tria illa gravissima peccata commisissent, alteri pœnitentiæ ipsis subeundæ, si tantùm idolothyta manducassent, quod certè peccatum grave est ac mortale, siquidem privatione sacræ mensæ puniebatur.

Omitto hic referre testimonium S. Chrysostomi ex Homilia in S. Philogonium: constat enim ejus ætate, post decretum Nectarii, multùm remissam & inclinatam fuisse disciplinam pœnitentiæ; neque diffitentur adversarii, cum quibus hic nobis res est, tunc temporis sola publica peccata publicis pœnis castigata fuisse.

His adjungi potest grave incommodum quod ex adversa sententia sequi videtur. Quippè cùm pœnitentia publica semel tantùm imponeretur, ut postea ostendemus, si quis ob unum mortale peccatum v. g. superbiæ vel iracundiæ, semel inter publicos pœnitentes visus fuisset, & posteà in eadem, vel etiam graviora & canonica crimina fuisset prolapsus, liber factus à jugo pœnitentiæ publicæ iterum subeundæ, vel nullam, vel privatam saltem subire debuisset: at primum Novatianam redolet hæresim, & pugnat cum fide Ecclesiæ, quæ secundò & sæpiùs peccantibus nec pœnitentiam, nec veniam pœnitentibus denegat. Alterum verò pugnat cum priori disciplinæ severitate, quæ non permittebat gravissimorum peccatorum reos his temporibus ad privatam dumtaxat damnari pœnitentiam; unde melior utcunque fuisset illorum conditio qui post semel actam pœnitentiam publicam, rursus in graviora peccata prolapsi essent, præ aliis, qui non ita gravia perpetrassent: isti quippè pœnis publicis addicti fuissent, à quibus alii immunes erant, sola privata pœnitentia castigati.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Peccata canonica omninò occulta, quæ fiunt vel nullo teste, vel solo complice, pœnitentiæ publicæ subdita non fuere ex necessitate & vi Canonum, sed ex consilio dumtaxat Sacerdotis, aut voluntate pœnitentis: non ita si vel omninò publica, hoc est delata & probata apud Judicem Ecclesiasticum, vel saltem semipublicæ, id est cum scandalo multorum patrata fuissent; ista enim publica pœna castigari oportebat, cum hoc tamen discrimine, quòd qui convicti fuissent rei, si renuissent se pœnitentiæ legibus subjicere, vi & excommunicatione cogerentur; alii verò monitis & præcepto Sacerdotis, ac denegatione absolutionis sacramentalis compelli dumtaxat poterant, non aperta communionis & Eucharistiæ privatione.

Triplex hic statuitur peccantium ordo. Primus, eorum qui secretò omninò peccant, ac sine scandalo. Secundus, eorum qui ita publicè peccant, ut juridicè deferantur ad tribunal Ecclesiæ, atque rei convincuntur. Tertius, eorum qui cum scandalo multorum peccant quidem, sed nec deferuntur, nec probantur rei, quorum idcircò peccata semipublica vocamus. Quæ fuerit vetus Ecclesiæ disciplina circa illos omnes peccatores, paucis exponit Conclusio, per partes singulas hic sigillatim demonstranda.

Primò, peccata omninò occulta ex necessitate & vi Canonis non fuisse obnoxia pœnitentiæ publicæ,

Proba-

Probatur 1. ex Canone 34. Epistolæ S. Basilii ad Amphilochium, ubi mulieres adulteras dispensat ab illa lege pœnitentiæ publicæ. Canonis verba Conclusione prima laudavimus.

Idem colligimus ex Canone 6. Epistolæ S. Gregorii Nysseni ad Letojum, To.1.p. 954.A. ubi de furto occulto sic statuit: *Qui latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per enuntiationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato, ægritudinem curabit largiendo quæ habet, pauperibus.* Nulla hic mentio pœnitentiæ publicæ.

Idem ex Can. 4. Concilii Neocæsariensis Conclusione prima laudato: peccatum enim cogitatione sola commissum liberum declarat ab obligatione subeundæ pœnitentiæ publicæ.

Idem ex Concilio Vasensi I. an. 442. Can. 8. *Si Episcopus*, inquit, *se tantùm* Tom.3. Conc.p. 1158.E *alieni sceleris conscium novit, quamdiu probare non potest, nihil proferat; sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret....illo, quamdiu probari nihil potest, in communione omnium....permanente.*

Probatur 2. Quia Veteres non aliam ferè causam & rationem reddunt cur ad publicam pœnitentiam nonnulli cogerentur, quàm quòd publicè & cum multorum scandalo peccassent. Ita

Tom.2. Conc.p. 1171.E Concilium Carthaginense III. an. 397. Can. 32. *Cujuscunque*, inquit, *pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur.*

S. Augustinus Serm. 351. aliàs Hom. 50. inter 50. *Si peccatum ejus*, in- To.5.p. 1359.D quit, *non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videatur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset.*

Sermone 82. aliàs 16. de verbis Domini c.7. *Ergo*, inquit, *corripienda sunt* Ibid. p. 444.D. *coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa verò corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs.* Et cap.8. sic pergit: *Novit nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publicè corripere, at tu quæ-* Ib. E.F. *ris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo: corripio in secreto; pono ante oculos Dei judicium; terreo cruentam conscientiam; persuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi esse debemus....Sunt homines adulteri in domibus suis, in se-* Ibid.C. *creto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus, nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.*

S. Cæsarius Arelatensis Hom. 1. in Quadragesima post enumerata non- Obiit an.543. Flor. an.499. Bibliot. PP.To. 8. pag. 819.G. nulla gravia peccata sic pergit: *Hæc & ejusmodi commissa expiari penitus communi & mediocri, licèt secreta satisfactione non possunt; sed graves causæ, graviores & acriores & publicas curas requirunt, ut qui cum plurimorum afflictione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat.* Idem repetit Hom. 8.

S. Eligius Hom. 16. in fine. *Vos prætereà*, inquit, *fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam cogit agere pœnitentiam.* Obiit an.665. Bibliot. PP To. 12.pag. 321.G.

Superfluum foret subsequentium ætatum proferre testimonia: non diffitentur enim, quos hic impugnamus, Theologi, à septimo sæculo multùm immutatam fuisse pœnitentiæ disciplinam; atque ubique ferè obtinuisse, ut publicis peccatis publica, occultis verò occulta imponeretur pœnitentia. *Dis-*

*cretio*

*cretio servanda inter pœnitentes*, ait Concilium II. Remense an.813. Can.31. *qui publicè, & qui absconsè pœnitere debent.* Tom. Conc.p. 1257.C

Secundus peccantium ordo illorum est qui publicè atque cum scandalo multorum peccant, qui vel deferuntur ad tribunal Ecclesiæ, vel spontè confitentur. *Nos*, ait S. Augustinus citato jam Sermone 351. seu Hom.50. inter 50. *à communione prohibere quemquam non possumus .... nisi aut spontè confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum*. Ejusmodi publicos pęnitentes pœnis canonicis ac publicis coercendi jus & auctoritatem semper habuit & etiamnum habet Ecclesia, cujus usum & exercitium prudentiæ Episcoporum reliquit Concilium Trid. Sess.24. de reformatione cap.8. *Apostolus monet*, inquit, *publicè peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc penitentiæ genus in aliquod secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Cùm igitur occurrunt ejusmodi peccatores publici, nihil inconsulto Episcopo moliantur inferiores Pastores; nihil zelo præpostero faciant, unde turbari possit Ecclesiæ pax ac recepta disciplina. Ita sapienter provisum est à Concilio Rothomagensi an.1074. capitulo 8. *Ne quis*, inquit, *Presbyter, vel Monachus publicè peccantem criminali peccato ad pœnitentiam, nisi jubente Episcopo, suscipiat. Occultè peccantem, confitentem quidem suscipiat; sed penitentiam, nonnisi eam quam Episcopus determinaverit, injungat: sic tamen ut jure confessionis secreto peccantis persona nulli detegatur.* To.5.p. 1339.F. To.14. Conc.p. 884.E. To.10. Conc.p. 312.B.

Ejusmodi publicè peccantes, si delati & convicti fuissent apud Judicem Ecclesiasticum, vi & excommunicatione, aliquando etiam sæculari auctoritate compulsos fuisse ad agendam publicam pęnitentiam, demonstrat multis testimoniis Morinus L.7. c.4. & 5.

Tertius peccantium ordo illorum est, qui cum scandalo multorum peccant quidem, sed nec deferuntur, nec criminis patrati convincuntur apud Judicem Ecclesiasticum. Ejusmodi peccantium meminit S. Augustinus citato jam sæpius Serm.351. aliàs Hom.50. inter 50. *Plerique boni Christiani*, inquit, *propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpè deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, Judicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen Judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione prohibere quemquam non possumus, (quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut spontè confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico Judicio nominatum atque convictum.* To.5.p. 1359.F

Hos peccatores, sive planè occulti fuissent, sive multis cogniti, sed nec delati nec convicti, aliquando pęnitentiam publicam subjisse ex consilio vel etiam ex præcepto Sacerdotis, aut ex pietate, patet ex Origene Hom.2. in Psalm.37. ubi postquam monuit cautè seligendum esse Sacerdotem, qui Te priùs eruditum medicum probaverit & misericordem, sic pergit: *Si quid ille dixerit, si quid consilii dederit, facias & sequaris. Si intellexerit & prævideret talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat,* To.1.p. 293.P.

*debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione & satis periti medici illius consilio procurandum est.*

Patet etiam ex historia Pœnitentiarii quem abrogavit Nectarius de qua Socrates L.5. c.19. & Sozomenus L.7. c.16. illius enim officium erat dijudicare quænam peccata pœnitentiæ publicæ subjicienda forent, vel non.

Idem planè insinuat S. Augustinus paulò antea citatus Serm. 351. seu Hom. 50. inter 50.

Idem & S. Cæsarius Arelatensis Hom. 1. inter 14. quas publici juris fecit

Biblior. PP. To. 27. pag. 314. H. doctissimus Baluzius. *Ille*, inquit, *qui pœnitentiam publicè accepit, poterat eam secretiùs agere; sed credo considerans multitudinem peccatorum suorum videt se contra tam gravia peccata solum non posse sufficere, ideo adjutorium totius populi cupit expetere.* En pœnitentia publica spontè ac liberè animo pietatis suscepta, aliquando ex consilio etiam prudentis Sacerdotis.

Idem denique patet exemplis eorum qui vel nullo crimine declarato, sed ex majori pietatis fervore, vel alicujus planè occulti peccati rei spontè se publicis pœnitentibus adjungebant. Ita Rex Hispaniarum Wamba, de quo in Concilio Toletano XII. Gaudentius Valeriensis Episcopus, de quo in Concilio XIII. Toletano, Potamius Bracarensis, de quo in Toletano X. Genebaldus Laudunensis Episcopus, de quo Hincmarus Remensis in vita S. Remigii; Fabiola illustris matrona, de qua S. Hieronymus Epistola 30. quæ est Fabiolæ Epitaphium &c. Vide Morinum L.5. c.7.

### *Solvuntur Objectiones adversùs primam Conclusionem.*

Objicies 1. Tertullianus non aliam pro omnibus peccatis mortalibus agnovit, quàm publicam pœnitentiam. *Omnibus ergo delictis*, inquit cap. 4.

Pagina 122. D. Lib. de Pœnitentia, *seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit.*

Hanc verò pœnitentiam luctuosam & publicam fuisse,

Pagina 127. A. Patet 1. ex characteribus & notis quibus illam describit cap. 9. *De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere... Jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies ac noctes ad Dominum Deum suum; Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis*

Ibid. B. *suæ injungere &c.* Cap. verò 10. ait *à plerisque hoc opus* (pœnitentiæ) *fugi, ut publicationem sui; aut de die in diem differri, quòd pudoris magis memores sint, quàm salutis.* Hæc autem omnia in unam dumtaxat pœnitentiam publicam cadere nemo non intelligit.

Patet 2. quia pœnitentiam illam semel tantùm agendam esse sæpius

Pagina 123. B. declarat Tertullianus, quod certè publicæ proprium fuit. *Hoc enim dico*, ait cap. 5. *pœnitentiam quæ per Dei gratiam ostensa est & indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, nunquam posthac iteratione delicti resignare oportere.* Et cap. 7. *Collocavit in vestibulo pœnitentiam*

Pagina 126. B. *secundam, quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia jam secundò, sed amplius nunquam, quia proximè frustra.*

Ratio-

Rationes porrò quibus adducitur Tertullianus, ut velit semel dumtaxat ad pœnitentiam esse confugiendum, apertè demonstrant eum loqui de pœnitentiam omnibus planè mortalibus peccatis necessaria; omnibus enim mortalibus peccatis rationes illæ conveniunt. Nempe

I. Quòd ignorantia in prætextum & excusationem obtendi amplius non possit.

II. Quòd qui iterum peccat & pœnitentia indiget, videtur timorem Dei abjecisse. *Nam*, inquit, *si idcircò te deliquiße pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti?* P. 113. C.

III. Quòd Deum contemnit, qui post cognitam & receptam ejus gratiam, eum iterum offendit. *Despicit*, inquit, *qui bonorum ac malorum intellectum à Deo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, resumens, Dei dono injuriam facit.* Ibid.

IV. Denique, quòd dæmonem Deo anteponit. *Non leviter peccat in Dominum*, inquit, *qui cùm æmulo ejus diabolo pœnitentia renuntiaßet, & hoc nomine illum Domino subjecißet, rursus eundem regreßu suo erigit..... ac diabolum Deo præponit. Comparationem enim videtur exegiße, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiaße eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit.* En rationes quas capite 5. exponit Tertullianus, ut ostendat semel agendam esse pœnitentiam; quæ cùm ad omnia mortalia peccata ex æquo pertineant, ostendere videntur, mentem hujus auctoris fuisse, pro quocunque mortali peccato unicam dumtaxat esse oportere pœnitentiam, adeoque publicam. Ibid. D.

Resp. totum Tertulliani Librum de Pœnitentia in duas veluti partes generatim esse distinguendum, quarum prima incipit à cap. 1. ad 7. altera à 7. ad finem usque.

In priori, de publica pęnitentia non agit, sed de pęnitentia dumtaxat universim & absolutè sumpta, prout est virtus omnibus post Baptismum lapsis omninò necessaria ad veniam peccatorum obtinendam. Hoc esse suum institutum declarat 1. ipse Tertullianus cap. 4. *De bono pœnitentiæ*, inquit, *enumerando diffusa, & per hoc magno eloquio committenda materia est*. 2. ibidem affirmat pœnitentiam, de qua loquitur, à Deo esse præceptam. *Bonum est pœnitere, an non?* ait. *Quid revolvis, Deus præcipit*. 3. pœnitentiam hanc non tantùm baptisatis, sed etiam, & quidem præcipuè, ipsis Catechumenis ad Baptismum anhelantibus planè necessariam esse affirmat c. 6. *Quidquid ergo*, inquit, *mediocritas nostra ad pœnitentiam semel capessendam & perpetuò continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat.....sed præcipuè Novitiolis istis* (id est Catechumenis) *imminet, qui cùm maximè incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta repetant, & dicunt quidem pristinis renuntiare, & pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt*. Porrò nemo non videt, pęnitentiam quam Deus præcipit, ad quam Catechumeni ipsi tenentur, quæ omnibus planè delictis seu carne seu spiritu commissis necessaria est, non esse publicam illam ac solemnem, quæ olim graviorum criminum reis post Baptismum imponebatur; neque enim talem pęnitentiam omnibus delictis imponendam esse Deus mandavit: neque pariter ad eam teneri possunt nondum baptisati; hæc enim pęnitentia Pagina 113. A. Ibid. B. Pagina 114. A.

tia sacramentalis erat, hoc est sacramentalem complectebatur absolutionem, cujus procul dubio incapaces sunt Catechumeni nondum baptisati. Igitur pœnitentia illa, de qua Tertullianus c. 1. usque ad 7. est dumtaxat virtus *universis hominibus qui se mortali peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent*, ait Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. *ut nempè perversitate abjecta & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur.*

To. 14. Conc. p. 815. E.

At Tertullianus, inquies, contendit pœnitentiam illam unam esse, & semel dumtaxat capessendam, quod proprium fuit pœnitentiæ publicæ.

Resp. unam dici à Tertulliano pœnitentiam, respectu tùm Catechumenorum, tùm baptisatorum, non ex desperatione indulgentiæ, quasi aut Catechumenis, si in Catechumenatu, aut baptisatis, si post Baptismum sæpius peccassent, nullus amplius, iteratæ pœnitentiæ locus fuerit relictus; sed unam appellat ex rigore disciplinæ & amore innocentiæ, quia nempè optaret ut & Catechumeni & baptisati ita sanctè & castè semper viverent, ut unico dumtaxat, non sæpius iterato pœnitentiæ remedio indigerent; quod ut efficiat, adducit rationes suprà memoratas. Hunc verò esse Tertulliani sensum probare videntur quæ de Catechumenis ibid. cap. 6. scribit, eos scilicet postquam inter Baptismi Candidatos nomen suum dedissent, peccare amplius non debere. nec iterata pœnitentia indigere. *Nemo*, inquit, *sibi aduletur quia inter Auditorum tyrocinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat. Dominum simul cognoveris, timeas: simul inspexeris, revereris... Non ideò abluimur, ut delinquere desinamus; sed quia desiimus.* Cùm igitur pœnitentiam hanc unam dixit Tertullianus, etiam respectu Catechumenorum, sensus illius non est, semel dumtaxat ipsis patere aditum ad pœnitentiam expressè enim cap. 7. ait *Deum collocasse in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat*; sed sensus est, optimum esse ac optandum maximè, ut unica dumtaxat indigeant pœnitentia: non ergo exprimit quod absolutè sua ætate fieret, sed quod optabat ut fieret. In illa igitur priori parte Libri sui, pœnitentiam in se quatenus virtus est generatim considerat, ejusque effectus, vim, efficaciam, ac necessitatem extollit.

Pagina 125. A.

In posteriori verò parte quæ incipit à cap. 7. revera adumbrat pœnitentiam publicam qualis tunc vigebat, eamque pro disciplina hujus temporis, *unam* appellat, *& semel capessendam* dicit. Proclive etenim fuit, ut postquam prioribus capitibus egit de pœnitentia universim sumpta, in posterioribus speciem ejus magis notam & manifestam explicaret, ut scilicet (quod unum volebat) proposita ejus severitate Catechumenos terreret, & à gravioribus peccatis avocaret. An verò omnia prorsus lethalia peccata huic pœnitentiæ luctuosæ subjicerentur, an sola canonica, non affirmat, nec etiam negat eo in Libro Tertullianus, quia ad institutum suum non pertinebat: unde quis fuerit Ecclesiæ tunc temporis usus, quæve disciplina, cognosci meliùs potest ex Libro ejusdem Tertulliani de pudicitia, ubi licèt Montanista factus, Catholicæ Ecclesiæ mores repræsentans apertè innuit, non omnibus planè mortalibus, sed gravioribus dumtaxat peccatis apud Catholicos publicam injunctam fuisse pœnitentiam. Lege caput 7. & 12. Libri de pudicitia.

Pag. 21. Objicies 2. testimonium S. Cypriani ex Epistola 9. ubi sic loquitur: *Cùm in*

*in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore .... ad communicationem admittuntur &c.* Minora illa peccata, in mente S. Cypriani, haud dubiè sunt mortalia quidem, sed non ita gravia, quæ nihilominus pœnitentiæ publicæ lex communis addicebat: unde justa S. Martyris expostulatio adversùs eos qui gravissimi idololatriæ peccati rei, pœnitentiam hanc detrectabant.

Resp. minora illa peccata, de quibus S. Cyprianus, non esse mortalia quælibet, sed canonica & gravia, quamvis comparatione facta ad idololatriam, quæ omnium peccatorum gravissimum est, minora dici possint. Seipsum exponit sanctus Doctor Epistola 11. *Nam*, inquit, *cùm in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore ....quantò magis in his gravissimis & extremis delictis?* Agit scilicet S. Martyr in hac utraque Epistola, de iis qui in persecutione Deciana idolis sacrificaverant, quique statim, nulla prius peracta pœnitentia, Ecclesiæ reconciliari postulabant, ob Martyrum libellos quibus erant muniti: illos reprimit sanctus Doctor ac confutat exemplo aliorum, qui etsi minora peccata commisissent (comparatè ad idololatras) justo tamen tempore pœnitentiam agebant: minora autem illa peccata, ut vocat, in se absolutè gravia erant, & de numero eorum quæ Canones graviori pœna puniebant. Pa. 24.

Objicies 3. auctoritatem S. Augustini multis in locis. Lib. de Symbolo ad Catechumenos c.7. sic loquitur: *Propter omnia peccata Baptismus inventus est: propter levia, sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio? Dimitte nobis debita nostra &c. Semel abluimur Baptismate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere pro quibus necesse est ut à Christi corpore separemini, quod absit à vobis. Illi enim quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt... inde agunt pœnitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, ad hæc quotidiana oratio delenda sufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ.* Ex quibus verbis sic arguitur. Qui tribus tantùm modis asserit peccata dimitti in Ecclesia, scilicet Baptismate, oratione, & humilitate majoris pœnitentiæ, censet peccata, quæ duobus prioribus remediis non curantur, tertio tantùm expiari posse, nimirum humilitate majoris pœnitentiæ: atqui peccata mortalia post Baptismum, neque Baptismate, neque Oratione Dominica curantur; ergo humilitate majoris pœnitentiæ. To.6.p. 554.G.

Resp. sub illo tertio genere remedii quo curantur peccata, S. Augustinum comprehendere pœnitentiam sive publicam, sive secretam, pro conditione & natura delicti. Quamquam autem publicam citato in loco potius designet quàm privatam, non inde tamen inferri debet, non aliam quàm publicam pro omnibus mortalibus peccatis ipsi cognitam & probatam fuisse; scopus enim ipsius exigebat ut publicæ potiùs, quàm privatæ pœnitentiæ faceret mentionem. Ad Catechumenos enim sermonem dirigit, quos à peccando deterrere conatur, proposita severitate luctuosæ pœnitentiæ, quam subibant illi, qui propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes: hanc etenim illi dumtaxat cognoscebant, quæ palam & coram omnibus peragebatur. Illam verò nonnisi gravioribus seu canonicis peccatis injunctam

*Ibid. p. 555.A.* fuisse, testatur vel in hoc ipso citato loco S. Augustinus, *Illi quos videtis*, inquit, *agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania.* Qui ergo non scelera, *non facta immania*, sed tamen mortalia peccata commiserant, secreta pœnitentia ea expiare & purgare tenebantur.

Instabis 1. Idem S. Augustinus Serm. 352. aliàs Hom. 27. inter 50. quæ tota est de utilitate pœnitentiæ, rursus triplicem dumtaxat agnoscit penitentiam: primam, Competentium & ad Baptismum venire cupientium: secundam, quotidianam pro venialibus; & tertiam pro cæteris mortalibus peccatis omninò publicam. *Restat*, inquit n. 30. *pœnitentiæ tertium genus.... Est pœnitentia gravior atque luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes, remoti etiam à Sacramento altaris participandi.*
*To. c. p. 1370.F*

Resp. huic luctuosæ & graviori pœnitentiæ non alia quàm gravissima delicta obnoxia fuisse, vel ipso teste S. Augustino in Homilia citata. Post laudata etenim verba sic pergit: *Illa verò pœnitentia luctuosa est.. Grave vulnus est: adulterium fortè commissum est, fortè homicidium, fortè aliquod sacrilegium; gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, sed omnipotens medicus &c.* En crimina, quæ pœnitentiæ illi luctuosæ addicta fuisse testatur sanctus Doctor: alia igitur mortalia, quamquam non ita gravia, altera pœna, non publica nec ita gravi expiabantur.
*Ibid. G.*

Instabis 2. Serm. 351. seu Hom. 50. inter 50. rursus idem tractans argumentum, triplicem enumerat pœnitentiam. Cap. 1. exponit pœnitentiam antebaptismalem: cap. 3. pœnitentiam in Oratione Dominica pro venialibus peccatis repositam: cap. verò 4. tertiam sic explicat. *Tertia est actio pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est quæ Legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Hanc verò tertiam penitentiam fuisse publicam, clarè ostendit ibidem S. Augustinus. *In notitia*, inquit, *multorum vel totius plebis penitentiam agere non recuset &c.* Ex quibus sic arguitur: Omnia peccata quæ Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt*, subjiciebantur illi tertiæ penitentiæ, de qua loquitur cap. 4. atqui omnia peccata mortalia sunt ejusmodi, atque penitentia illa tertia, de qua loquitur, erat publica; ergo omnia peccata mortalia subjiciebantur penitentiæ publicæ.
*Ibid. p. 1356.E* *Ibid. p. 1359.D*

Resp. nego min. argumenti pro secunda illius parte, nimirum tertiam illam penitentiam, de qua loquitur S. Augustinus, esse solam publicam, quasi non aliam agnoverit. Loquitur scilicet de penitentia, quæ virtute clavium agitur in Ecclesia, & quam nonnulli eo prætextu detrectabant, quòd se per solam in Christum fidem salvandos fore præsumerent. Hunc esse S. Doctoris scopum declarant manifestè ipsius verba, *Quis*, inquit, *tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra ut sit solutus in Celo; & audet sibi post hanc vitam, quia tantùm Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri?* Porrò penitentia illa quam virtute clavium imponebat Ecclesia, modò publica, modò erat secreta, pro conditione peccatorum, ac prudentis Episcopi judicio. Unde in eadem Hom. vult sanctus Doctor, ut quos delicti sui penitet, *veniam ad Antistites Ecclesiæ, & ab ipsis satisfactionis suæ modum accipiant, atque etiam in conspectu multorum vel etiam totius plebis peniten-*
*Ibid. p. 1358.G* *Ibid. p. 1359.C*

ten-

*tentiam agere non recusent*, si ita expedire visum fuerit Antistiti; qui etiam secretam pęnam injungebat, cùm aliam non exigebat aut delicti, aut ipsius personæ ratio.

Instabis 3. Pęnitentia illa publica est, in qua pęnitens per Ecclesiasticam disciplinam separatur à sacra mensa: atqui talis erat pęnitentia debita omnibus mortalibus peccatis, teste eodem S. Doctore c. 4. mox citatæ Homiliæ. *Ab ipsa mente*, inquit, *talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini, ut qui separari à regno Cœlorum timet per ultimam sententiam summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cœlestis panis interim separetur.* Ibid. p. 1356. G

Resp. dist. maj. Pœnitentia illa publica est, in qua pęnitens separatur à sacra mensa per Ecclesiasticam disciplinam in foro externo & contentioso Ecclesiæ; hoc est, per sententiam Judicis Ecclesiastici excommunicationi majori, vel minori subjicitur, concedo: in qua per Ecclesiasticam disciplinam separatur à sacra mensa in foro conscientiæ, sponte obtemperando consilio vel præcepto Sacerdotis, nego. Hæc enim semper viguit & viget etiamnum disciplina, ut nullus reus peccati mortalis accedat ad sacram mensam, nisi priùs Sacramento Pęnitentiæ purgatus fuerit. Quin multis in casibus tenentur Sacerdotes denegare aut differre lapsis absolutionem, eosque ab Eucharistia arcere, donec emendationis signa & dignos pęnitentiæ fructus dederint: an propterea pęnitentia hæc publica dici potest? minimè: quia scilicet totum istud in foro conscientiæ ac secreto pęnitentiæ tribunali peragitur. Non aliud profectò volebat S. Augustinus citato loco, ubi peccatores admonet ut seipsos judicent, atque indignos pronuntient Eucharistia, priusquam per Ecclesiasticam disciplinam ab illa arceantur. *In hac ergo pœnitentia*, inquit, *majorem quisque in se severitatem debet exercere; ut à se ipso judicatus, non judicetur à Domino.... Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ &c.* Ibid. E.

Instabis 4. Qui olim ab Eucharistiæ participatione arcebantur, sive in foro externo, sive in foro conscientiæ, illi inter pęnitentes, qui dicebantur Consistentes, versabantur: sed qui ea in statione erant, nonne censebantur publicam agere pęnitentiam?

Resp. dist. min. Qui erant in statione consistentiæ post emensos tres alios pęnitentiæ gradus, ii censebantur publicam agere pęnitentiam, concedo: qui simpliciter erant in statione consistentiæ, sive ex pietatis majoris sensu, sive ex consilio aut præcepto Sacerdotis in foro conscientiæ, neque tres alios pęnitentiæ gradus percurrerant, nego. Itaque consistentia quæ quarta olim fuit pęnitentium publicorum statio, pęnitentiæ publicæ naturam & conditionem non induebat, nisi respectu eorum qui alios gradus percurrerant: propriè etenim apud Veteres, imprimis S. Basilium Can. 22. substratio pęnitentia vocabatur; consistentia verò finis erat & clausula totius pęnitentiæ; & qui eo in gradu versabantur, permixti erant cum cæteris Fidelibus, nec publicæ pęnitentiæ addicti eo præcisè censebantur, quòd Eucharistiæ non participarent. Patet hoc tùm ex facto Nectarii, qui etsi publicam sustulerit pęnitentiam, (saltem pro occultis) non tamen prohibuit, quin à sacra mensa removerentur per aliquot dies, qui certis mortalibus peccatis inquinati erant, præsertim cùm ex inveterato habitu peccabant;

tùm ex S.Basilio qui citato anteà Can. 34. mulieres adulteras eximit quidem à lege pœnitentiæ publicæ, ne forte veniant apud maritos in suspicionem criminis; verùm eas ad consistentiam amandat; consistentia ergo propriè non erat pœnitentia publica, sed ejus finis: tùm ex eo quòd Clerici majores privabantur aliquando communione Eucharistica, nec tamen publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, ut ex infrà dicendis patebit: tùm denique ex S.Chrysostomo, qui Hom. in sanctum Philogonium, conqueritur nonnullos recedere à sacra mensa, eo prætextu quòd vereantur habere conscientiam peccatis inquinatam, eosque adhortatur ut deposita peccatorum sarcina, ac brevi aliquorum dierum præmissa pœnitentia, sacræ communionis fiant participes; quos certè in consistentia fuisse dicere possumus; minimè verò in pœnitentia publica. *Neque mihi quisquam dixeris*, ait

To.1.p. 498.C. sanctus Doctor n. 4. *Vereor habere conscientiam peccatis oppletam &c. sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigilaveris . . . . Tu nunc quibus rebus provocasti Deum, per has rursum facito propitium. Provocasti illum pecuniarum rapina, per easdem illum reconcilia &c. Hæc non egent multis diebus, annisve, sed solo animi proposito & unico die perficiuntur.*

Ibid. p. 499.A.

To.8 S. Aug. in App. p. 78.D. Morin. L. 5. c. 1. n. 10.

Objicies 4. auctoritatem Gennadii Massiliensis Presbyteri ex Lib. de Ecclesiasticis dogmatibus c.23. aliàs 53. ubi sic loquitur: *Quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor priùs publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.*

Resp. Gennadium pro more hujus ætatis (florebat ille an.494.) per mortalia, intelligere capitalia seu canonica peccata. Siquidem ibidem loquens de peccatore qui peccandi voluntatem exuerat, ait satis esse ad hoc ut particeps fiat Eucharistiæ, si confessione, lachrymis & orationibus pro peccatis satisfecerit; non ait, si pœnitentiam publicam egerit. Sic loquitur; *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit.... Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus.* Et interjectis iis quæ in Objectione relata sunt, sic pergit: *Sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus; sed mutato priùs sæculari habitu, & confesso religionis studio, per vitæ correctionem.* Hæc verò secreta satisfactio pro capitalibus, seu, ut vocat, mortalibus, in monasterio peragenda, æquiparatur publicæ pœnitentiæ.

Ibid.C.

Objici hìc solet & S.Cæsarius Arelatensis Hom. 1. in Quadragesima, & S.Eligius Hom.8. verùm cùm eorum testimonia specialem non contineant difficultatem distinctam ab iis quæ ex S. Augustino mox relata sunt, eodem prorsus modo solvi debent, loqui scilicet utrumque Doctorem de peccatis gravioribus seu canonicis, quæ cum multorum scandalo commissa sunt. Recole quæ ex utroque Scriptore laudavimus hìc Conclusione secunda.

Solvun-

### *Solvuntur Objectiones adversùs secundam Conclusionem.*

Objicies 1. Veteres Canones quibus publica graviſſimis peccatis imponitur pœnitentia, non diſtinguunt inter publica & occulta peccata ; ergo &c. Ita Illuſtriſſimus Albaſpinæus in Canonem 32. Concilii III. Carthaginenſis, Morinus L. 5. c. 9.

Reſp. 1. nego ant. Canones enim quos laudavimus inter Concluſionis noſtræ probationes , apertè eximunt à lege pœnitentiæ publicæ peccata omninò occulta.

Reſp. 2. nego conſequentiam. Neceſſe enim abſolutè non fuit ut Canones diſtinguerent inter publica & occulta peccata: tùm quia Canones breves ſunt agendorum regulæ, quæ omnes exceptiones continere non poſſunt: tùm quia uſus ac communis interpretatio ſufficiebat huic faciendæ diſcretioni . Sicut etſi Canones non diſtinguant inter gravitatem pœnæ publicæ quæ infligebatur peccatis illis ſive publicis ſive occultis, certum eſt graviorem deberi publicis, quàm occultis: tùm denique quia cùm eædem pœnæ ſecretò ſubeundæ forent occultis capitalium criminum reis , quæ publicis, idcircò Canones multi non diſtinguunt inter publica & occulta peccata, cùm pęnas illas decernunt : ſola enim dempta publicatione ſeu ſolemnitate, occultus v. g. adulter vel homicida eaſdem pœnas ſecretò tenebatur ſolvere, quas publicus, publicè.

Inſtabis 1. Canones in decernenda pro gravioribus delictis pœnitentia publica, attendunt non tantùm ad ſcandalum, ſed etiam ad gravitatem eorum. Ita Canon 19. Concilii Eliberitani, *Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi*, inquit, *ſi in miniſterio poſiti detecti fuerint quòd ſint mœchati, placuit, & propter ſcandalum, & propter nefandum crimen, nec in fine communionem accipere*. Ergo cùm crimen occultum grave erat, pœnitentia publica ex Canonum præſcripto puniebatur. *Tom. 1. Conc. p. 973. A.*

Reſp. diſtinguo ant. Canones in decernenda pro gravioribus peccatis pœnitentia publica attendunt etiam ad gravitatem peccati, junctam ſimul cum ſcandalo, concedo : ad gravitatem ſolam, ubi nullum eſt ſcandalum, nego. In Canone citato gravitas peccati adjunctum habet ſcandalum & offenſionem publicam; loquitur enim de crimine quod detectum fuit, hoc eſt , cognitum ſeu publicum, ſive rei, ſive complicis confeſſione, ſive alia quacunque via.

Inſtabis 2. S. Baſilius Canone 22. peccato occulto publicam aſſignat pœnitentiam. *Qui*, inquit, *mulierem vel vi, vel clam à ſe vitiatam habet, neceſſe eſt fornicationis pœnas imponere: eſt autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus ſupplicium. Oportet autem eos anno primo à precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ; ſecundò autem, ad auditionem admitti; tertiò, admitti ad pœnitentiam; quartò, ad congregationem cum populo, abſtinentes ab oblatione, deinde eis permitti boni communionem.* *Ed. vet. Tom. 2. p. 769. A. B.*

Reſp. eo in Canone loqui S. Baſilium de homine qui mulierem quidem vel vi, vel clam oppreſſit, ſed quam apud ſe ut raptor detinet, cujus idcircò crimen aliquo pacto in notitiam publicam venit: quòd ſi planè occultum ſupponas fuiſſe crimen iſtud, iiſdem pœnis ſecretò ſubjiciendum erat, quibus publicum, ſola dempta ſolemnitate.

Instabis 3. Canones Ancyrani 16. 21. 23. 25. publicam pœnitentiam imponunt iis criminibus quæ certè nullo teste ac planè secretò committi solent: talis est v.g. nefandus cum brutis coitus.

Resp. ejusce modi horrenda crimina vel detecta fuisse & cognita; vel si planè occulta, iisdem pœnis secretò castigata fuisse, quas Canones præscribunt.

Instabis 4. Canones pœnitentiam publicam imponunt iis criminibus quæ necesse est occulta planè fuisse, non publica; aliàs capitali supplicio in eorum reos animadversum fuisset: tale est v.g. homicidium.

Resp. 1. nego ant. Quippè cùm pœnitentiam publicam Canones homicidis imponunt, supponunt quidem publicum esse crimen, sed quod vel ad Judices sæculares delatum non fuerat, vel non satis probatum, aut saltem à Principe jam condonatum, quæ venia seu remissio primis temporibus facilè obtinebatur, sive numerata Principi & parti læsæ pecunia, sive Episcoporum apud
To. 2. p. Principes intercessione: de qua relegi potest Epistola S. Augustini 153. aliàs 54.
524. ad Macedonium; sive immunitate Ecclesiæ, ad quam tanquam ad asylum reus confugerat, unde non poterat retrahi, nisi priùs data à Magistratibus fide, de futura rei incolumitate. Ita Conc. Remense an. 630. c. 7. Cùm verò homicida legum civilium severitatem evaserat, ab Ecclesia severiori pœnitentia puniebatur, juxta normam à Canonibus præscriptam.

Resp. 2. Si crimen homicidii occultum omninò supponatur, illud per pœnitentiam minimè cognitum & evulgatum fuisse: tùm quia eædem pœnæ planè diversis assignabantur peccatis: tùm quia multi animo pietatis iisdem pœnis se liberè subjiciebant: tùm denique quia medicinalis Ecclesiæ sententia trahi non poterat apud Judices sæculares, in probationem patrati sceleris.

Instabis 5. Mitior ac levior imponitur à Canonibus pœna, (quamquam publica) iis qui spontè crimen suum confitentur, quàm iis qui rei probantur & convincuntur. Ita Canon 76. Eliberitanus; 61. S. Basilii; 18. S. Gregorii Thaumaturgi: atqui peccatum quod quis spontè confitetur, prout opponitur illi de quo quis convincitur, est planè occultum; ergo &c.

Resp. nego min. Peccatum enim de quo citati Canones, tale est, ut probari possit & convinci ejus reus, licèt de facto non probetur nec convincatur, defectu testis vel delatoris: peccatum autem ejusmodi haud dubiè non est omninò secretum & occultum, sed saltem semipublicum; qui verò ejusce modi peccatorum reus seipsum accusabat, ac spontè pœnam Canonibus decretam subibat, iste mitiùs puniebatur, quia spontanea hæc confessio sinceram ejus contritionem ac conversionem denotabat, in cujus gratiam Episcopi nonnihil de pœnarum severitate à Canonibus determinata relaxabant. Ita rem exponit S. Gregorius Nyssenus in Epistola ad Letojum Canone 4. *Qui*, inquit,
To. 1. p. *ex se ipso ad sua proferenda peccata impulsus est, eo quòd sua spontè occulto-*
950. D. *rum accusator esse voluerit, ut qui jam affectioni medicinam adhibere cœperit, & signum mutationis in id quod est melius ostenderit, in mitioribus pœnis versatur. Qui autem in malo deprehensus est, vel propter suspicionem, vel accusationem illibenter convictus est, longius illi conversionis tempus datur, ut ipse perfectè purgatus, sic ad Sacramentorum communionem admittatur.*

Instabis 6. Canones propter ea ipsa crimina Laicos damnant ad pœnitentiam publicam, propter quæ Clericos deponunt: atqui deponunt Clericos propter crimina occulta; ergo &c.

Major

Major certa est ex Concilio Rothomagensi. *Pro tanto*, inquit, *habetur Sacerdotem ab officio removere, pro quanto Laicum à Communione Ecclesiæ cessare. Nam unde Laici excommunicantur, inde Presbyteri ab officio altaris submoventur.*

Et in Conventu Pistensi sub Carolo Calvo, Can.20. *De tali causa unde sæculares homines vitam perdunt, inde Clerici Ecclesiasticum gradum amittunt.*

Minor probatur ex Can.76. Concilii Eliberitani. *Si quis*, inquit, *Diaconum se permiserit ordinari, & posteà fuerit detectus in crimine mortis quod aliquando commiserit; si spontè fuerit confessus, placuit eum, acta legitima penitentia, post triennium accipere communionem. Quòd si alius eum detexerit, post quinquennium, acta penitentia, accipere laicam communionem.* Tom. 1. Conc. p. 978. D.

Ex Can.9. Concilii Neocæsariensis. *Si Presbyter*, inquit, *qui corpore priùs peccaverat, promotus fuerit, & se ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat manens in aliis propter aliud ejus bonæ vitæ studium &c.* Ibid. p. 1485. C.

Idem colligitur ex Can. 10. Concilii Nicæni. *Quicunque*, ait, *ex iis qui lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis qui promoverunt, ordinati sunt, hoc Ecclesiastico Canoni non præjudicat: ii enim cogniti deponuntur.*

Idem quoque ex Can. 4. Concilii Valentini, cujus occasione refertur Decretum Concilii Toletani X. de Potamio Bracarensi Episcopo qui propter occultum crimen depositus est. Tom. 2. Conc. p. 34. C.

Denique idem patet ex S. Prospero, L.2. de vita contemplativa c.7. *Hi*, inquit, *qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod occultè crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videtur propterea communicare & officium suum implere debere, quòd homines occultatione sui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parva sunt ut caveri non possint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, & dicimus, Dimitte nobis &c. illa crimina caveantur, quæ publicata suos auctores faciunt humano damnari judicio.* Oper. S. Prosp. App. p. 30. D.

Resp. 1. nego maj. quia nec Concilium Rothomagense, nec Conventus Pistensis, quorum laudatur auctoritas, ajunt Laicos ad pœnitentiam damnari, propter illa crimina propter quæ Clerici deponuntur: imò potius ajunt, propter ea ipsa crimina deponi Clericos, propter quæ Laici excommunicantur: atqui Laici non excommunicantur propter peccata omninò occulta; ergo nec Clerici propter eadem deponuntur. Unde

Resp. 2. nego min. Ea quippè Clericorum peccata, de quibus citati Canones, planè occulta non supponuntur, sed talia sunt, ut probari possit, quinam ex Clericis illorum rei fuerint, sive ex aliorum testimonio, sive propria & spontanea Clericorum illorum confessione. Canon Eliberitanus loquitur de crimine Diaconi, quod aliquis detexerit. Hujusmodi ergo erat ut posset detegi; non igitur planè secretum erat ac occultum. Canon Neocæsariensis agit de crimine, quod spontè Presbyter confessus est, quod si occultum planè remanserit, nec illius reus convinci possit, jubet Canon ut in suo gradu permaneat. *Quòd si*, inquit, *ipse* (Presbyter) *de se non fuerit confessus, & argui manifestè nequiverit, potestatis suæ judicio relinquatur.* Canon pariter Nicænus agit de crimine cognito; Concilium autem Valentinum de crimine occulto quidem Potamii Episcopi, sed quod ipse publicum fecerat per Epistolam, & propter quod spontè pœnitentiæ publicæ se subjecit. S. Prosper vult quidem Clericos qui occultorum peccatorum mortalium rei

sunt, spontè & in foro conscientiæ debere abstinere ab officio suo & à sacra communione; non enim licitum est cum conscientia peccati alicujus mortalis, aut Ordinis sacri munia exercere, aut sacræ mensæ assidere: verùm sanctus Doctor non ait, ejusmodi Clericos per sententiam Judicis Ecclesiastici & in foro externo suspendendos esse à functionibus sui Ordinis, frustrà igitur nobis hic opponitur.

Objicies 2. Si occultorum peccatorum rei pœnitentiæ publicæ ex præscripto Canonum subjiciendi olim non fuissent, ad quid illi prætextus pudoris, verecundiæ, timoris, fortunæ, quibus illi ab agenda pœnitentia retrahebantur, quam, ut loquitur Tertullianus L. de Pœnitentia c. 10. *ut sui*
Pagina *publicationem refugiebant*? Quorsum tot vehementes SS. Patrum conciones,
117. B. quibus ejusmodi occultos peccatores adhortantur, ut præpostero illo pudore ac timore deposito, audacter prodeant in conspectum Ecclesiæ? Nec illis profectò peccatorum excusationibus, nec adhortationibus SS. Patrum locus fuisset, si non supponatur communem tunc temporis fuisse usum Ecclesiæ, ut peccatores occulti publica damnarentur pœnitentia.

Ita porrò passim Veteres.

Pagina Tertullianus de Pœnit. c. 10. *Plerosque*, inquit, *hoc opus, ut publicationem*
127. B. *sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quàm salutis: veluti illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.*

To. 2. p. S. Ambrosius L. 2. de Pœnit. c. 9. *Plerique*, inquit, *futuri supplicii metu*
434. E. F *peccatorum suorum conscii, penitentiam petunt; & cùm acceperunt, publicæ sup-*
Ibid. p. *plicationis revocantur pudore.* Et cap. 10. *An testes precationis & conscios refu-*
435. E. *gis, cùm si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres ut dignentur intervenire?... Hoc ergo in Ecclesia facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requiras, ubi nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri.* Similia passim legere est apud SS. Pacianum & Eligium.

Resp. 1. peccatores illos planè occultos non fuisse, sed aliqua via cognitos & apertos, quamquam nec delatos ad Judicem Ecclesiasticum, nec reos convictos. Prætextus verò quos illi obtendebant, ut publicam refugerent pœnitentiam, rectè non probant occultum planè fuisse eorum crimen: quamquam enim multis cognitum supponatur, non tamen toti Ecclesiæ innotescebat; atque inde pudor ac verecundia qua prohibebantur ne in conspectu totius Ecclesiæ penitentiam agentes crimen apertè proderent. Præterea verò ex illo pudore & verecundia malè infertur publicam fuisse pœnitentiam quam illi peccatores refugiebant: nonne multos etiamnum verecundia & pudor detinet, ne secretò etiam & in aurem Sacerdotis confiteantur?

Resp. 2. SS. Patres meritò ad penitentiam publicam hortari peccatores graviorum criminum, quamquam occultorum, reos, pro usu & disciplina suo tempore recepta; quòd nempè persuasum haberent, efficacius esse istud pœnitentiæ genus, tùm expiandis præteritis peccatis, tùm novis præcavendis. At inde inferre penitentiam hujusmodi Ecclesiastica lege necessariò subeundam fuisse pro peccatis etiam occultis, perinde est ac si quis inferret, observantiam consiliorum Evangelicorum planè necessariam esse ad salutem, quia Concionatores sacri ad eam Fideles quantùm possunt incitant & adhor-

adhortantur. Accedit quòd SS. Patres plerumque in citatis locis & aliis hujusmodi, simpliciter adhortantur peccatores ad pęnitentiam ministerio clavium Ecclesiæ peragendam, quæ certè pęnitentia omnino necessaria est, non tantùm pro gravioribus & publicis, sed etiam pro omnibus planè mortalibus delictis.

Instabis 1. S.Ambrosius L. 1. de Pęnit. cap. 16. de occultis peccatis pęnitentiæ publicæ subditis loquitur. *Si quis igitur*, inquit, *occulta crimina habens, propter Christum tamen studiosè penitentiam egerit . . . . Volo veniam reus speret, & petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus; ut ignoscatur, obsecret; & cùm secundò & tertiò dilata fuerit ejus communio, credat remissiùs se supplicasse.* To. 2. p. 414. A.

Resp. ex adducto S. Ambrosii testimonio hoc unum inferri dumtaxat posse, scilicet occultos peccatores sponte & ex majoris pietatis sensu, seu, ut loquitur sanctus Doctor, *studiosè propter Christum*, aliquando publicam subiisse pęnitentiam; imò & ad illam in foro conscientiæ ex consilio vel præcepto Sacrdotis interdum adductos fuisse, ultro concedimus: at vi Canonum & Ecclesiastica lege huic obstrictos necessariò fuisse, negamus; neque contrarium evincit quod ait sanctus Doctor, *Volo veniam reus speret, & petat eam lachrymis &c.* Istud enim, *volo*, refertur ad id quod directè & data opera eo in Libro demonstrandum susceperat adversùs Novatianos, nempe veniam pęnitentia functis concedendam esse, atque frustra dari pęnitentiam, quæ caret spe veniæ. Non verò refertur ad pęnitentiam publicam, quasi peccata occulta necessariò huic esse subjicienda statuerit sanctus Doctor; alias sequeretur omnia prorsus mortalia eidem pęnæ fuisse addicta, quod ipsemet negat Morinus.

Instabis 2. S.Augustinus Serm. 392. aliàs Hom. 49. inter 50. conceptis verbis asserit non sufficere occultam pęnitentiam pro adulterio secreto. *Qui*, inquit, *post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis . . . . agite penitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut pro vobis oret Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago; novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde ago . . . Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi.* To. 5. p. 1504 E.

Resp. nego ant. Sanctus enim Doctor eò loci non agit de pęnitentia quatenus publica, vel secreta est, sed generatim de illa, quæ virtute clavium in Ecclesia peragitur: eos scilicet impugnat, qui putabant filii satis esse, si coram Deo & in occulto pęnitentiam agerent, prætermisso Ecclesiæ ministerio. *Ergo*, rectè concludit sanctus Doctor citato in loco, *sine causa dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt in Cęlo. Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? frustramus Evangelium &c.* Ibid.

Objicies 3. Innocentium I. in Epistola 2. ad Victricium Rothomagensem cap. 12. ubi occultum peccatum eidem pęnæ publicæ subjicit, cui publicum. *Quæ Christo*, inquit, *spiritaliter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt; si postea vel publicè nupserint, vel se clanculò corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pęnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de sæculo recesserit. Evidens est*, inquit Morinus L. 5. c. 10. n. 7. *Innocentio sermonem esse de pęnitentia publica, cùm de crimine publico, nuptiis scilicet incestis agat*: atqui tamen eadem ratione agendum esse statuit cum Monialibus quæ se clanculo corruperint. Tom. 2. Conc. p. 1252. D. P. 282.

Resp.

Resp. 1. summam responsionis Innocentii non spectare modum pœnitentiæ, an publica, an secreta esse deberet, sed simpliciter ipsam pœnitentiam, ad quam agendam ejusmodi Moniales matrimonio conjunctas admitti priùs non debere mandat, quàm è vivis excesserit is cum quo fuerant conjunctæ. Interrogatus scilicet fuerat à Victricio, an quando Moniales illæ secretò corruptæ fuerant, expectanda foret mors conscii criminis, ut illæ ad pœnitentiam admitterentur, sicut expectatur, cùm publica nuptiarum figura cohonestatæ fuerant: & respondet S.Pontifex, in utraque corruptionis specie mortem complicis expectandam esse.

Resp. 2. Etsi daremus loqui S. Pontificem de pœnitentia publica, non tamen concederemus crimen illarum Monialium, quas ait clanculò corruptas, omnino fuisse occultum. Ex ipso etenim contextu patet, Moniales illas clam nupsisse quidem, hoc est, non observatis Ecclesiæ ceremoniis: nuptiæ autem illæ, quamquam hoc sensu clandestina forent, prout nempe opponuntur matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, non tamen penitus occultæ erant, sed multis cognitæ; adeoque non sine scandalo & offensione publica, & idcirco obnoxiæ legi pœnitentiæ publicæ.

Objicies 4. Cùm ætate S.Leonis irrepsisset abusus publicè confitendi peccata occulta, repressit quidem S.Pontifex abusum illum confessionis publicæ, Epistola 136. aliàs 80. at intactum & integrum servavit usum pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis.

Resp. S. Leonem de una dumtaxat confessione publica peccati occulti egisse, de hac quippe una agebatur; de pœnitentia verò publica peccatoribus omnino occultis imponenda vel non imponenda, silet S.Pontifex: quamquam ratio quam adducit ibidem, ut improbet confessionem publicam peccati occulti, adversùm ipsammet pœnitentiam publicam pro iisdem occultis peccatis contorqueri non immeritò potest. Hæc porrò ratio est, *quòd nimirum multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possunt legum severitate percelli...Tunc enim demum plures*, ait ibid. S. Leo, *ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus, non publicetur conscientia confitentis*.

Quæ Morinus L.5. de Pœnitentia cap. 10. opponit ex SS. Isidoro & Eligio, & cap. 12. ex Tertulliano & S.Paciano, & cap. 13. ex S.Cypriano, & cap. 14. ex Origene, si attentè considerentur, hoc unum demonstrant, quod verum est, de omnibus planè mortalibus agendam esse veram ac sinceram pœnitentiam, eaque clavibus Ecclesiæ subjiciendam esse, ut à Deo condonentur: pœnitentiam verò illam semper esse debere publicam non affirmant citati Scriptores, sed pro conditione delictorum, modò publicam, modò secretam esse, prout prudens judicaverit Sacerdos; aliàs ex iisdem testimoniis efficeres, omnia indiscriminatim peccata mortalia pœnitentiæ publicæ ex Canonum præscripto subjecta antiquitus fuisse, quod tamen negat ipse Morinus eodem L.5. c.1.& 2.& cap.31. n. 2. *Peccata mortalia minùs gravia*,
p. 344. C. inquit, *eodem planè modo curabat*, (Ecclesia) *quo nunc universa ferè mortalia curare solet. Illorum enim peccatorum curatio Sacerdotis erat arbitrio com-*
ibid. E. *missa, nec à Canonibus in specie præcepta*. Et infrà: *Peccatorum hoc genus, quantùm diligenter legendo & inquirendo consequi potui, eodem planè modo ab Ecclesia curatum & punitum est, quo ab annis quadringentis ad hunc usque diem*

*diem omnia ferè mortalia peccata legimus ex Doctorum Scholasticorum praeceptis, & Ecclesiæ approbata praxi curata fuisse.* Ita Morinus.

## ARTICULUS IV.

*De personis penitentiæ publicæ olim obnoxiis. An majores Clerici hac lege astricti aliquando fuerint.*

Laicos cujuscunque dignitatis, etiam imperialis, pęnitentiæ publicæ lege adstrictos fuisse, cùm exigebat peccatorum quæ commiserant ratio, patet famosis exemplis Imperatorum Philippi, de quo Eusebius L.6. Hist.c.34. & Theodosii, de quo S. Ambrosius.

Clericos pariter inferiores, sicut & Monachos ac Moniales eandem subiisse sortem ostendit Morinus L.6.c.13.

De solis igitur majoribus Clericis hìc movetur controversia: atque ut statim omnis amoveatur æquivocatio, monemus per pęnitentiam publicam nos non aliam intelligere, quàm luctuosam illam ac solemnem, quæ in tertio præsertim gradu, qui dicebatur *substratio*, peragebatur, in quo pęnitentes cinere conspersi, induti facco ac planè lugubri habitu, variis laboribus ac pęnis exercebantur in conspectu totius Ecclesiæ, frequenti manuum impositioni Episcoporum & Cleri substrati. Si quis alium modum pęnitentiæ publicæ hìc fingeret, à scopo nostræ quæstionis aberraret. Quapropter vana & inutilis nobis videtur distinctio nonnullorum, inter publicam pęnitentiam & manuum impositionem, quique Clericos publicæ pęnitentiæ subjiciunt, non impositioni manuum. Ut quid enim ab ista immunes illi fuissent, non verò ab altera? Siquidem quidquid dedecoris ac verecundiæ, quidquid duri esse poterat, non ab impositione manuum, sed ab humili & abjecto substrationis, seu substratorum statu oriebatur.

Circa controversiam istam, quæ tota historica est, ac facti, ut dicitur, concordes non sunt Theologi.

Morinus L.4. c.12. contendit tribus primis sæculis eandem fuisse Clericorum majorum, ac Laicorum conditionem in subeunda publica pęnitentia: post tertium verò sæculum, privatim & in secessu illos Clericos pęnitentiam egisse, relicta nihilominus libertate, ut qui vellent ex pietate ac religione, eam publicè peragerent.

E contra contendit Illustrissimus & doctissimus Albaspinæus, Observatione 6. & 7. in Optatum, ubi non aliam quàm depositionis pœnam ac laicam communionem majoribus Clericis graviorum peccatorum reis, impositam fuisse ostendere conatur. *P. Alexander, To. 5. Hist. Ecclef. dissert. 11. p. 441.*

Sunt inter recentiores, quibus placet distinguere inter publicam pęnitentiam, & manus impositionem quæ frequenter fiebat supra pęnitentes: priori quidem, non verò posteriori obnoxios olim fuisse Clericos majores illi existimant. Cum illustrissimo Albaspinæo sit

CON-

## CONCLUSIO.

Nec tribus primis sæculis, nec sequentibus, majores Clerici pœnitentiæ publicæ subditi fuere.

Probatur 1. argumento negativo, quia nempe nullum satis firmum profertur à Morino hujusce disciplinæ ex veteribus monumentis argumentum.

Tom. 1. Conc. p. 30. & seq. Non 1. ex Canonibus Apostolicis 28. 29. & 61. siquidem nulla in illis pœnitentiæ publicæ Clericis injunctæ occurrit mentio. Canon 28. deponit Episcopum & excommunicat, qui per pecunias dignitatem suam consecutus est. Canon 29. segregat ac deponit Episcopum qui usus est sæcularibus Principibus ut Ecclesiam obtineret: segregatio verò illa nihil erat aliud præter depositionem ab officio, & laicam communionem ad quam amandabantur qui depositi fuerant Episcopi. Denique Canon 61. ait quidem Clericum, qui Christum ex timore mortis negavit, deponendum esse, & postquam pœnitentiam egerit ut laicum recipiendum; verùm non ait pœnitentiam illam esse luctuosam atque solemnem quæ publicè in Ecclesia peragebatur. Adde Canones illos falso Apostolis adscribi.

Ib. p. 978. D. Non 2. ex Canone 76. Concilii Eliberitani. Namque 1. observat Illustrissimus Albaspinæus, in Conciliis Eliberitano, Ancyrano, Neocæsariensi & aliis antiquioribus, nullam planè fieri mentionem Episcoporum & Presbyterorum, ubi de imponenda pœnitentia publica. 2. citatus Canon loquitur dumtaxat de Diaconis: at conjici non immeritò potest, vel eos ab illa Synodo annumeratos non fuisse inter Clericos majores, vel à privilegio Episcoporum & Presbyterorum exclusos illos fuisse. 3. citatus Canon ait quidem, Diaconum, qui sponte crimen est confessus, acta legitima pœnitentia debere post triennium accipere communionem; at pœnitentiam illam publicam esse, non ait. Nec refert quòd Canon non distinguat: namque usus ipse ac praxis recepta satis distinguebat.

Ibid. p. 973. A. Non ex Canone 20. ejusdem Synodi, ubi de Clerico usurario dicitur: *Placuit eum degradari & abstineri*. Namque istud *abstineri*, vel non innuit penam distinctam à degradatione, vel solam ad tempus privationem Eucharistiæ.

Non ex historia Natalis Episcopi, qui pœnitentis habitu sese ad pedes Zephirini S. Pontificis abjecit apud Eusebium L. 5. Hist. cap. ultimo. Namque nulla Ecclesiastica lege atque sententia compulsus, id fecit, sed ex summo pietatis ardore, & instinctu planè cœlesti, ut ex tota narrationis serie facilè intelligitur: quæ verò Deo sic inspirante ac singulariter movente fiunt, in jus ac legis necessitatem trahi non possunt.

Non ex Tertulliano L. de Pœnitentia cap. 4. ubi suo exemplo cæteros ad
p. 122. D. pœnitentiam, quam describit, invitat & adhortatur: *Eam*, inquit, *tu peccator mei similis, imò me minor . . . . ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem*. Namque non constat Tertullianum, qui Presbyter erat, publicam ex Canone pœnitentiam egisse: ad pœnitentiam igitur alios suo exemplo generatim invitat & adhortatur, quam omnino necessariam esse ostendit lapsis post Baptismum.

Non

Non ex Epistolis S. Cypriani 19. 52. 59. 64. & 68.

Epistola 19. interrogatus à Caldonio utrum lapsi qui sacrificaverant, sed pœnitentiam egerant, & Christum subinde constanter confessi fuerant, admittendi forent ad pacem, respondet eos omnes, *cùm maculam primam posteriore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo prostratos non debere*: quibus verbis alludit haud dubiè sanctus Doctor ad publicam pœnitentiam, in qua pœnitentes prostrati jacebant humili & abjecto habitu; atque in gratiam confessionis eorum, & lapsorum, censet remittendam ipsis esse publicam pœnitentiam, cui subjiciendi fuissent, *si priorem maculam posteriore virtute non delevissent*. Porrò inter illos lapsos erat Felix, qui referente Caldonio in sua ad S.Cyprianum Epistola, *Presbyterium sub Decimo administrabat*: nulla verò facta illius Presbyteri à cæteris distinctione pronuntiat sanctus Doctor, eos omnes non debere amplius substratos jacere; ergo censet eos omnes debuisse jacere substratos, nisi priorem maculam posteriore virtute delevissent. P. 31. P. 30.

Verùm quis fuerit ille Felix, an simplex Laicus, an Presbyter, incertum planè est. Neque enim conveniunt eruditi de sensu horum verborum, *Presbyterium administrabat*. Alii volunt idem esse ac Vicarii partes agebat; alii, Presbyteris administrabat; alii, quod ferè in idem recidit, totius Presbyterii veluti scriba & notarius erat, seu aliquod ejusmodi temporale ministerium toti Presbyterorum collegio impendebat. Ex sensu autem verborum illorum planè dubio & incerto, nihil videtur firmum ac certum erui posse.

Epistola 52. ait quidem Trophymum redeuntem ad Ecclesiam susceptum, & exauditas ejus preces, eo quòd multos secum reduxisset: at impositam ipsi fuisse pœnitentiam publicam minimè affirmat S.Cyprianus; imò verò impositam non fuisse subindicat, cùm ait eum *admißum ut laicum*, id est communione laica donatum. Idem planè refert Cornelius S.Pontifex in sua ad Fabium Epistola, de altero quodam Episcopo, *qui flebiliter*, inquit, *lamentatus & exomologesim patefaciens, universo populo pro eo rogante in communionem ut laicus receptus est*. Porrò depositio ac communio laica in Clericis locum tenebat pœnitentiæ publicæ: propter quæ enim crimina Laici ad pœnitentiam amandabantur, Clerici deponebantur & in sortem laicorum redigebantur. P. 69.

Epistola 59. conqueritur de Therapio, eo quòd Victori Presbytero, antequam pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo in quem deliquerat satisfecisset, temerè pacem restituisset: at plenam illam pœnitentiam fuisse publicam & solemnem Laicis communem, non asserit S.Cyprianus. P. 94.

Epistola 64. non aliud de Fortunatiano dicit, quàm quòd post gravem ejus lapsum, non debuisset Episcopatum retinere, sed potius per lachrymas & orationes satisfacere: verùm quid inde pro pœnitentia publica Clericis olim ex lege ac præscripto Canonum imposita? nihil profectò. P. 105.

Denique Epistolæ 68. non alius est sensus quàm 52. jam expositus: ait enim tantùm, Basilidem Episcopum deposito Episcopatu, ad pœnitentiam conversum, satis sibi gratulari, si vel laica communione frueretur: quæ sanè verba significant non aliam quàm depositionis & laicæ communionis pœnam illi Episcopo impositam fuisse. P. 112.

Quæ ex Optato, Concilio Arelatensi II. cap. 29. & Aurelianensi I. Can. 12. & ex S. Prospero L. 2. de vita contemplativa c. 7. congerit hìc Morinus, viden-

videntur extra rem esse: testimonia enim hæc auctorum sunt qui post tertium sæculum vixere, quo tempore non amplius Clericis majoribus impositam fuisse pœnitentiam publicam fatetur vel ipse Morinus, nisi fortè animo pietatis eam ipsi expostulassent, quod unum ex mox citatis auctoribus inferri potest.

Probatur 2. argumento positivo.

Ex Optato Milevitano L. 2. contra Donatistas, ubi inter cætera eos graviter reprehendit, quòd rem hactenus in Ecclesia inusitatam ac planè insolentem perfecissent, nempe quòd Episcopos & Presbyteros publicæ pœ-
P. 44. nitentiæ addixissent. *A vobis*, inquit n. 26. *occisi sunt in honoribus Dei Sacerdotes. Multis notum est & probatum, persecutionis tempore Episcopos aliquos, inertia à confessione nominis Dei delapsos thurificasse, & tamen nullus eorum qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua figerent, imperavit. Et facitis vos hodie post unitatem, quod à nullo factum est post thuri-*
Fl. an. 370. *ficationem*. Audis *à nullo factum est*? Teste igitur Optato, Scriptore quarti sæculi, nullus ad suamusque ætatem Clericos majores ad pœnitentiam publicam adegerat.

Et L. 1. n. 24. refert Melchiadis S. Pontificis, & octodecim Episcoporum sen-
P. 10. tentiam, qua proscriptus est Donatus eo quòd confessus esset, *se rebaptisasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod alienum est ab Ecclesia.*

Hanc porrò manus impositionem non tantùm ordinatoriam fuisse, sed etiam in pœnitentiam, ostendit Albaspinæus Observatione 6. in Optatum; tùm quia Donatistas arguit Optatus, quòd Clericos pœnitentiæ publicæ addixissent; tùm quia cùm Donatistæ Cæciliano crimini verterent, quòd Ordinationem accepisset à traditore Librorum sacrorum, & ipse Cæcilianus ad retundendam calumniam, subjicere se voluisset secundæ Ordinationi, Pur-
P. 16. purius Donatista, *solita malitia fretus*, ait Optatus Lib. 1. exclamavit: *Exeat huc quasi imponatur illi manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentia.*

Idem habemus ex S. Leone Epistola 2. aliàs 92. ubi sic loquitur: *A-*
To. 1. p. 407. *lienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo, per manus impositionem remedium accipiant pænitendi: quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit . . . Hujusmodi lapsis, ad promerendam misericordiam Dei, privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Teste igitur S. Leone, *alienum est à consuetudine Ecclesiastica*, & contrarium Apostolicæ traditioni, ut majores Clerici cogantur ad publicam pœnitentiam. Quis autem credat per tria sæcula Ecclesiam id observasse?

S. Hieronymus Epistola 93. aliàs 48. Sabino Diacono virginum corruptore consulit, ut pœnitentiam agat in Monasterio, non in conspectu totius Ecclesiæ
T. 4 p. 2. p. 758. simul cum Laicis. *Hortatus sum*, inquit, *ut ageres pænitentiam, & in cilicio & cinere volutareris, ut solitudinem peteres, ut viveres in Monasterio, ut Dei misericordiam jugibus lacbrymis implorares.*

S. Augustinus Lib. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 1. testatur etiam Clericis ad Ecclesiam, ex qua defecerant, redeuntibus, *manus inter Laicos*
T. 9. p. *non imponi.*
80. B. C. S. Prosper L. 3. de vita contemplativa c. 7. ait quidem, nonnullos Clericos sponte

ſponte & animo pietatis excommunicationis *ſententiam in ſeipſos ferre*, & ab officio *ſegregatos vitam tanquam mortuam ſeparatos agere*: ſed non ait, eos lege Eccleſiaſtica coactos ad publicam pœnitentiam.

Concilium Carthaginenſe V. an. 398. Can. 11. ſic ſtatuit. *Confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos à miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus, tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus, Laicis, imponatur.* *To. 2. Conc. p. 1217. C.*

Idem colligere eſt ex Concilio Toletano IV. Can. 29. ann. 633. Tam conſtans fuit & ubique recepta hæc Eccleſiæ diſciplina, ut diſpenſatione veluti ac ſpeciali decreto opus fuerit, ad publicam pœnitentiam non denegandam Clericis eam ex pietatis ſenſu expoſtulantibus. Eò unicè tendunt Canon 4. Concilii I. Arauſicani an. 441. Concilium Arelatenſe II an. 457. Canon 12. Concilii primi Aurelianenſis ann. 511. Canon 10. Concilii Toletani XIII. occaſione Gaudentii Valerienſis Epiſcopi; S. Proſper L. 2. de vita contemplativa c. 7. Burchardus c. 57. *Tom. 2. Conc. p. 1714. I.*

Nonnullas congruentes rationes ex gradu & dignitate majorum Clericorum proponit Albaſpinæus Obſervatione 6. in Optatum, quas eo faciliùs hic omittimus, quòd attendenti ſtatim occurrant.

Dices. Felix III. S. Pontifex qui viginti duobus annis ſedit poſt S. Leonem, Epiſtolâ 7. convenientem & quidem publicam imponit pœnitentiam Presbyteris & Diaconis qui ſe rebaptiſari permiſerunt, *Quos*, inquit, *in pœnitentia* ( ſi reſipiſcunt ) *jacere conveniet uſque ad diem ſui exitus*.

Reſp. nego ant. Pœnitentia quippe illa privata fuit, non publica. Patet 1. ex oppoſitione illius cum pœnitentia minorum Clericorum & Monachorum, quam per gradus ſingulos diſtinctam eſſe debere, adeoque & publicam ibidem præſcribit S. Pontifex. Patet 2. ex verbis illius, *Quia*, inquit, *Dominus atque Salvator clementiſſimus eſt, & neminem vult perire, uſque ad exitus ſui diem in pœnitentia ( ſi reſipiſcunt ) jacere conveniet; nec orationi non modò Fidelium, ſed ne Catechumenorum omnimodis intereſſe, quibus communio laica tantùm in morte reddenda eſt. Quam rem diligentiùs explorare vel facere probatiſſimi Sacerdotis cura debebit.* En qualem pœnitentiam imponit S. Pontifex Clericis majoribus, quam nempe ſub oculis probatiſſimi Sacerdotis adimpleant, non publicè & in conſpectu Eccleſiæ totius. *To. 4. Conc. p. 1076. C. Ibid.*

## ARTICULUS V.

### *De unitate pœnitentiæ publicæ.*

Duplex eſſe poteſt propoſitæ quæſtionis ſenſus.

I. an qui poſt actam ſemel de gravioribus peccatis pœnitentiam, ſi in alia mortalia quidem, ſed non ita gravia incidiſſent, admitterentur ad pœnitentiam ſecretò perficiendam.

II. an qui poſt publicam pœnitentiam, in eadem, aut etiam graviora incidiſſent peccata, iterum publica aut ſaltem ſecreta pœnitentia purgarentur.

Negat Morinus Lib. 5. c. 27. 28. & 29. *Antiqui verò Scholaſtici*, ait cap. 29. n. 4. ( quibus nonnulli è recentioribus ſuffragantur ) *primævæ Eccleſiæ pra-* *P. 337. A.*

*xim ex usu temporis sui metientes, docuerunt.... antiquitus crimina post actam publicè penitentiam iterantibus, non esse quidem per aliam publicam pœnitentiam subventum, sed per privatam. Quia autem crimen iteratum vel propter solam iterationem gravius est, ideo dicebant opera laboriosa in hac privatæ penitentiæ impositione difficiliora & duriora, quàm in pœnitentia publica esse injungenda.*

## PRIMA CONCLUSIO.

Qui publica pęnitentia propter gravissima peccata perfuncti, in alia mortalia quidem, sed minùs gravia incidebant, secreta pęnitentia expiabantur.

Probatur. Quia ex dictis, sola peccata canonica ex præscripto Canonum obnoxia fuere pęnitentiæ publicæ; ergo alia mortalia secreta pęnitentia expiabantur. Eadem porrò videtur esse conditio peccatorum illorum, sive antecederent, sive sequerentur publicam de gravioribus peccatis jam adimpletam pęnitentiam; ergo iis qui post actam de gravioribus seu canonicis peccatis pęnitentiam, in alia non ita gravia labebantur, secreta imponebatur pęnitentia.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Publica pęnitentia semel tantùm olim concedebatur: qui verò post illam semel adimpletam in eadem, aut etiam graviora peccata incidebant, non omnino desperati, & ab omni spe veniæ dejecti jacebant, sed toto vitæ suæ tempore à sacra mensa exclusi, secreta pęnitentia castigabantur, & in fine tantùm veniam & absolutionem obtinebant.

P. 123. Prima pars Conclusionis multis Veterum testimoniis demonstratur à Morino.

Ex Tertulliano L. de Pœnit. cap. 5. *Hoc dico*, inquit, *pęnitentiam quæ per Dei gratiam ostensa & indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, nunquam post hac iteratione delicti resignare oportere*. Idem repetit cap. 7. verba superiùs laudavimus ad Quæstionem 7. Art. 3. in responsione ad Objectiones Conclusionis primæ, ubi quo sensu unam dixerit & semel subeundam pęnitentiam Tertullianus, exposuimus. (P. 126.)

T. 1. p. 436. D. Ex S. Ambrosio L. 2. de Pęnit. c. 10. *Meritò*, inquit, *reprehenduntur qui sæpiùs agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent, quia sicut unum Baptisma, ita una Pœnitentia, quæ tamen publicè agitur: nam quotidiani nos debet pœnitere peccati &c.*

T. 1. p. 109. D. Ex Origene Hom. 15. in caput 25. Levitici. *In gravioribus criminibus*, inquit, *semel tantùm, vel raro penitentiæ locus conceditur*. Suspicantur multi, particulam hanc, *raro*, irrepsisse aliena manu in textum Origenis, quia in Manuscriptis octingentorum & sexcentorum annorum non extat, & à Magistro L. 4. dist. 14. textus idem sine illa particula legitur.

T. 2. p. 516. C. Ex S. Augustino Epistola 153. aliàs 54. ad Macedonium. *In tantum hominum aliquando iniquitas progreditur*, ait, *ut etiam post actam pœnitentiam, post*

*poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia vel graviora committat .... Et quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur.* Et infrà. *Quamvis ergo cautè ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minùs utilis eſſet ægrotis, quæ tantò magis ſalubris eſt, quantò minùs contemptibilis fuerit; quis tamen audeant dicere Deo: Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtrinxit, adhuc iterum parcis?* Ibid. F.

Secunda pars probatur.

I. ex S. Auguſtino mox citata Epiſtola, ubi ex profeſſo refellit eos qui ex denegata ulteriori pœnitentia publica iterum reis graviorum criminum, inferebant aut ipſis deſperandum eſſe, aut laxandam ad omne facinus licentiam. *Aut date nobis*, inquiunt apud S.Doctorem, *iterum pœnitendi locum, aut nos deſperatos permittite, ut faciamus quidquid libuerit.* Docet ibi ſanctus Doctor, Deum ſuper ejuſmodi homines patientiæ ſuæ non oblivisci; docet bona pœnitentiæ opera ipſis profutura. *Dicite*, interrogabant iidem homines, *utrum nobis aliquid proſit ad vitam futuram, ſi voluptatum blandimenta contempſerimus . . . ſi ad caſtigandum corpus multa etiam licita negaverimus &c. Quis noſtrum ita deſipuit*, reſpondet S. Auguſtinus, *ut his hominibus dicat, Nihil iſta vobis proderunt in poſterum . . . Avertat Deus immanem ſacrilegamque dementiam.* Attendebat igitur Eccleſia ad pœnitentiam privatam illorum, quibus ad publicam amplius aditus non patebat; neque ab omni ſpe conſequendæ veniæ excluſi jacebant, quamquam in fine dumtaxat vitæ eam conſequerentur. Ibid. D. Ibid. Ibid. E.

Probatur 2. ex Siricio S. Pontifice Epiſtola 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 5. à quo conſultus fuerat qua ratione agendum foret cum iis qui poſt actam pœnitentiam, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos & ad volutabra redeunt: ſic reſpondet S.Pontifex. *De quibus, quia jam ſuffragium non habent pœnitendi*, (nempe publicè) *id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam Fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint: à Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenùs ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere cùm ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.* Tria ſunt in iſto Siricii decreto obſervanda. 1. ejuſmodi relapſis non amplius apertum eſſe pœnitendi ſuffragium, (nempe publicè) de ſola quippe iſta ſolemni pœnitentia erat quæſtio. 2. illos pro deſperatis habendos non eſſe, ſed debere eos in ſe ſua errata caſtigare: en privata pœnitentia. 3. eos in fine vitæ reconciliandos eſſe, quæ tria noſtra continet Concluſio. Ob. an. 394. To. 2. Conc. p. 1019. B.

Dices 1. cum Petavio in notis ad hæreſim 59. S. Epiphanii: Si hujuſmodi relapſis patuiſſet in Eccleſia locus ſecretæ pœnitentiæ, longè melior fuiſſet eorum conditio, quàm aliorum, qui ſemel tantùm lapſi fuerant; ſecreta enim illa pœnitentia levior ac mitior erat publica: atqui, inquit Petavius, nemo tam vecors erit, qui humaniùs cum illis actum putet, qui in eadem ſæpiùs incurriſſent, quàm cum iis qui ſemel ea commiſiſſent.

Resp. nego sequelam antecedentis. Melior quidem fuisset eorum relapsorum conditio, si post pœnitentiam certo temporis spatio definitam veniam & absolutionem assecuti fuissent; at toto vitæ tempore pœnitentiam agere illi tenebantur, à participatione sacræ mensæ remoti, quod viro verè Christiano durissimum ac gravissimum certè videri debet, nec nisi in fine vitæ suæ veniam & absolutionem illi obtinebant. Loquitur verò Petavius in hypothesi quam refellit, alicujus Scriptoris, qui putabat ejusmodi relapsis & pœnitentiam & absolutionem concessam privatim fuisse, eo ferè modo quo jam fit. Hanc hypothesim spectasse Petavium, suadent ejus verba. *Etenim,* p. 238. inquit, *si graviorum delictorum conscii citra publicam illam, quam antea suscepissent, pœnitentiam, emergere, & ad communionem pacemque reverti alterius ac privatæ beneficio potuerint, nonne melior illorum, quàm cæterorum conditio fuit?*

Dices 2. Si privatæ pœnitentiæ locus fuisset post publicam semel peractam, ad quid objectio illa quam mox citata Epistola apud S. Augustinum nonnulli proponunt?

Resp. ita objecisse viros illos rudes, sive quòd existimarent fieri non posse ut sine publica pœnitentia venia peccatorum à Deo obtineatur; vel quòd inutilem putarent privatam illam pœnitentiam, cujus tam tardus erat fructus, quem nimirum nonnisi in fine vitæ assequi poterant.

Dices 3. Concilium Neocæsareense Can. 2. sic statuit: *Mulier si duobus* Tom. 1. Conc. p. *fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu, propter* 1484. D. *misericordiam, si promiserit quòd facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur.* Igitur ante vitæ exitum pœnitentia illa non imponebatur.

Resp. pœnitentiæ nomine integrum designari Sacramentum Pœnitentiæ, præsertim verò prout veniam & absolutionem peccatorum continet, quæ nonnisi in fine vitæ aliquibus in casibus ad rigorem disciplinæ concedebatur.

## QUÆSTIO NONA.

### *De forma Sacramenti Pœnitentiæ, seu de absolutione.*

FOrma Sacramenti Pœnitentiæ posita est in verbis quibus Sacerdos judicè pœnitentem absolvit à peccatis.

Tria circa formam Pœnitentiæ seu absolutionem discutienda nobis sunt capita.

Primum, utrum forma sacramentalis absolutionis deprecatoria vel absoluta esse debeat; & qualis olim fuerit usurpata ab Ecclesia, sive Græca, sive Latina.

Secundum, utrum sacramentalis absolutio quorumdam criminum reis denegata olim fuerit, aut sit deneganda, vel saltem ad aliquod tempus protrahenda.

Tertium nonnullas alias continet Scholasticorum dissolvendas quæstiones circa sacramentalem absolutionem.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum forma sacramentalis absolutionis deprecatoria vel absoluta esse debeat; & qualis olim usurpata fuerit ab Ecclesia, tùm Græca, tùm Latina.*

TRiplex potissimum modus est quo enuntiari potest & exprimi forma absolutionis: nempe vel modo deprecativo, *Quæsumus, Domine, absolve*: vel modo imperativo; *Absolvatur*, qui modus, ubi de ministro Sacramentorum agitur, ad deprecativum reducitur; neque enim homo Deo imperat: vel denique modo indicativo, *Absolvo te*.

Duplex verò hìc occurrit quæstio, una juris, altera facti.

Quæstio juris seu dogmatis est, an ex institutione Christi ac natura Sacramenti Pœnitentiæ, necesse sit formam absolutionis esse deprecatoriam, vel absolutam.

Quæstio facti est, qualem Ecclesia, tùm Græca tùm Latina, formam olim usurpaverit aut etiamnum usurpet, an deprecatoriam, an absolutam. Circa utramque quæstionem non consentiunt Theologi.

Circa primam, fuere tempore S.Thomæ, hoc est decimo tertio sæculo, qui putabant formam absolutionis verbis indicativis prolatam, nullam planè esse, sed deprecatoriam illam esse oportere. Adversùs illos scripsit S.Thomas Opusculum vigesimum secundum, ubi contendit formam illam debere esse indicativam & absolutam, quia scilicet alio modo exprimi non potest actus judicialis, qualis est absolutio; atque contrariam opinionem temerariam esse, præsumptuosam, ferè erroneam pronuntiat. Alii mediam veluti viam tenent, sentiuntque, ex institutione quidem Christi formam absolutionis actum esse judicialem, sed eam perinde exprimi posse contendunt verbis sive deprecatoriis, sive absolutis; atque Christum modum hunc non determinasse, sed Ecclesiæ suæ determinandum reliquisse, cujus proinde determinatio legis vim habet, quam violare sine periculo nullius & irriti Sacramenti, nemo potest. Ita sentiebat sæculo decimo tertio Franciscus Mayronis in 4. dist. 14. qu. 1. Ita Morinus Lib. 8. de Penit. cap. 8. ad quem videtur accedere Estius in 4. dist. 15. parag. 3.

Circa secundam, quæ facti est, quæstionem, non minor dissensio.

I. Sunt qui solam formam deprecativam ad annos aliquot supra millesimum viguisse asserunt. Ita referunt nonnulli apud S. Th. Opusculo 22. Ita Morinus L. 8. c. 8. & sequentibus. Ubi addit, ineunte sæculo duodecimo, formæ antiquæ deprecatoriæ additam absolutam; tandem adulto sæculo tertiodecimo indicativam ita prævaluisse, ut sola in usu fuerit. Cujus mutationis causam hanc fuisse suspicatur, quòd cùm multi Theologi tunc temporis docerent hominem per contritionem perfectam priùs justificari, quàm absolvatur à Sacerdote, convenientius visum fuit, si Sacerdos modo indicativo diceret, *Absolvo te*, id est, juxta illos, *Declaro te absolutum*, quàm modo deprecativo, *Deus te absolvat*; quippe pro re jam concessa Deus non rogatur, sed pro futura.

II. Alii è contra cum S.Thoma & cæteris Scholasticis, hac occupati sententia, actum judicialem, qualis est absolutio, non posse verbis deprecativis

validè pronuntiari, existimarunt formulam absolutionis semper fuisse indicativam: quamquam, ut ait Morinus, nullo id testimonio duodecimo sæculo antiquiore probare possent; imò & fateri cogerentur, sicut fatetur Goarius, in antiquis Ritualibus ac Libris Sacramentorum, non aliam, quàm deprecatoriam deprehendi.

III. itaque sentiunt alii, formam deprecatoriam obtinuisse in Ecclesia Latina usque ad duodecimum sæculum, quo ineunte indicativa adjungi cœpit deprecativæ.

De usu quoque Ecclesiæ Græcæ antiquo & præsenti controvertitur. Morinus Lib. 8. cap. 12. existimat usum formæ deprecatoriæ semper fuisse, & etiamnum extare apud Græcos; ex altera tamen parte Arcudius Lib. 4. de Pœnit. c. 3. & cum ipso Goarius in notis ad Euchologium Græcorum p. 673. quamquam fateatur in antiquis & recentioribus Græcorum Ritualibus non aliam formam exprimi quàm deprecativam, semper nihilominus indicativam obtinuisse his verbis expressam, *Habeo te absolutum*, & etiamnum in usu esse, nonnullis recentiorum testimoniis ostendunt. His præmissis, sit

## PRIMA CONCLUSIO.

Forma sacramentalis absolutionis ex institutione Christi ac natura Sacramenti, debet esse actus Judicii: quibus autem verbis exprimi debeat, an deprecatoriis, an absolutis, sua institutione Christus non determinavit, sed Ecclesiæ suæ reliquit determinandum: unde perinde est ad substantiam Sacramenti, si vel deprecatoria, vel indicativa sit forma absolutionis, prout Ecclesiæ placuerit eam figere ac determinare, cujus determinationi omnino standum est ac obsequendum.

Prima pars Conclusionis probatur ex modo loquendi Christi, cùm Apostolis contulit ligandi & solvendi peccatores auctoritatem, Matth. 16. v. 19. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*, in quibus verbis tota Ecclesiæ Traditio intellexit contineri veram & juridicam auctoritatem dimittendi peccata. Unde meritò Conc. Trid. Sess. 14. cap. 6. ait: *Quamvis absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed adinstar actus judicialis, quo ab ipso, velut à Judice, sententia pronuntiatur.* Et Can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem.... anathema sit.* Plura de hoc ipso argumento jam diximus ad Quæstionem secundam hujus Tractatus, Art. 2.

To. 14. Conc. p. 819. E.

Ib. p. 815. A.

Secunda pars ostenditur.

I. ex vario Ecclesiæ usu ac praxi; patebit enim ex dicendis hìc Conclusione tertia, Ecclesiam modò deprecativa, modò absoluta absolutionis formula usam fuisse: atqui si intellexisset alterutram à Christo Domino præscriptam ac determinatam fuisse, haud dubiè summa cura & religione illam constanter retinuisset, quemadmodum retinuit formam Baptismi & Eucharistiæ, quam Christus expressè determinavit. Sua igitur praxi satis declaravit Ecclesia,

clesia, sibi à Christo datam libertatem determinandi verba quibus absolutionis formula enuntianda est.

II. Natura actus judicialis ex se ac necessariò non exigit, præsertim in ministro Pœnitentiæ, ut modo absoluto & indicativo exprimatur; ita ut deprecatorius planè sit insufficiens & invalidus. Namque 1. Sacerdos non propria neque suprema, sed precaria & ministeriali auctoritate judicium exercet in tribunali Pœnitentiæ; adeoque tacitam saltem orationem fundit, qua divinam invocat virtutem, ac precatur, ut ratum habeat quod ipse facit. 2. quia in pronuntianda excommunicatione actus judicii pariter exercetur: at consentiunt omnes, posse illam aliis, quàm indicativis verbis pronuntiari. 3. ex eo præcisè quòd Christus Apostolis eorumque successoribus dederit potestatem absolvendi à peccatis, necesse non sequitur potestatem hanc exerceri debere per verba absoluta & indicativa: siquidem Matth. 10. Marci 13. & Lucæ 10. dedit Christus iisdem Apostolis potestatem ejiciendi spiritus immundos, infirmitates curandi &c. quæ omnia ferè semper deprecatoriè illi operabantur. 4. Arcudius ipse L. 4. de Pœnit. cap. 3. quamquam velit absolutionis formam sic à Christo institutam esse, ut deprecatoria nulla esse videatur, antea tamen agnoverat absolutè valere posse talem formam. P. 359. *Quia*, inquit, *possemus sic ratiocinari: Qui deprecatur alteri culpam à supremo Judice, sanè indicat se quidem quod ad se spectat, eam remittere, cupere verò, ut etiam summus Judex idem velit facere, & idcirco deprecatur. Igitur potest fieri absolutio deprecativè . . . Qui enim dicit, Remitte ei, condona ei, non secus est, ac si diceret, Ego quidem remitto & ignosco delictis ejus, sed majestatem tuam etiam deprecor, ut per me velis Domine, remittere.* P. 357. col. 1. A. Idem planè asserit Goarius in notis ad Euchologium. *Forma*, inquit, *hujus Sacramenti, etsi deprecativa, non excludit, imò continet actionem ministri, sicque ad indicativam potest reduci: quemadmodum & indicativa Dei misericordiam pœnitenti necessariam expostulat implicitè. Qui ergo dicit, Dimitte, condona, subintelligit, per me . . . .* P. 656. col. 1. Et infrà: *In prædictis orationibus judiciaria nasque potestas exerceri à Sacerdote super penitente orante, satis significatur.* Ita Goarius.

Et verò tunc Sacerdos actum judicii exercet per absolutionem, quamquam modo deprecativo enuntiatam, cùm eam non pronuntiat, nisi judicando absolvendum esse pœnitentem, suamque apud Deum ratam & acceptam fore orationem.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Forma sacramentalis absolutionis indicativa qua jamdudum utitur Occidentalis Ecclesia, his verbis exprimitur, *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris &c.* Hæc conveniens est, optima, sola apud nos essentialis & necessaria.

I. ea forma à quingentis ad minùs annis uti Latinam Ecclesiam probat evidenter S. Thomas Opusculo 23. aliàs 22. c. 1. *Communis est consuetudo*, inquit, *tali forma utentium, cui aliquem contrariari non parvæ præsumptionis est.* T. 20. p. 449. col. 2. A. Et cap. 2. *Magistros Parisienses communi sententia declarasse, absque his verbis*, Ego te absolvo, *absolutionem non esse per solam deprecativam orationem.* Ib. p. 450. col. 2. D.

Igitur ætate S. Thomæ viguit ista forma absolutionis indicativa: neque de illa tanquam usu recenti inducta loquitur; imò potiùs existimare videtur, nullam aliam unquam obtinuisse; in quo quidem facto facile fuit S. Doctorem falli, cùm omnia non perlustrasset antiquorum monumenta, quorum
Morin. p. 529. copiam non habebat: inde saltem manifestum istud est, ætate ipsius formam hanc vulgatam ac communem fuisse. Nec verò dissimulat Morinus L. 8. c. 8. num. 1. se in uno aut altero antiquo Rituali formam hanc deprecativæ admixtam legisse. Addit recentior Scriptor eruditus, P. Martene Ordinis Benedictini, L. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 6. art. 5. in quatuor
Martene, T. 2. p. 33. antiquitate planè venerandis Ritualibus manu scriptis formam hanc indicativam deprehendi, nempe in Pontificali Egberti Eboracensis Episcopi, litteris saxonicis pereleganter scripto; in Anglicano, cujus caracter nongentos circiter annos refert; in Gellonensi vetustissimo, & Remensi S. Remigii litteris longobardicis exarato: ex quibus non inferimus quidem, quod visum est S. Thomæ, Arcudio, Goario & aliis nonnullis, solam formam indicativam ex Traditione Christi promanasse, ac solam tanquam essentialem observatam fuisse; solis enim conjecturis id augurantur, nullo nixi testimonio quod duodecimum sæculum antecedat, ait Morinus loco mox citato: sed inde saltem efficimus, jam ante S. Thomam cognitam & usurpatam fuisse formam indicativam, quæ tandem ita prævaluit, ut eam solam tanquam essentialem ac necessariam retinuerit Occidentalis Ecclesia.

Narrat enim Franciscus Mayronis, qui obiit an. 1325. in 4. dist. 14. q. 1. in Provincia Provinciæ nonnullos adhuc ætate sua deprecativa formula absolutionis usos fuisse, ac improbatos; & quamquam contendat auctor ille, absolutè valere posse formam illam, *quia tamen*, inquit, *sacramentalia sunt stricti juris, ideo non debent immutari.* Usus ergo contrarius jam invaluerat versùs medium sæculum decimum tertium.

Unde Concilium Trid. Sess. 14. cap. 3. ait. *Docet sancta Synodus, Sacra-*
T. 14. Conc. p. 816. E. *menti Pænitentiæ formam in qua præcipuè vis sita est, in illis ministri verbis positam esse*, Ego te absolvo &c. *quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Idem antea dixerat Concilium Florentinum in Decreto. Ad hanc Concilii auctoritatem non satis attendisse videtur Estius, cùm in 4. dist. 14. pa-
P. 186. col. 1. C. ragr. 3. quærens quid sentiendum sit de ista forma, *Deus te absolvat &c.* ait quidem multis insufficientem illam videri, cùm sit tantùm deprecatoria, *quorum sententia securior est & revera probabilior, tametsi*, addit ib. *non nitatur irrefragabili ratione vel auctoritate*. Quæ enim, amabo, major desiderari potest auctoritas, quàm Concilii Tridentini declarantis formam Sacramenti Pœnitentiæ positam esse in his verbis, *Ego te absolvo &c.* & preces ad ejus essentiam non pertinere?

II. formam indicativam convenientem esse & optimam nemo jure negaverit, cùm actus judicialis aptiùs exprimatur per formam absolutam, quàm per deprecatoriam. Sola igitur forma indicativa his verbis expressa, *Ego te absolvo &c.* apud nos essentialis est ac necessaria, à qua recedere nulli fas est, si Sacramentum ratum & validum perficere voluerit.

Quæ hic opponi possunt adversùs modum illum absolutum & indicativum

vum absolvendi à peccatis, jam proposuimus & solvimus initio hujus Tractatus, cùm ostendemus veram esse in Sacerdotibus auctoritatem, non tantùm declarandi remissa esse peccata, sed ea verè remittendi.

Dices: Forma quæ ex Christi institutione invalida non est, non potest ab Ecclesia invalida reddi & nulla; nihil enim potest Ecclesia in substantiam Sacramentorum: atqui forma deprecatoria ex Christi institutione non est invalida, ex dictis; ergo &c.

Resp. dist. maj. Si Christus hanc Ecclesiæ suæ libertatem non reliquit, ut eligat quem judicaverit aptiorem modum exprimendi formam Sacramenti Pœnitentiæ, concedo. Si libertatem hanc Ecclesiæ reliquit, quæ certas quasdam apponere potest conditiones quibus inhabiles reddantur vel ministri, vel Fideles, ad dispensanda, vel recipienda Sacramenta, nego. Vide quæ ad simile argumentum suprà respondimus, ubi de confessione per Litteras, & absolutione absentibus data disseruimus Conclusione prima & tertia. Appositè ad Objectionem hîc propositam Morinus L. 8. c. 8. n. 2. ait, *non tantùm Concilia aut Pontificum decreta leges absolvendis peccatoribus præscribere posse, quarum prævaricatio irritam facit absolutionem; sed etiam id posse consuetudinem, Pontifice non improbante, secundùm responsa prudentum legitimè inductam.*

Quæres 1. quænam verba absolutè sint essentialia in forma sacramentalis absolutionis; an ista sola, *Ego te absolvo*, an etiam quæ sequuntur, *à peccatis tuis, in nomine Patris &c.*

Resp. 1. Florentinum & Trid. Concilium, postquam declaravit formam Sacramenti Pœnitentiæ positam esse in istis verbis, *Ego te absolvo*, addere, *&c.* qua loquendi ratione non obscurè significat, etiam alia quæ de more Ecclesiæ adjunguntur, ad illam pertinere; quamquam non definiat an sint essentialia vel non, de quibus disputant inter se Theologi.

Resp. 2. consentire maximam Theologorum partem, duo hæc dumtaxat verba esse essentialia, *te absolvo*. Namque 1. pronomen, *Ego*, sufficienter includitur in verbo, *absolvo*. 2. ista verba, *à peccatis tuis*, satis quoque determinata intelliguntur & per confessionem pœnitentis, & per actionem ministri absolventis. 3. expressio seu invocatio SS. Trinitatis non videtur essentialis, cùm nec ex verbis Christi, nec ex Traditione inferri possit ista necessitas. Non ita certè est in Baptismo: expressè quippè dixit Christus, *Ite baptisantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Quæres 2. an valeret ista forma, *Ego tibi peccata tua dimitto.*

Respondet Estius valere: quia sicut dictum est, *Quodcunque solveritis*; ita dictum, *Quorum remiseritis peccata*. Nihilominus S. Thomas docet, usitatam formam esse aptiorem, quia magis accommodata est verbis quibus Christus potestatem clavium Apostolis suis concessit Matth. 16. v. 18.

Quæres 3. quid sentiendum sit de istis formulis absolvendi, *Remittuntur tibi peccata tua*; vel, *absolveris seu absolvaris à me*, vel, *absolvatur talis.*

Respondet idem Estius in 4. dist. 14. parag. 3. vulgò Theologis ratas videri has absolvendi formulas, quia necesse non est ut in isto Sacramento persona ministri verbo primæ personæ exprimatur, sed sufficit, si actus ipsius judicialis enuntietur. Addit ibidem, ab omnibus hujus Sacramenti ministris diligenter observandum, ut in ejus administratione à laudabili consuetudine

suæ Ecclesiæ non recedant, atque imprimis abstineant ab additionibus superfluis, ineptis, vitiosis, aut erroris occasionem præbentibus.

## TERTIA CONCLUSIO.

Forma deprecativa sacramentalis absolutionis fuit in usu apud Latinos usque ad sæculum duodecimum, quo ineunte forma indicativa deprecatoriæ accessit; donec tandem adulto sæculo decimo tertio sola indicativa in Occidente prævaluit.

Cùm præsens Conclusio tota sit de facto historico, non ratiociniis nec conjecturis, sed apertis testimoniis demonstrari debet, ac reipsa demonstratur à
P.529. B. Morino L.8.c.8.9.10.& 11. *Quotquot*, inquit ille c.8.n.1. *hactenus legi, aut relata audivi antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta, ad annum usque ducentesimum supra millesimum, testantur formulam ordinariam absolutionis sive reconciliationis pœnitentium fuisse deprecatoriam... Nonnulli Scholastici*, pergit ibidem, *antiqui*
Ibid.C. *& recentiores, hanc formulam rationibus scholasticis improbarunt, sed nullus mihi lectus est, qui improbationem auctoritate sæculo adnotato antiquiore fulciret. Recentiores ipsi, qui antiquæ Patrum & Conciliorum lectioni prioribus diligentiùs incumbunt, licèt aliquando generaliter & verbo tenus praxis hodiernæ rationem præcipuam ab antiqua consuetudine repetant, id tamen dixisse contenti, nullo testimonio demonstrant.* Ita Morinus.

Probat autem primam Conclusionis partem

I. testimoniis SS. Patrum qui affirmant pœnitentes per orationes Sacerdotum absolvi. Ita sanctus Ambrosius L. 3. de Spiritu sancto c.8. *Homines*, inquit, *in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis*
T.2.p. 693.F. *exercent. Neque enim in suo, sed in Patris, & Filii, & Spiritus sancti nomine peccata dimittuntur. Isti rogant, divinitas donat.*

T.2.Append.p. 190. Sanctus Hieronymus in Psal. 28. ad ista verba, *Vox Domini intercidentis flammam. Quotidie*, inquit, *in unoquoque nostrum flammam libidinis per confessionem, & gratiam Spiritus sancti intercidit; id est, per orationem Sacerdotis facit cessare.*

S. Augustinus L.3. de Baptismo c.6. *Manus impositio*, inquit, (quæ supra pœ-
T.9.p. 117.B. nitentes fieri solebat) *non sicut Baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?*

S. Leo Epist. 82. aliàs 91. *Indulgentia Dei*, inquit, *nisi supplicationibus Sacerdotum*
T.1.p. 605. *nequit obtineri.* Et postea. *Multùm utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.* Plura vide apud Morinum.

Probat 2. idem Morinus cap.9. Lib.8. testimoniis eorum qui duodecimo labente, vel decimo tertio ineunte sæculo vixere, quique sua ætate formulam absolutionis deprecatoriam fuisse referunt. Ita Scriptor quem re-
To.2.p. 453.col. 1.B. fellit S. Thomas Opusculo 23. aliàs 22. *Vix anni triginta elapsi sunt*, inquit cap. 5. citati Opusculi, *cùm omnes sola forma deprecatoria uterentur*. Cui S. Thomas ibidem nihil aliud respondet præter istud, *cum nimirum de omnibus testi-*
Ibid.C. *monium perhibere non posse, qui omnes non vidit; sed certum esse, quoniam sunt mille ducenti anni & amplius, quòd dictum est Petro, Quodcunque solveritis &c.* Similiter eidem Scriptori objicienti auctoritatem Guillelmi Altissiodorensis, Guillelmi Parisiensis Episcopi, & Hugonis Cardinalis, reponit sanctus

ctus Doctor cap.2. sibi de eorum sententia non constare, *Sed & si*, pergit, *ita senserunt, numquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis*, Quodcunque solveris &c? *Numquid etiam si nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ Magistrorum Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis*, Ego te absolvo, *absolutionem non esse per solam deprecativam orationem*? Ibid. p. 450. D.

Ex his patet S. Thomam absolutè factum non negasse, ex quo arguebat Scriptor quem refellit, quamquam rem aliter se habuisse non obscurè insinuet: quantùm verò roboris habeat ratio quam repetit ex verbis Christi, *Quodcunque solveris &c.* patet ex dictis hic Conclusione prima.

Idem probat Morinus ex Petro Cantore Parisiensi, qui floruit circa an. 1200. in Academia Parisiensi. In Summa quippè de Sacramentis, & animæ consiliis, quæ asservatur manuscripta in Bibliotheca Victorina fol. 248. non aliam quàm deprecativam absolutionis formam exhibet.

Idem ex Guillelmo Parisiensi, qui vivebat circa an. 1230. cap. 19. de Sacramento Pœnitentiæ, ubi referens varium modum quo absolvunt Judices sæculares, & Ecclesiastici in foro pœnitentiæ, sic loquitur. *Non more Judicum forinsecorum pronuntiat Confessor, Absolvimus te, non condemnamus; sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem & remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat.* Edit. Paris. 1674. To. 1. p. 499 col. 2. C.

Idem denique ostendit ex Francisco Mayronis, qui obiit an. 1325. in 4. dist. 14. q. 1. quam auctoritatem antea Conclusione secunda laudavimus.

Dices: Formula sacramentalis absolutionis nunquam rata esse potuit iis expressa verbis quæ non pertinent ad ejus essentiam: atqui, definiente Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 3. preces quæ formæ indicativæ adjunguntur non pertinent ad essentiam absolutionis; ergo &c.

Resp. dist. maj. quæ non pertinent nec unquam pertinuerunt ad essentiam absolutionis, concedo: & pertinuerunt, quamdiu scilicet Ecclesia, pro libertate sibi à Christo data, verbis deprecatoriis prolatam absolutionem probavit & ratam habuit, nego. Dist. pariter min. Preces non pertinent ad essentiam absolutionis, ex quo declaravit Ecclesia eas non amplius pertinere, concedo: nusquam pertinuerunt, nego. Solutio patet ex Conclusione prima, & illustrari ac confirmari facilè potest exemplo Matrimonii, quod ante prohibitionem Ecclesiæ latam in Concilio Tridentino ratum erat clam contractum, absque præsentia Parochi & testium: at post illam prohibitionem nullum amplius est. Quid ita? quia nempè, ut diximus, hoc juris habet Ecclesia, ut in administratione Sacramentorum, eorum præsertim quorum materia in re morali consistit, possit certas leges ac conditiones apponere, quarum omissio reddat inhabiles vel ministros ad conferenda, vel Fideles ad percipienda Sacramenta.

Secunda Conclusionis pars, nempè formæ deprecatoriæ accessisse indicativam, hoc est, utramque simul conjunctam fuisse sæculo duodecimo, probat idem Morinus ex Alexandro Alensi 4. parte Summæ membro 2. art. 2. ubi utriusque formæ mentionem facit; ex S. Bonaventura in 4. dist. 18. parte 1. art. 2. q. 1. ex Auctore quem refellit S. Th. Opusculo 23. jam citato: capite enim 3. refert *quòd niteretur ille quamdam fingere absolutionem quæ est oratio absolutionem Dei impetrans, cui addebat indicativa ista verba*, T. 10 p. 452. col. 1. B.

Ego

Ego te absolvo. Hujus quidem additionis causam ac rationem hanc fuisse conjicit Morinus L. 8. c. 9. n. 27. *quòd multis durum visum fuerit, ab extremo in extremum de repentè ferri; ideò mediam hanc sententiam amplexi sunt, cujusdam scilicet formæ quæ deprecatoria simul erat & indicativa.*

Pagina 538.D.

Tertia deniquepars certa est ex S. Thoma, qui obiit an. 1274. Opusculo 23. al. 22. ubi testatur formam indicativam in usu esse apud omnes: atque ab eo tempore constanter & quidem sola deprehenditur in omnibus ferè Libris Ritualibus ac Theologis qui de hoc argumento scripserunt.

## QUARTA CONCLUSIO.

Valuit & etiamnum valet apud Græcos forma sacramentalis absolutionis verbis deprecativis expressa.

Probat Morinus L. 8. c. 12. pluribus momentis. Hæc pauca nobis hìc sufficient.

I. Quotquot extant Græcorum Libri Rituales veteres & recentiores, non aliam continent quàm deprecatoriam formam absolutionis sacramentalis, quæ incipit ab his verbis apud Goarium, *Domine Jesu Christe fili Dei vivi, relaxa, remitte, condona peccata &c.* Solis oculis opus est ut hujusce argumenti deprehendatur veritas. Lege Euchologium Græcorum; lege Libros Pœnitentiales quos ad calcem Operis de Pœnitentia describit Morinus; nec aliam quàm deprecatoriam formulam absolutionis deprehendes. Goarius quidem duas refert formas indicativas; sed eas à Latinis ad Græcos postremis temporibus missas esse non dissimulat.

P. 675. P. 678.

II. Quotquot extant alicujus nominis Scriptores Græci, Joannes Jejunator dictus, S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, de forma indicativa ne verbum quidem, de deprecatoria sæpiùs sermonem faciunt.

III. Hanc esse hodiernam Græcorum praxim apertè significat Clemens VIII. in instructione super Ritibus Græcorum, quam edidit an. 1595. *In casu necessitatis*, inquit, *Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta; & posteà, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantùm consueverunt.* Igitur, teste Clemente VIII. Græci formam tantùm deprecativam usurpare consueverunt. Jubet quidem S. Pontifex, ut cùm Græci in casu necessitatis Latinos absolvunt, utantur forma Latinorum, hoc est, indicativa; at non idem injungit cùm Græci Græcos absolvunt, quo satis innuit se pro nulla non habere ejusmodi formam deprecatoriam qua Græci in Græcis absolvendis utuntur.

Bullar. Rom. T. 3. p. 35. col. 1.

IV. Denique, vel ipse Arcudius L. 4. de Pœnit. cap. 3. ingenuè fatetur non aliam in omnibus Græcorum Euchologiis formam absolutionis deprehendi, quàm deprecatoriam; & postquam omnem movit lapidem, ut Græcam cum Latina Ecclesia hac in parte conciliet, fingit quamdam indicativam formam his verbis expressam, *Habeo te absolutum*, apud Græcos usu antiquo obtinere. Verùm ibidem fatetur, formam illam non extare in Euchologio, quamvis frequens sit & in ore multorum Confessariorum; quod ut probet, nonnulla refert testimonia: verùm cùm recentiorum sint, nec ulla publica & au-

P. 350. & seq.

& authentica auctoritate comprobentur, parvi ponderis sunt apud Eruditos.

Formam verò illam deprecatoriam apud Græcos esse validam constat, tùm quia quoties cum illis habita est controversia, aut inita pax, nusquam ipsis objecerunt Latini, quòd legitimam non haberent absolutionis formam; tùm quia Clemens VIII. in citata instructione, non declaravit irritam illam formam deprecatoriam qua Græci erga suos utuntur.

## ARTICULUS II.

*Utrum sacramentalis absolutio quorumdam criminum reis denegata olim fuerit, aut sit deneganda.*

QUæstio movetur tùm de sanis ac benè valentibus, qui pœnitentiam aut postulaverant, aut peregerant; tùm de infirmis qui in infirmitate dumtaxat ad remedium pœnitentiæ confugiunt, de quibus separatim dicendum.

*Utrum sanis aliquorum gravissimorum criminum reis, pœnitentiam agentibus aut ea defunctis, sacramentalis absolutio denegata olim fuerit.*

Denegatam ab Ecclesia Romana idololatris & homicidis affirmat Tertullianus, cui nonnulli suffragantur, imprimis Petavius in notis ad S. Epiphanium, hæresi 59. ubi ait, ***tam compertæ & exploratæ doctrinæ nullos alios repugnare, quàm qui antiquitatis Ecclesiasticæ minùs periti veteris Ecclesiæ formam hodiernis ritibus institutisque metiuntur.*** Idem sentit P. Martene L. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 6. art. 2. Denegatam pariter adulteris ab aliquot Africæ Episcopis testatur S. Cyprianus Epistola 52. Denegatam ab Ecclesia Hispanica certis criminibus probant Morinus L. 9. c. 19. Albaspinæus in notis ad Concilium Eliberitanum, & alii non pauci. Denegatam in Galliis ultimo supplicio afficiendis, usque ad annum 1396. quo Carolus VI. Francorum Rex consuetudinem hanc speciali Edicto abrogavit, probat nonnullis exemplis mox citatus P. Martene, eodem Libro & capite n. 6. De his hæc est nostra sententia. P. 231.

## CONCLUSIO.

Sanis gravissimorum criminum reis, pœnitentiam agentibus aut ea perfunctis, nusquam denegata est sacramentalis absolutio ab Ecclesiis Orientalibus, neque à Romana, Carthaginensi, Hispanica & aliis illustrioribus.

Observa Conclusionem loqui de iis qui pœnitentiam agunt, aut egerunt; extitisse enim aliquos Africæ Episcopos qui non tantùm pacem seu absolutionem, verùm etiam pœnitentiam ipsam denegarunt adulteris, testatur S. Cyprianus Epistola 52. ad Antonianum, ***Apud Antecessores nostros***, inquit, ***quidam de Episcopis istic in Provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt; & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt.*** Singulare profectò fuit istud severitatis exemplum in his Africæ Episcopis, cujus vestigium vix alibi reperias; testatur enim Innocentius I. in Epistola ad Exuperium, priori consuetudine, quamquam duriori, concessam nihilominus pœniten- Pa. 72.

tiam

tiam iis, qui eam postularent: at in hoc saltem cohærebat secum hæc austera Africanorum disciplina, quòd simul & pœnitentiam & ejus fructum ejusmodi adulteris denegaret, eosque uni divino Judicio relinqueret. Fuisse verò Ecclesiam aliquam quæ pęnitentiam concederet, & pęnitentiam agentibus, aut ea perfunctis pacem & absolutionem recusaret, adduci non possumus ut existimemus, adeo contraria videtur disciplina hæc communi & ab omnibus Ecclesiis comprobato huic axiomati adversùs Montanistas & Novatianos, nempè, *Frustrà est pœnitentia quæ caret venia*; ut loquitur sanctus Cypria-
Pa. 74. nus Epistola eadem 52. *Scimus juxta Scripturarum divinarum fidem, veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari*. Probandum igitur nobis incumbit, nullam Ecclesiam, (his paucis exceptis Africæ Episcopis) aut locum pœnitentiæ, aut pœnitentibus, tametsi gravissimorum peccatorum reis, veniam & absolutionem denegasse; posterius enim ex priori rectè sequitur & infertur, nempè non esse denegatam veniam, quibus non est denegata pœnitentia: porrò nullis denegatam esse contendimus. Itaque

Probatur 1. de Ecclesiis Orientalibus, tùm negativo, tùm positivo argumento. Negativo quidem, quia nullum profertur exemplum, nullum testimonium, quo pateat aut pęnitentia functis graviorum criminum reis veniam aliquando fuisse denegatam. Positiva momenta colligit Morinus L. 4. c. 9. n. 6. & L. 9. c. 21. integro. Tùm ex historia juvenis illius quem conversum Ecclesiæ restituit S. Joannes; apud Eusebium L. 3. Hist. c. 23. Tùm ex cap. 12. Constitutionum S. Clementis; tùm ex S. Irenæo L. 1. c. 9. ubi mulieres à Marco seductæ in Ecclesiam acta pœnitentia recipiuntur: tùm ex Clemente Alexandrino L. 2. Stromatum, & Libro 2. Pastoris, mandato quarto, quæ testimonia maxima ex parte jam laudavimus suprà ad Qu. 9. Art. 1. ubi ostendimus mitiorem fuisse pęnitentiæ disciplinam à nascente Ecclesia ad hæresim Montani.

Probatur 2. de Ecclesia Romana.

Ob. an. 219. Ex Zephirino S. Pontifice, cujus hoc solemne Decretum refert Tertullianus L. de pudicitia c. 1. *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*; quo sanè Decreto non novam invexit disciplinam, sed veterem confirmavit Ecclesiæ Romanæ doctrinam adversùs crudele Montanistarum dogma. Pagina 555. B.

Idem S. Pontifex, referente Eusebio L. 5. c. 27. Natalium Episcopum crimen hæreseos cum lachrymis ejurantem, & ad pedes suos provolutum, ad pacem & communionem Ecclesiæ admisit.

Probatur etiam ex Clero Romano in Epistola ad S. Cyprianum, inter Cyprianicas 31. ubi in causa lapsorum qui propter libellos Martyrum reconciliari statim postulabant, sic decernit: *Quorum vitæ suæ finem urgens exitus*
Pa. 46. *dilationem non potest ferre, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lachrymis, si gemitibus, si fletibus, dolentis ac verè pœnitentis animi signa prodiderint, cùm spes vivendi secundùm hominem nulla substiterit, ita demum cautè & sollicitè subveniri.*

Idem colligere est ex SS. Pontificibus Innocentio I. & Cœlestino, quorum verba paulò post referemus.

Probatur 3. de Ecclesia Carthaginensi, ex S. Cypriano multis in locis, præ-
Pa. 72. sertim verò Epistola 52. quæ est ad Antonianum, ubi sic ait: *Miror quosdam sic*
Pa. 74. *obstinatos, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam,* (Novatianos intelligit)

*aut*

*aut pœnitentibus existiment veniam denegandam.... Neminem putamus à fructu satisfactionis & spe pacis arcendum; cùm sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore & hortatore ipso Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari.*

Ibidem occasione molestissimi negotii quod habuit cum lapsis, qui in gratiam Martyrum, quorum habebant commendatitias Litteras, statim Ecclesiæ restitui postulabant, multa dicit, quæ praxim & disciplinam Ecclesiæ Africanæ, quam hic tuemur, demonstrant. Namque 1. refert & approbat Decretum Cleri Romani, de quo mox diximus. 2. refert Decretum peremptorium Concilii totius Africæ, quo duo extrema damnantur; ex una parte crudelitas Novatianorum, qui pacem etiam pœnitentia functis denegabant; & ex altera, temeritas quorumdam Sacerdotum, qui lapsis nullam agentibus pœnitentiam immaturo ac præpostero tempore communionem laxabant. 3. circa medium ejusdem Epistolæ approbat factum Cornelii S. Pontificis, qui Trophimum cum multis aliis ad Ecclesiam redeuntem suscepit. 4. monet Antonianum, ut faciles aures non accommodet iis quæ vel de seipso, vel de Cornelio circumferuntur, v.g. quòd pacem petentibus deneget. *Nam*, inquit, *si qui infirmitate occupantur, illis, sicut placuit, in periculo subvenitur*. Pa. 69. 5. refert decretum quo statutum *fuit ut examinatis singulorum causis, libellatici interim admitterentur, sacrificatis verò in exitu subveniretur*. Pa. 70. 6. denique inter rationes varias, quibus illam, quam lapsis concedebat, indulgentiam tuetur ac confirmat, exemplum profert indulgentiæ, quæ mœchis concedebatur; *Nam*, inquit, *& mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur*. Pa. 71. Nihil his testimoniis dissertius proferri potest pro usu & disciplina Ecclesiæ Africanæ.

Probatur 4. de ipsa Ecclesia Hispanica. Quamquam enim in multis Canonibus Concilii Eliberitani legamus, communionem etiam in fine denegari aliquorum criminum reis, in nullo tamen, quod apprimè observandum, reperies denegatam pœnitentiæ copiam: imò potius expressè Can. 21. cavetur, ne Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, claudatur janua pœnitentiæ. *Si quis*, inquit, *de Catholica Ecclesia ad hæresim transitum fecerit, rursusque recurrerit, placuit, huic pœnitentiam non esse denegandam, eo quòd cognoverit peccatum suum &c.* Tom. 1. Conc. p. 973. B.

Porrò jam observavimus, communi omnium Ecclesiarum sententia contra Montanistas & Novatianos receptissimum istud fuisse dogma, ut quibus non negabatur pœnitentia, pax & absolutio non negaretur, si ea, ut par est, perfuncti fuissent; ergo cùm in Concilio Eliberitano, cujus maximè severa fuit & austera disciplina, nulli quamtumvis reo gravissimorum criminum denegetur pœnitentia, nulli quoque pacem seu absolutionem à peccatis, quæ fructus est pœnitentiæ, denegatam esse meritò contendimus; adeoque per communionem illam, quam dicta Synodus frequenter denegat, cogimur aliud intelligere, quàm sacramentalem à peccatis absolutionem, sicut ex solutione Objectionum mox patebit.

### *Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. testimonium Tertulliani in Lib. de pudicitia c. 5. ubi apertè significat,

ficat, sedente S. Pontifice Zephirino, idololatris & homicidis veniam omninò fuisse denegatam; ac novo decreto mœchis & adulteris tum primùm indultam: quam discretionem carpit Tertullianus, atque mœchos perinde ac idololatras & homicidas ab omni veniæ spe arcendos esse contendit. *Quid agis*, inquit, *mollissima & humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis, Beati enim pacifici; aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem & homicidam semel damnas, mœchum verò de medio excipis? idololatræ successorem, homicidæ antecessorem, utriusque collegam?* Et cap. ultimo. *Quæcunque*, inquit, *auctoritas, quæcunque ratio mœcho & fornicatori pacem Ecclesiasticam reddit, eadem debebit & homicidæ & idololatræ pœnitentibus subvenire.*

Pagina 558. A.

Pagina 575. C.

Ex quo Tertulliani testimonio duo hæc videntur sequi. Primum, ante Zephirinum mœchis & adulteris, perinde ac idololatris & homicidis, veniam fuisse denegatam: alterum, sedente Zephirino mœchis & adulteris jure novo datam esse veniam, retenta erga idololatras & homicidas priori severitate.

Resp. duo hæc falsa esse, quæ à Tertulliano, postquam ad Montanistas defecit, Ecclesiæ Romanæ falsò, pro more Hæreticorum imputantur. Nec alium hìc testem dabimus, quàm Tertullianum ipsum cùm adhuc Orthodoxus esset, ac doctrinam Catholicæ Ecclesiæ candidè repræsentaret. Suspicatur quidem Morinus L.9. c.20. n. 12. Zephirinum de severitate Canonum erga mœchos aliquid, erga verò idololatras & homicidas nihil planè remisisse, quod Tertulliano suæ texendæ calumniæ forsan locum dare potuit. Verùm neque id ex Decreto Summi illius Pontificis inferre necesse est: nihil enim ille innovavit, sed priorem Ecclesiæ suæ disciplinam ac doctrinam confirmavit, hoc suo solemni Decreto, *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.*

Si verò quæras causam cur de mœchis & fornicatoribus loquatur S. Pontifex, non verò de idololatris & homicidis: respondebo hanc esse, quòd nempè de illis haud dubiè consultus tantùm fuerat, non de aliis; occasione scilicet illorum Episcoporum Africæ, qui, referente S. Cypriano Epistola citata 52, *mœchis in totum pœnitentiæ locum clauserunt*, quos suo Decreto indirectè vellicat S. Pontifex, declarans non quidem novam, sed veterem Ecclesiæ suæ praxim & disciplinam.

Falsò igitur Tertullianus in citato Libro de pudicitia supponit ab Ecclesia Romana, ante Zephirinum, mœchis perinde ac idololatris & homicidis denegatam fuisse pacem; subinde verò, relaxata disciplina, eam datam mœchis. Namque ipsemet Tertullianus in Libro de Pœnitentia Catholicæ Ecclesiæ adhuc addictus, ejusque fidem ac doctrinam repræsentans affirmat cap.4. *omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, Deum veniam per pœnitentiam spopondisse.* Et cap.8. idololatras & mœchos ad pœnitentiam agendam ac veniam sperandam invitat. *Offendisti*, inquit, *sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias... Id si dubitas, evolve quæ Spiritus Ecclesiis dicat &c.* Profert deinde ex Scripturis exempla idololatrarum & fornicatorum quibus pœnitentibus venia indulgetur. Quin & in ipso de pudicitia Libro cap.3. sui quasi oblitus, referens argumentum quo Catholici probant mœchis acta pœnitentia dandam esse veniam, apertè significat, illorum mentem ac praxim fuisse, non tantùm mœchis, sed etiam idololatris & homicidis eadem conditione concedendam esse.

Pagina 122. D.

Pagina 126. C.

Argu-

Argumentum enim istud hac triplici constabat propositione. 1. *De omni crimine agenda est pęnitentia.* 2. *Omni petenti danda est post pęnitentiam venia*, aliàs frustrà esset pęnitentia. 3. *Illius veniæ concedendæ facultas est penes Ecclesiam*. Secundam verò propositionem rectè sequi ex prima in sententia Orthodoxorum, non dissimulat Tertullianus, *Meritò*, inquit, *ita opponunt, quoniam hujus quoque pęnitentiæ fructum, id est veniam, in sua potestate usurpaverunt*. Pagina 556.D. Pagina 557.A.

Igitur, vel ipso fatente Tertulliano, Ecclesia, quæ sibi arrogat potestatem dandi veniam peccatorum pęnitentia functis, meritò & pęnitentiam imponit, & post pęnitentiam omnibus delictis veniam indulget. Atqui ea semper fuit Ecclesiæ Romanæ & Catholicæ fides; ergo meritò & pęnitentiam lapsis semper imposuit, & ea perfunctis veniam & indulgentiam concessit; ergo cùm Zephirinus S. Pontifex declaravit se mœchis pęnitentia functis peccata dimittere, nihil novi edixit, sed quod ab antiquo semper fuerat in sua Ecclesia observatum, renovavit, confirmavit, & opposuit nimiùm severæ nonnullorum Episcoporum Africæ disciplinæ: deceptus ergo est Tertullianus, ac Romanæ Ecclesiæ imposuit, cùm ex illo Decreto visus est inferre discrimen quoddam à Zephirino inductum fuisse, inter idololatras, homicidas, & mœchos; ac prioribus semper ab ipso denegatam veniam, posterioribus verò subinde novo jure ac ex molliore disciplina laxatam fuisse: omnibus etenim pęnitentia functis æqualiter eam concessit. Et certè non refert Tertullianus, à Zephirino locum pęnitentiæ ereptum fuisse idololatris & homicidis: (nequidem Montanistæ hunc ipsis eripiebant, quamquam ejus fructum à solo Deo, non ab Ecclesia sperandum esse contenderent) at illud certum & inconcussum semper fuit apud omnes Catholicos, sicut jam diximus, nusquam veniam denegandam iis qui impositam pęnitentiam adimpleverant. In fumos igitur evanescit totum illud argumentum, quod Tertullianus in falsa hypothesi substruit.

His adde 1. quòd præsenserit ipsemet Tertullianus, sibi à Catholicis objiciendam fore sententiæ suæ mutationem & inconstantiam; siquidem in Libro de pudicitia contrarium dixit iis, quæ scripserat in Lib. de Pęnitentia. *Erit igitur*, inquit initio Libri de pudicitia, *hic adversus Physychicos titulus, adversùs meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi notam levitatis objectent*. 2. in citato de pudicitia Libro nonnulla imponit Orthodoxis, quæ omnium consensu falsa sunt: quale istud est imprimis quod cap. 22. supponit, nempè Martyres libellis suis seu Litteris commendatitiis absolutè ac decretoriè pacem & indulgentiam concessisse lapsis. Pagina 555.B.

Non ita est profectò: exorabant illi quidem, & apud Ecclesiam intercedebant, ut lapsis relaxaretur pœnitentia, & communio redderetur; at absoluta & decretoria auctoritate illam non concedebant. Frustrà ergo sunt ista Tertulliani verba, imò & orthodoxam doctrinam circa indulgentias impetunt, *Sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei filius?* Falsum ibidem supponit, & errat Tertullianus; falsò supponit Martyres sua morte veluti pretium redemptionis offerre pro aliis: hoc enim soli Christo proprium est; neque unquam id sibi arrogarunt Martyres. Errat verò, cùm existimat Ecclesiam in gratiam Pagina 575.B.

Marty-

Martyrum non posse lapsis pœnitentiam relaxare, & cum iis agere indulgentiùs. Cleri Romani testimonium, quod hîc proferri solet, simul mox solvetur cum iis quæ ex S. Cypriano proponemus.

Objicies 2. S. Cyprianus multis in locis testatur in Ecclesia Africana lapsis etiam pœnitentibus pacem fuisse denegatam, quam severitatem ex parte mitigat erga illos qui libellos à Martyribus obtinuerant, erga verò cæteros, integram conservat: Epistola enim 14. in editione Anglicana 19. in causa illorum lapsorum sic provisorio decreto statuit, *ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis à vobis in pœnitentiam imposita, cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur: cæteri verò qui nullo libello à Martyribus accepto invidiam faciunt, quoniam non paucorum, nec Ecclesiæ, nec unius Provinciæ, sed totius Ecclesiæ hæc causa est, expectent ante de Domini protectione Ecclesiæ ipsius publicam pacem.* Idem repetit Epistola 52. ad Antonianum: idem quoque statuerat Clerus Romanus Epistola ad S. Cyprianum inter Cyprianicas 31. Ex his verò sic arguitur: Qui provisorio decreto statuit lapsis in infirmitate positis, propter libellos seu commendationem Martyrum subveniendum esse ac communionem concedendam, cæteros verò remittendos esse donec Ecclesiæ pax reddita fuerit, is clarè innuit ejusmodi lapsis pacem concessam antea non fuisse, nec à se adhuc concedendam, nisi muniti forent Martyrum libellis: si enim anteà communi ac recepta disciplina lapsis ejusmodi pœnitentibus pax indulta fuisset, neque novo illo decreto provisorio fuisset opus, neque ab eo excipiendi illi qui libellos Martyrum non accepissent, sed antiquæ dumtaxat ac receptæ disciplinæ standum fuisset.

Resp. nego ant. Ad probationem distinguo sequelam majoris. Innuit ejusmodi lapsis pacem anteà concessam non fuisse, nisi plenam egissent pœnitentiam, concedo: si plenam egissent, nego. Itaque eò loci S. Cyprianus de duobus lapsorum ordinibus statuit, 1. de iis qui libellos à Martyribus obtinuerant, quibus sibi statim à lapsu pacem esse restituendam, absque præmissa ulla canonica pœnitentia, seditiosè contendebant. 2. de illis qui nullos habebant hujusmodi libellos.

Circa priores provisorio decreto statuit, ut si premi infirmitate cœpissent & urgeret eorum exitus, ipsis pax & communio concederetur: si verò nullum urgeret periculum, plenam agerent pœnitentiam. Provisorium autem istud decretum nihil novi inducebat, sed receptum usum ac disciplinam antiquam, occasione illorum lapsorum, confirmavit: pax nempè in fine semper data est eam postulantibus, saltem si nomine pacis sacramentalem intelligas absolutionem. De Eucharistica etenim communione non eadem fuit ratio; iis quippè qui in infirmitate dumtaxat positi pœnitentiam & reconciliationem postulabant, concessa quidem fuit peccatorum venia, denegata verò Eucharistica communio & perfectissima reconciliatio cum Ecclesia, ut ex dicendis modò patebit. In gratiam ergo Martyrum qui pro lapsis exorabant, in fine ante actam plenam pœnitentiam concedebatur & absolutio sacramentalis à peccatis, & Eucharistica communio; cæteris verò sacramentalis dumtaxat absolutio à peccatis: erga posteriores verò lapsos, qui nullos habebant Martyrum libellos, hoc unum statuit S. Cyprianus, ut expectent publicam

cam Ecclesiæ pacem, interim verò communi ac receptæ disciplinæ subjaceant; id est, agant penitentiam. Quid verò erga eosdem foret observandum, si venissent in periculum mortis, ibi non declarat S. Doctor, quia necesse non videbatur, cùm hæc, ut diximus, communis foret omnium Fidelium conditio, ut in fine reciperent pœnitentiam & pacem, seu absolutionem à peccatis: cum isto tantùm discrimine quod mox diximus.

Non aliam esse S.Cypriani mentem intelliget quisquis oculos converterit ad statum controversiæ quæ inter ipsum Clerum Romanum & lapsos fuit. Scilicet, sæviente Decii persecutione, in qua Fabianus R.P. martyr occubuerat, antequam electus fuisset Cornelius ejus successor, lapsi Martyrum carceres circuibant, ut importunis suis precibus ab illis libellos seu commendatitias Epistolas extorquerent, quibus muniti se ab omni agenda penitentia liberos & immunes esse debere, non sine tumultu ac confusione postulabant. Illorum libellorum hæc erat formula, quam refert S. Cyprianus Epistola 16. *Universi Confessores Cypriano Papæ, salutem. Scias nos universis, de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, pacem dedisse; & hanc formam per te & aliis Episcopis innotescere volumus.* Adversùs hanc Martyrum præposteram indulgentiam totis viribus insurrexit ipse Martyr Cyprianus, datis ad illos litteris, quibus eos admonet ut cautiores sint ac prudentiores in concedendis ejusmodi libellis, quibus totus ecclesiasticæ disciplinæ nervus dissolvitur. Lege Epistolam decimam quæ est ad Martyres. Hunc autem fuisse controversiæ statum apertè declarat S.Cyprianus Epistola 14. quæ est ad Clerum Romanum. *Cùm comperissem*, inquit, *eos, qui sacrilegis contractibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine atque examine singulorum, darentur quotidiè libellorum millia contra Evangelii legem, litteras feci quibus Martyres & Confessores consilio meo quantùm possem ad dominica præcepta revocarem.* Graviori stylo audaciam lapsorum reprimit S. Doctor passim in Epistolis, & Tractatu integro de lapsis. Pa. 29. Pa. 27.

Interim hæc simul cùm Clero R. statuit ac firmavit.

I. Fiduciario seu provisorio Decreto voluit lapsis infirmis & jam morituris pacem & communionem concedi. Extat Decretum illud tùm in Epistola 14. S.Cypriani, tùm in Epistola Cleri R. ad S.Cyprianum.

II. Libellaticos admitti, non verò sacrificatos. Libellatici illi erant qui, sæviente persecutione, offerebant Magistratibus libellum supplicem, quo numerata pecunia postulabant se liberos fieri ab obligatione & lege thus idolis adolendi. Ejusmodi libellaticos ad pacem faciliùs admittendos esse quàm sacrificatos, hoc est eos qui sacrificaverant idolis, jubet S. Doctor Epistola 52. quia longè gravius est istorum, quàm aliorum crimen.

III. Peremptorio Decreto statuit ut lapsi condignam agerent pœnitentiam. *Persecutione sopita*, inquit Epistola 52. *cùm data esset facultas in unum conveniendi....convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur*, (sicut faciebant Novatiani) *nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent*, Pa. 67.

*sed traheretur diu penitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ, & voluntates, & necessitates singulorum.*

Verùm, inquies, ad quid proderant ejusmodi lapsis libelli Martyrum, si à canonica pœnitentia immunes non erant?

Resp. ad hoc profuisse, ut mitiùs & indulgentiùs cum illis ageretur, remissa paululum in eorum gratiam disciplinæ prioris severitate.

At, inquies iterum, Clerus Romanus in Epistola ad S. Cyprianum inter probationes Conclusionis citata, statuit ut lapsis in infirmitate positis pax concederetur, acta priùs pœnitentia: ad quid verò Decretum hujusmodi, si consuetudo semper fuisset dandi pacem lapsis pœnitentiam agentibus? Innuit ergo suo Decreto Clerus Romanus, priorem disciplinam contrariam fuisse.

Resp. Clerum Romanum nihil novi statuisse, sed antiquam dumtaxat praxim & disciplinam renovasse & confirmasse erga lapsos, ut illis nimirùm pœnitentia defunctis pax daretur: quæ renovatio & confirmatio antiquæ doctrinæ ac disciplinæ necessaria tunc fuit, ad reprimendam Novatianam crudelitatem.

Objicies 3. Patet ex multis Canonibus vetustissimi Concilii Eliberitani, Hispanicam Ecclesiam nonnullis sceleribus ex rigore disciplinæ veniam & absolutionem etiam in fine denegasse. Can. 1. *Placuit*, ait Synodus, *ut quicunque post fidem Baptismi salutaris adulta ætate ad templum idoli idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen capitale, nec in fine eum debere ad communionem suscipere.* Eadem severitate puniuntur certa quædam peccata Canonibus 2. 3. 6. 7. 73. 75.

Tom. 1. Conc. p. 969.

Resp. nego ant. Ex dictis enim inter probationes Conclusionis nostræ, Patres Eliberitani nulli copiam pœnitentiæ denegarunt: at constans illud fuit Catholicorum omnium dogma, pacem & veniam esse concedendam iis qui penitentiam impositam peregissent; aliàs frustrà fuisset, ut ipsi disputantes adversùs Montanistas & Novatianos sæpius urgebant, penitentia. Verisimile igitur non videtur, Patres Eliberitanos sacramentalem à peccatis absolutionem lapsis penitentia defunctis denegasse: necesse igitur est ut per communionem illam, quam aliquando etiam in fine vitæ nonnullis peccatoribus denegant, quidpiam aliud à sacramentali absolutione distinctum intelligamus.

Itaque meritò per illam communionem intelligimus, vel Eucharistiæ participationem, vel solemnem, canonicam, ac ceremonialem cum Ecclesia reconciliationem: utroque enim modo communionem apud Veteres usurpari res videtur certa & explorata.

I. Communionis nomine participationem Eucharistiæ, à qua nonnulli peccatores excludebantur, intellexisse Patres Eliberitanos suaderi potest, tùm ex Can. 3. dicti Concilii, ubi dicitur: *Si post pœnitentiam mœchati fuerint ulteriùs eis non esse dandam communionem, ne lusisse de Dominica communione videantur.* Dominica verò communio videtur esse participatio Eucharistiæ. Tùm ex Can. 47. ubi adversùs adulterum relapsum dicitur: *Placuit ulteriùs eum non edere de communione pacis*, vel ut legunt alii, *edere de communione panis*, quæ lectio adhuc clariùs designat communionem Eucharisticam. Tùm ex Can. 37. ubi energumenis prohibetur, *Ne lucernas publicè accendant: si facere contra interdictum voluerint, abstineant à communione:* qui certè modus loquendi imperativus, *abstineant à communione*, non sacramentalem à peccatis absolutionem indigitat, sed communionem Eucharisticam,

Ibid. p. 975. A. Ibid. p. 975. E. Ibid. p. 974. E.

cam, cùm crimen illud tantum non sit, ut privatione sacramentalis absolutionis debeat puniri. Tùm denique ex Can. 32. ubi Diaconis potestatem facit in casu necessitatis *conferendi lapsis communionem*: at ista sacramentalis non fuit à peccatis absolutio, sed vel Eucharistia, vel solemnis ac cæremonialis reconciliatio cum Ecclesiâ. Communionis quoque nomine intellexisse Veteres Eucharistiæ participationem, manifestum est ex S. Cypriano Epistola 54. *Communicatio à nobis danda est*, inquit, *ut quos excitamus ad prælium, non inermes ac nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus*. Denique subsequentia Concilia iisdem planè verbis nonnullos ex citatis Canones Eliberitanos renovant & adoptant, ea profectò ætate, qua certum est negatam non fuisse sacramentalem à peccatis absolutionem. Per communionem igitur intelligunt illi aliquid distinctum ab illa absolutione. Ita Concilium Moguntiacense sub Stephano V. S.P. an. 888. capitulo 26. & Concilium Coloniense an. 887. Can. 6.

Pag. 76.

Tom. 9. Conc. p. 411. D. & 398. E.

II. Nomine communionis intellexisse interdum Veteres solemnem, canonicam ac ceremonialem reconciliationem cum Ecclesia per impositionem manus, constat ex Can. 3. Concilii I. Arausicani cujus hæc verba sunt. *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundùm definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt*. Duplex eo in Canone distincta communio continetur: una quæ viaticum appellatur, sacramentalis nempè absolutio à peccatis, sine qua nullus ex hac vita discedere permittebatur; altera verò quæ dicitur *reconciliatoria manus impositio*, seu solemnis ac canonica & ceremonialis reconciliatio cum Ecclesia, qua nonnulli peccatores, ad exemplum & terrorem cæterorum aliquando privabantur. Idem patet ex Canone 78. Concilii IV. Carthaginensis. *Pœnitentes*, inquit, *qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint*. Alterutra, vel utraque, si volueris, communionis specie nonnullos peccatores privavit Synodus Eliberitana, citatis Canonibus, non verò sacramentali à peccatis absolutione: eo ferè modo quo apud nos ultimo supplicio afficiendis denegatur Eucharistia, non verò sacramentalis absolutio à peccatis.

Tom. 3. Conc. p. 1448. D.

Tom. 2. Conc. p. 1206. B.

Instabis 1. Eadem communio nonnullis negatur à Patribus Eliberitanis, quæ conceditur aliis post pœnitentiam: atqui communio quæ conceditur post pœnitentiam, est sacramentalis absolutio à peccatis; ergo &c.

Resp. eam quidem denegari communionem nonnullis criminum reis, quæ conceditur aliis post actam pœnitentiam, sed non omnem: denegatur etenim Eucharistica communio & canonica reconciliatio, quę aliis conceditur, sed non denegatur sacramentalis absolutio; & quamquam Synodus apertè inter illa non distinguat, distinguendum tamen esse suadent quæ antea diximus.

Instabis 2. Ætate Concilii Eliberitani sacramentalis absolutio tempore non separabatur à communione Eucharistica, & reconciliatoria manus impositione; ergo una denegata, & altera quoque denegata censeri debet.

Resp. distinguo ant. non separabatur ordinariè, cùm nempè pœnitentes post expletum pœnitentiæ tempus absolvebantur, & communioni restituebantur, concedo: in aliquibus casibus, in quibus major videbatur exercenda severitas; v.g. cùm pœnitentes in discrimen vitæ adducebantur ante expletam.

pletam pœnitentiam, nego. Eo enim in casu sacramentaliter absolvebantur; quod morientium consolationi sufficiebat, ait Canon Arausicanus laudatus; sed vel Eucharistia, vel reconciliatoria & solemni impositione manus privabantur.

Instabis 3. Quibus pax & communio denegata est à Concilio Eliberitano, nulla legitur imposita pœnitentia: at verisimile non est concessam sacramentalem absolutionem iis quibus nequidem copia pœnitentiæ data legitur.

Resp. pœnitentiam nulli quantumvis graviorum criminum reo denegatam à Patribus Eliberitanis, nisi velis eos ipsis Montanistis crudeliores & severiores fuisse, quod absurdum est fingere. Illi etenim Hæretici neminem ab agenda pœnitentia excludebant, quamquam veniam à solo Deo haberi posse contenderent: etsi igitur expresse non legamus in citatis anteà Canonibus Eliberitanis, concessam esse pœnitentiam iis quibus communio in fine denegatur, concessam tamen fuisse certissimum cuique esse debet vel ex Canone 22. citato inter probationes Conclusionis.

Instabis 4. Si usu & praxi communi cuilibet petenti pœnitentiam concessissent Patres Eliberitani, quare peculiari illo Canone 22. statuunt, ne denegetur Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus? Exceptio quippè illa videtur contrarium in aliis gravioribus peccatis usum indigitare; &, ut vulgò dicitur, exceptio firmat regulam.

Resp. id peculiari Canone cautum fuisse adversùs severam aliquot Africæ Episcoporum disciplinam, de qua superiùs initio hujus Conclusionis diximus.

Opponunt hìc nonnulli testimonium Innocentii I. verùm loquitur Summus ille Pontifex de infirmis, qui nulla acta pœnitentia, in fine vitæ reconciliari postulant, de quibus mox dicturi sumus.

*Utrum infirmis pœnitentiam & absolutionem in fine vitæ petentibus denegata aliquando fuerit, aut sit deneganda sacramentalis absolutio à peccatis.*

Duplex hìc proponitur quæstio, una facti, altera juris: nempè, an olim denegata fuerit ejusmodi infirmis absolutio peccatorum, quod ad factum pertinet; vel etiam sit deneganda, quod ad jus seu dogma spectat.

Denegatam fuisse primis sæculis ad finem usque persecutionum, & consequenter ferè ad annum usque quo celebrata est Nicæna Synodus, contendit Morinus L. 10. c. 1. 2. & 3. non esse tamen denegandam probat ibidem cap. 4. & sequentibus.

Observandum autem, inter moribundos ejusmodi alios esse qui præ morbi violentia inchoatam perficere non possunt confessionem; alios qui subitò obmutescunt, nec voce possunt confiteri, sed nutu dumtaxat vel aliquo signo suum testantur, aut saltem testati sunt desiderium; alios verò qui tanta vi morbi subitò corripiuntur, ut planè stupefacti & omni sensu destituti, nec voce nec ullo signo suum de peccatis dolorem significare possint: & inter istos, sunt nonnulli probatæ ac cognitæ pietatis; alii verò peccatores publici denuntiati & excommunicati; alii qui in ipso criminis actu omnem vocis & sensus usum amiserunt. De his omnibus quæritur, sitne ipsis concedenda sacramentalis absolutio.

PRI-

## PRIMA CONCLUSIO.

Infirmis in ultimo vitæ discrimine constitutis, ac pœnitentiam & sacramentalem à peccatis absolutionem petentibus, prioribus sæculis non denegavit Ecclesia.

Probatur 1. argumento negativo: quia nullum satis certum & exploratum hujus austeræ disciplinæ profertur ex veteri Ecclesia monumentum. Patebit hujus argumenti vis ex solutione Objectionum.

Probatur 2. ex Concilio Nicæno generali primo Can. 13. ubi generalem istam circa infirmos legem antiquam jubet observari. *De his*, inquit, *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur; ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo & maximè necessario viatico minimè privetur. Quòd si desperatus, & consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodò consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter*, seu, ut, vertunt alii, *postquam probaverit, dare debebit.* Tom. 2. Conc. p. 42. D.

Non novam hìc legem ac disciplinam inducit Canon Nicænus, sed antiquam & communem renovat ac confirmat, *Lex antiqua regularisque servabitur*, inquit &c.

At, inquit Morinus L. 10. cap. 3. Canon citatus loquitur dumtaxat de infirmis qui dum sani erant pœnitentiam inchoaverant, nec præ infirmitate potuerant perficere, quibus morientibus concessam esse more antiquo veniam peccatorum certum est; de aliis verò infirmis qui in infirmitate dumtaxat pœnitentiam & communionem postulant, Canon ille non loquitur. Probat autem Morinus, quia prioribus Canonibus Concilium manifestè agit de pœnitentibus qui nempè sani pœnitentiam susceperant; ergo & Canone citato 13. de iisdem in infirmitate positis loquitur: particula enim adversativa, τιρì, qua utitur Canon ille, satis innuit hunc ipsum Canonem ad priores referri.

Verùm infirma planè videtur Morini conjectura. Quamquam enim verum sit, Concilium prioribus Canonibus agere de pœnitentibus qui dum sani erant pœnitentiæ se subjecerant, non minùs verum ac certum nobis videtur, Canone 13. non tantùm de illis, sed & de aliis loqui pœnitentibus, qui nempè in extrema necessitate ad remedium pœnitentiæ primùm confugiunt. Postquam enim priori parte statuit de pœnitentibus primi ordinis, in altera generalem circa alios quoscunque veniam in exitu postulantes legem, & quidem antiquam, confirmat & renovat his verbis citatis, *Generaliter autem cuilibet in exitu posito & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus dare debebit.* Inutilis ergo evadit observatio Morini circa particulam adversativam τιρì. Fatemur enim Canonem illum 13. ad priores in prima sui parte referri; in secunda verò generatim de omni Christiano, qui in extremo vitæ periculo pœnitentiam & veniam peccatorum postulat, sive eam tum primùm postulet, sive antea postulasset ac pœnitentiam inchoasset, loqui Canonem citatum contendimus. To. 14. Conc p. 810. C.

Probatur 3. ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 7. ubi occasione reser-

vationis casuum sic loquitur: *Piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris absolvere possint*. Audis pronuntiantem Synodum, *in Ecclesia Dei custoditum semper fuisse, ut nulla sit reservatio in articulo mortis*, ne scilicet quis ea occasione pereat. Non excipit Synodus tria priora Ecclesiæ secula, sed indefinite pro omni tempore loquitur, *semper*.

Probatur 4. ex Innocentio I. in Epistola ad Exuperium, unde adversarii Conclusionem nostram potissimùm impugnant. Consultus ab illo Episcopo, quid de his observari oporteat qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. Respondet S.Pontifex his verbis: *De his* Tom.2. Conc.p. 1255.G *observatio prior durior, posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur*. Quid eò loci communionis nomine intelligat Innocentius, dicemus in solutione Objectionum. Interim verò testatur S.Pontifex, ejusmodi infirmis datam esse pœnitentiam; quo nomine Sacramentum nostrum haud dubiè intellexit, cujus præcipua vis in absolutione posita est. Et verò ex dictis anteà sæpius constat, pœnitentiam ad veniam & absolutionem, tanquam ad finem, semper fuisse ordinatam, cùm frustrà sit pœnitentia, quæ caret venia.

Probatur 5. ex Cœlestino S.Pontifice in 2. Epistola ad Episcopos Galliæ cap.2. ubi insurgens adversùs abusum nonnullorum qui absolutionem moribundis denegabant, ait *se tantam impietatem exhorrescere, qua morienti mors additur, ejusque anima occiditur*. Verba sequentia mox referemus: at verisimile non est impietatem hanc, ut vocat, observatam aliquando ab Ecclesia Dei fuisse.

Probatur denique ex veteri disciplina circa infirmos pœnitentes: ii nempè absolutione donabantur & Eucharistia; si tamen convaluissent, remittebantur ad pœnitentiam. Ita statuunt

Concilium Nicænum Can.13. hìc citato.

Concilium Carthaginense IV. an.398. Can.78. ubi postquam Can.76.&
Tom.2. Conc.p. 1205.E 77. statuit *morituro pœnitenti dandam esse reconciliationem, & infundendam ori ejus Eucharistiam*; addit Can.76. *Si supervixerit, subdatur statutis pœnitentiæ legibus*. Et Canone 78. *Pœnitentes*, inquit, *qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint*.

Concilium Arausicanum I. an.441. Can.3. de iisdem pœnitentibus ait: *Si* Tom.2. Conc.p. 1448.D *supervixerint, stent in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant*.

Concilium Epaonense an. 517. Can. 36. *Si cui*, inquit, *forsitan discrimen* Tom.4. Conc.p. 1580.E *mortis immineat, damnationis constituta tempora relaxentur. Quòd si ægrotum accepto viatico revalescere fortaße contingit, statuti temporis spatia observare conveniet*.

To.1.p. 949.A. Idem præcipit S.Gregorius Nyssenus Can.2. Epistolæ ad Letojum. *In hora*, inquit, *sui excessus è vita, apostata pœnitens Sacramenti communionis erit particeps. Sin autem contigerit, ut is præter spem vivat, in eodem rursus vivet judicio mysticorum Sacramentorum ad vitæ exitum usque expers*. Ex his itaque

itaque omnibus testimoniis patet perpetuam hanc fuisse Ecclesiæ mentem ac praxim, ut morituris pœnitentiam & veniam petentibus subveniretur per sacramentalem à peccatis absolutionem.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Infirmis, qui inchoatam confessionem subita vi morbi oppressi perficere non possunt, vel aliqua dumtaxat doloris signa dederunt, concedenda est absolutio sacramentalis; iis verò deneganda, qui vel sunt peccatores publici ab Ecclesia excommunicati, vel in ipso criminis actu vocis & sensuum usum amittunt, nec ullo signo animi dolorem possunt testari; iis verò concedenda, qui inopinato casu oppressi, & omni vocis & sensuum usu privati sunt, si aliunde viri Catholici ac probatæ vitæ habeantur.

Probatur prima pars, testimoniis in probationem Conclusionis primæ jam relatis, quibus adhuc major lux & confirmatio ex mox dicendis accedet.

Probatur secunda pars, nempè iis concedendam esse sacramentalem absolutionem, qui aut voce aut aliquo alio dato signo eam exoptare cognoscuntur. Ita Secũda pars Cõclusionis.

Concilium Carthaginense III. an. 397. c. 34. *Ægrotantes*, inquit, *si per se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium hi qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptisentur.* Tom. 2.

Concilium Carthaginense IV. an. 398. c. 76. *Is*, inquit, *qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Conc. p. 1172. A Ibid. p. 1205. E

Concilium Arausicanum I. an. 441. Can. 12. *Subitò obmutescens*, inquit, *prout status ejus est, baptisari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Tom. 3. Conc. p. 1449. B

Idem colligere est ex Can. 36. Concilii Epaonensis an. 517. Tom. 4.

Idem ex Concilio Toletano XII. anno 681. cap. 2. cujus hæc verba sunt: *Multos sæpè conspeximus, & in salute positos, ultimum desiderantes pœnitentiæ fructum, & rursus nimietate ægritudinis, ita loquendi & sentiendi naturale perdidisse officium, ut nulla illis cura salutis suæ videretur inesse, nullo etiam pristinæ devotionis noscerentur desiderio anhelare: quorum tamen casibus fraternitas condolens, ita talium necessitates in fide suscepit sua, ut ultimum illis tribuatur viaticum; scilicet ne sine fructu pœnitentiæ videantur transire è seculo.* Conc. p. 1180. E Tom. 6. Conc. p. 1226. B

Idem statuerunt SS. Pontifices, quorum tres solùm hic appellabimus, nempè Innocentium I. Cœlestinum & S. Leonem.

Innocentius I. Conclusione prima jam citatus, Epistola 3. quæ est ad Exuperium Tolosanum Episcopum, ab eo rogatus quid observari debeat de illis qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo vitæ fine pœnitentiam simul & reconciliationem postulant, sic respondet: *De his observatio prior, durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ persecutiones essent,* Tom. 2. Conc. p. 125[illegible]

*ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur; & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici negantis veniam asperitatem & duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro à perpetuo exitio vindicentur.* Hæc Innocentius I. Qualis verò fuerit illa communio quam ait olim denegatam, & quam ipse jubet ne amplius denegetur, dicemus cùm solvemus Objectionem quæ ex hoc ipso Innocentii loco desumitur.

Ob. an. 432. Tom 2. Conc. p. 1619. D Cœlestinus in Epistola 2. quæ est ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis, insurgit adversùs eos qui morientibus ac pœnitentiam postulantibus denegabant absolutionem. *Agnovimus*, inquit, *pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorem hominem, pondere, quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud est, quàm morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? &c.* Tum nonnullis adductis Scripturæ testimoniis quibus declarat Ibid. E. Deus se nolle peccatoris mortem &c. sic pergit & concludit S. P. *Desperat de misericordia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit..... Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potius est æstimanda, quàm tempore.... cùm ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti.*

To. 1. p. 605. S. Leo Epistola 83. aliàs 91. *His*, inquit, *qui in tempore infirmitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio.* Et paulò infrà, postquam adhortatus est peccatores ut conversionem suam non differant ad ultimam usque vitæ periodum, sic pergit: *Verùm, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut & actio illis pœnitentiæ, & communionis gratia, si eam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, non negetur. At si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulò antè poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.*

Ibid. p. 606.

Idem planè statuit Paulus V. in suo Rituali. *Si inter confitendum*, inquit, *vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcunque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenditur, absolvendus est.*

Tertia pars Coclusionis. Tertia pars Conclusionis probatur. Quia publici peccatores ab Ecclesia ejecti & excommunicati Sacramentorum participes fieri non possunt, quamdiu

diu non præsumitur mutata eorum voluntas; atque peccatorum, de quibus nostra Conclusio, non præsumitur mutata voluntas. Idem planè de iis judicandum, qui in ipso criminis actu v. g. duelli, adulterii &c. omni interclufo vocis & sensuum usu nullo prorsus signo suum de peccatis dolorem declarare possunt. Quapropter sacra Facultas Parisiensis istam Amadæi Guimenii doctrinam proscripsit anno 1665. die 3. Febr. *Quòd si fortè*, dicebat Auctor, *actualiter peccando subitò destituatur sensibus, ut non possit humanitus loquendo atteri, respondeo, tunc non esse præsumendum attritum, atque adeo nec absolvendum docent communiter. Sed ego sub prædicta conditione vix illum regulariter sine absolutione dimitterem, quia rarissimè evenit, ut tam subitò sensibus quis, dum actu peccat, destituatur, ita ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem.* Hinc inferes, iis qui in duello lethaliter vulnerantur, ac priùs omnem rationis & sensuum usum interceptum habent, quàm aliquod doloris signum dare possint, denegandam sacramentalem absolutionem & Christianam sepulturam, si eo in statu ex hac vita decesserint. Ita statutum fuit à Conc. Trid. Sess. 25. cap. 19. & à Clero Gallicano an. 1653.

Circa quartam Conclusionis partem, an nempe sacramentalis absolutio sit concedenda iis, qui subita vi morbi oppressi, nec voce nec ullo signo suum de peccatis dolorem testari possunt, quos tamen constat viros esse Catholicos, fidei & probatæ pietatis, diversa fuit, vel ipsa S. Augustini ætate, ut & nunc est, Theologorum sententia & praxis. Quarta pars cõclusionis.

Prima sententia, quam à multis annis, ait Morinus Lib. 10. de Pœnit. cap. 10. num. 4. sequitur Theologorum pars maxima, negat eo in casu dandam esse absolutionem. Ratio præcipua hujus sententiæ petitur ex defectu materiæ sensibilis, sine qua stare non potest sacramentalis absolutio.

Accedit Judicium sacræ Facultatis Parisiensis, quæ die 3. Februarii anno 1665. proscripsit istam propositionem exceptam ex Libro Amadæi Guimenii, *Talis infirmus qui amisit loquelam vel usum rationis, si benè vivebat ut bonus & fidelis, & frequentabat confessionem & communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia & peccato.* En ipsa nostræ Conclusionis hypothesis, quam improbat sacra Facultas. Adversùs sententiam hanc miro zelo insurgit Morinus, L. 10. de Pœnit. cap. 10. quam *præposteram* appellat, *& instar prodigii vult haberi posse*; adeo vel primis humanitatis ac Christianæ pietatis elementis contraria ipsi videtur. P. 741. n. 4.

Secunda igitur sententia, quam totis viribus amplectitur & probat Morinus, existimat tali moribundo, cujus cognita est fides, ac probata vitæ planè christianæ ratio, dandam esse sacramentalem absolutionem, etiamsi nec voce nec ullo signo eam postulaverit. Nonnullos post Dianam parte 3. Resolutionum moralium, Tractatu 3. de absolutione moribundi, Resolutione 8. hujus opinionis defensores laudat Theologos, Homobonum in examine Ecclesiæ, parte 1. Tractatu 7. cap. 18. qu. 84. ubi refert factum Clementis VIII. S. Pontificis, qui cùm vidisset quemdam ex fabrica divi Petri præcipitem ruentem, absolutionem ei dedit, sub hac forma, *Si es capax, absolvo te à peccatis tuis*: Molfesium in Summa Tomo 1. Tractatu 7. cap. 5. n. 48.

n. 48. qui etiam laudat Salmeronem; Antonium de Litteratis, in Summa edita Romæ cum approbatione Magistri sacri Palatii an. 1611. parte 1. c. 35. n. 7. & alios nonnullos.

Probat Morinus ibidem auctoritate Sacerdotalis Romani Venetiis excusi anno 1560. apud Joannem Variscum & socios, folio 62. cujus hæc verba sunt: *Talis infirmus aut jam amisit loquelam, vel usum rationis; puta, quia phreneticus; aut non: in primo casu, si bene vivebat, ut bonus fidelis, & frequentabat confessionem, & communionem, & hujusmodi, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt; vel etiamsi malus & obstinatus diu perseverans in peccatis est, & diu non confessus, si petiit Sacerdotem ut confiteretur, ostendit se facere velle omnia quæ debet, & interea factus est mutus vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato, & potest injungere circumstantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus aut consanguineis pro ejus anima, si volunt acceptare: deinde debet dari ei Eucharistia, quamvis non sit confessus.* Hæc Morinus ex Sacerdotali Romano, quæ si vera sunt ac genuina, (neque enim nobis datum est Librum ipsum videre) eam ipsam referunt sententiam iisdem ferè verbis expressam, quam in Amadæo Guimenio censura notavit sacra Parisiensis Facultas.

Probat rursus eodem cap. 10. Libri 10. ex Statutis synodalibus Ecclesiæ Lemovicensis excusis ann. 1620. cap. 21. Addere potuisset & auctoritatem hic jam laudatam Concilii XII. Toletani cap. 2. loquitur enim Synodus de illo homine qui quidem cùm sanus esset ultimum desiderabat pœnitentiæ fructum, sed qui præ infirmitate ita linguæ & aliorum sensuum usu destitutus est, ut nullo videatur salutis desiderio teneri.

Verùm præcipuum hujus sententiæ præsidium ac firmamentum petit ejusdem Libri cap. 6. ex auctoritate sancti Augustini in Libro I. de adulterinis conjugiis cap. 26. ubi ait I. *Catechumenis in hujus vitæ ultimo constitutis* (sunt verba S. Doctoris) *si morbo seu casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis quòd eorum in fide christiana nota voluntas est, ut eo modo baptisentur, quo modo baptisantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Rationem adducit sanctus Doctor ibid. *Quia nempe*, inquit, *non solùm incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptisari Catechumenum velle; verùm etiamsi voluntas ejus incerta est*, (aliqui legunt, *intellecta*) *multò satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.*

T. 6. p. 403. C. — Ib. E.

Ibid. p. 404. C. II. Non tantùm ejusmodi Catechumenos S. Augustinus vult baptisandos esse, sed etiam & illos qui adulterina consortia retinent. *Ego*, inquit cap. 28. *non solùm alios Catechumenos, verùm etiam ipsos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cùm salvos corpore non admittamus ad Baptismum, tamen si desperati jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptisandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur* Rationem statim subjicit, *Quis enim*, inquit, *novit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri? Si autem ab il-*

*ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod statuerunt, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet quod fieri etiam de baptisatis talibus debet.*

III. Docet ibidem S. Augustinus, eandem rationem esse reconciliationis, quæ & Baptismi: *Quæ autem*, inquit, *Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè penitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Ita secundam hanc sententiam & auctoritate sua & rationum momentis demonstrat S.Augustinus. *Ibid. E.*

IV. denique, non dissimulat sanctus Doctor, fuisse aliquos sua ætate in opinione & praxi contraria, *qui timidiùs agunt*, inquit, & memores istorum Domini verborum, *Nolite sanctum dare canibus, non audent baptisare eos qui pro se respondere nequiverint, ne fortè contrarium gerant voluntatis arbitrium.* Horum sententiam & praxim damnandam non esse pro sua modestia & æquitate pronuntiat ibidem S. Augustinus: *Satis quippe in talibus*, inquit, *respiciendum est illud Apostoli, ubi dicit: Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo ampliùs invicem judicemus.* *Ibid. p. 403.D.* *Ibid.*

Ad hanc S. Doctoris auctoritatem hoc unum reponunt primæ sententiæ patroni, nempe supponere S. Augustinum præcessisse ex parte Catechumeni vel pœnitentis signum aliquod, quo suum desiderium seu voluntatem in Baptismum vel absolutionem demonstraverint. *Prosit eis*, ait cap. 26. citato sanctus Doctor, *quòd eorum in fide christiana jam nota voluntas est.* Et postea: *Si voluntas ejus intellecta est &c.* *Ibid.C.*

Verùm alii regerunt, ajuntque solis oculis opus esse ut perspicuum fiat legenti, hypothesim à S.Doctore adductam esse hominis casu aliquo sic oppressi, ut nec petere Baptismum aut reconciliationem possit, nec ad interrogata respondere, eo ferè modo quo infantes, qui baptisantur, nullum propriæ voluntatis indicium proferunt; hominis denique in eo statu constituti, *ubi incertum est, ac non apparet an velit, an nolit*; quæ certè hypothesis non videtur admittere signum aliquod exterius, quo fuerit illius moribundi manifestata voluntas. Cùm igitur sanctus Doctor ait: *Prosit eis quòd eorum in fide christiana jam nota voluntas est*; manifestum est eum loqui de voluntate quæ sit nota, non aliquo speciali signo in hac subita, qua opprimitur, infirmitate, sed quæ sit nota ex vi status seu conditionis hominis catechumeni vel pœnitentis; qui certè status ac conditio sufficiens ratio est præsumendi velle hominem in his angustiis aut baptisari, aut per absolutionem reconciliari. Malè legunt aliqui in textu Augustiniano citato, *Etiamsi voluntas ejus intellecta est.* Omnino legendum, *Etiamsi voluntas ejus incerta est*, sicut ipsa contextus series apertè demonstrat; aliàs, non tantùm planè obscura, sed absona foret S. Doctoris sententia: hunc enim sensum redderet, Etiamsi intellecta est hominis illius voluntas, quòd nempe nolit aut baptisari aut reconciliari, tamen satius est nolenti dare, quàm volenti negare; quasi vellet Augustinus baptisandum esse hominem hunc, etiam si constaret apertè eum alienam habere à Baptismo suscipiendo voluntatem, quod sanè perabsurdum esset: quantò igitur rectior & planior videtur sensus, si legamus, *Etiamsi voluntas ejus incerta est; tamen* ( hoc pendente dubio ) *multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare.*

Ad

Ad momenta verò prioris & oppositæ sententiæ.

Respondent ad primum, 1. in hoc extremæ necessitatis casu non ita subtiliter ac morosè inquirendum, quænam sit sensibilis materia Sacramenti. Cùm enim quæstio hæc tota sit scholastica, & alii aliam assignent sensibilem materiam; hoc stante dubio non debet moribundus ille, cujus nota est fides ac probitas christiana, propter dissidia hæc scholastica, sine absolutione dimitti, dicente S. Leone Epistola 83. aliàs 91. ad Theodorum Forojuliensem cap. 3. *multùm utile ac necessarium esse, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur.* Unde scitè observat Melchior Canus parte 6. Relectione de Pœnitentia, *in praxi hujus Sacramenti habendam esse potius rationem eorum quæ ad mores & salutem animarum pertinent, quàm ad Metaphysicam, sive speculativas quæstiones.*

To. 1. p. 605.

Addunt 2. Ecclesiæ testimonium de vita hujus hominis fidelis christiana piè ac sanctè peracta, longè certius esse petitionis seu desiderii ipsius argumentum, quàm unius aut alterius hominis de impio publico reconciliationem petente, testificatio: illius enim conditio seu nota probitas *ratio sufficiens est & præsumptio idonea*, inquit Morinus, *ad reconciliationem ipsi conferendam. Viri enim pii & Catholici Ecclesiæ cultores constantissimi, absolutionem, omniaque Ecclesiæ Sacramenta ardenter concupiscere semper præsumendi sunt, donec eorum voluntas mutata, & impia facta aliquo argumento demonstretur.* Quòd si propter aliquod signum exteriùs à moribundo factum, (quod plerumque valdè æquivocum esse potest) dandam esse absolutionem Scholastici docent; longè potiori ratione videtur danda viro Catholico probatæ fidei ac pietatis: præsumptio enim in his fundata certior videtur.

Morin. p. 740. col. 2. B.

Ibid. p. 741. col. 1. A.

Ad Censuram verò sacræ Facultatis, respondent duo in adducta propositione contineri: primum, moribundum illum fidelem & probum omni rationis & sensuum usu destitutum, absolvendum esse; alterum est velùti ratio & fundamentum hujusce praxis, *quia nempe*, dicebat auctor, *ex insperato talia acciderunt, & debet ille præsupponi contritus.* Primum dicunt esse verum, neque etiam objectum esse Censuræ sacræ Facultatis: sed alterum, ex quo sequitur, (quod etiam contendit auctor ille) & quod damnavit sacra Facultas, nempe cuicunque peccatori quamtumvis noto & publico, etiam actu peccanti, qui nullum omnino doloris sui signum dedit, concedi debere absolutionem, *eo quòd*, ait Guimenius, *rarissimè evenit, ut tam citò sensibus quis, dum actu peccat, destituatur, ita ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem*: quæ certè ratio cùm eò generatim tendat, ut probet omni peccatori moribundo promiscuè laxandam esse absolutionem, meritò proscripta fuit adducta auctoris propositio. Verùm observa, generatim tantùm esse damnatam, *Doctrina hujus propositionis*, ait Censura, *universim & absolutè sumpta est in praxi periculosa*; quibus verbis existimant defensores secundæ sententiæ, damnari dumtaxat generalem hujus auctoris rationem, qua utitur ut velit in praxi quemlibet moribundum indistinctè absolvendum esse, non verò specialem casum de quo loquitur Conclusio. Plura lege, si vacat, de ista quæstione apud Morinum loco citato. Hæc nobis ex utraque parte exposuisse sufficiat.

*Solvun-*

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. testimonium S. Cypriani ex Epistola 52. ad Antonianum, ubi de infirmis qui in infirmitate dumtaxat penitentiam & reconciliationem postulabant, sic ab Ecclesia Carthaginensi decretum fuisse refert. *Idcirco, frater charissime, pœnitentiam non agentes nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo ceperint deprecari; quia rogare illos non delicti penitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* Quòd autem nomine pacis & communicationis intelligat sanctus Doctor sacramentalem à peccatis absolutionem, his momentis suadetur. P. 72.

I. Quia nullis aliis terminis utitur passim ut eam exprimat; & si vel communionem Eucharisticam, vel solemnem dumtaxat cum Ecclesia reconciliationem his terminis à sancto Doctore, per exclusionem absolutionis sacramentalis, designatam fuisse dixeris, necesse est agnoscas nunquam ab illo designatam fuisse sacramentalem absolutionem: non alia enim apud ipsum reperies verba quibus eam expresserit.

II. Eadem est pax quam denegat infirmis non pœnitentibus, & quam concedit penitentia defunctis: atqui postremam hanc esse sacramentalem à peccatis absolutionem nemo jure negaverit.

III. Ætate S. Cypriani non sejungebatur tempore communio Eucharistica à sacramentali absolutione, sicut facile est intelligere ex Epistolis ejusdem S. Doctoris 10. 11. & 54. ergo cui denegabatur Eucharistica communio, denegata quoque fuit sacramentalis absolutio.

IV. Infirmi, de quibus hic S. Cyprianus, verè impenitentes erant, qui nullum de peccatis dolorem suum testantur: at verisimile non videtur, impœnitentibus datam à sancto Doctore peccatorum veniam. Eò tendit ratio quam adducit, quia *rogare illos non delicti penitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit.*

V. Si omnibus infirmis penitentiam & pacem in infirmitate dumtaxat petentibus consuetudo communis fuisset dandi sacramentalem absolutionem, quare speciali ac provisorio decreto statuisset S. Cyprianus, eam dandam esse lapsis qui habebant libellos Martyrum; & quæ fuisset eorum prærogativa, si omnibus indistinctè pax concessa fuisset? De illo provisorio Decreto diximus paulò antea.

Confirmatur hocce S. Cypriani testimonium, Canone ultimo Concilii I. Arelatensis. *De his*, inquit, *qui apostatant, & nunquam se ad Ecclesiam repræsentant, nec quidem penitentiam agere quærunt, & postea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint & egerint fructus dignos penitentiæ.* Tom. 1. Conc. p. 1429. C.

Resp. per communicationem & pacem S. Cyprianum citata Epistola 52. intelligere vel participationem Eucharistiæ, vel solemnem & canonicam reconciliationem cum Ecclesia, qua privandos esse hujusmodi infirmos ex rigore disciplinæ decrevit. Hoc quoque sensu apud Veteres usurpari nomen com-

communionis & pacis, paulò antè demonstravimus: relege. Et verò ejusmodi infirmis denegatam non fuisse pœnitentiam expressè observat Innocentius I. at nulli denegata unquam fuit peccatorum venia, cui concessa est pœnitentia. Nomine verò pœnitentiæ, ut jam antea præmonuimus, non tantùm intelligi debet satisfactio, cujus sanè incapaces sunt infirmi; quamdiu premit infirmitas, sed potissimùm Sacramentum Pœnitentiæ constans suis partibus essentialibus.

Ad primam itaque probationem respondeo, revera apud S. Cyprianum voces istas *communionis*, *pacis*, *reconciliationis*, usurpari promiscuè ad significandam & sacramentalem à peccatis veniam, & Eucharisticam communionem, & reconciliationem canonicam cum Ecclesia; sed appositè & accommodatè ad subjectam materiam & loci circumstantias, modò una sine altera debet assumi, modò omnes simul. Nisi ita distinxeris, rem absurdissimam affinges S. Doctori, nempe eum dedisse Diaconis facultatem absolvendi sacramentaliter à peccatis; non enim aliis utitur terminis, quàm consuetis, *pacis*, *communionis &c.* Cùm igitur legimus infirmis, de quibus loquitur, concedi pœnitentiam, illico cogitare debemus, pacem, quæ iisdem denegatur, sacramentalem non esse à peccatis absolutionem, sed vel Eucharistiam, vel canonicam cum Ecclesia reconciliationem.

Ad secundam, dico eandem quidem, sed non omnem pacem denegari infirmis, quæ conceditur sanis pœnitentia defunctis: istis enim non tantùm sacramentalis absolutio à peccatis concedebatur, sed etiam Eucharistica communio, & perfecta seu canonica reconciliatio cum Ecclesia; alii verò, concessa sola sacramentali absolutione; *quæ morientis consolationi sufficit*, ait
Tom. 3. Conc. p. 1448. D. Concilium Arausicanum I. Can. 3. antea citato, denegabatur Eucharistia, & solemnis reconciliatio cum Ecclesia per manus impositionem.

Ad tertiam; Ætate S. Cypriani ordinariè non sejungebatur tempore Eucharistiæ participatio à sacramentali absolutione, & pœnitentibus, post emensum pœnitentiæ stadium, utraque simul communi & ordinaria lege conferebatur: at in certis casibus, præsertim verò infirmitatis, una tempore sejungebatur ab altera, sicut manifestè patet ex Can. 78. Concilii IV.
Tom. 2. Conc. p. 1206. B. Carthaginensis antea citato; & idem judicandum de re nostra præsenti, ac de absolutione, quæ ordinaria quidem lege sequebatur olim impletam satisfactionem, sed in aliquibus casibus antecedebat.

Ad quartam: Æquivocatio latet in hac voce *impœnitentes*: si enim significat, infirmos, de quibus loquitur S. Cyprianus, antea dum sani erant, pœnitentiam non egisse, hoc sensu vocari possunt *impœnitentes*, quod sanè unum innuere vult sanctus Doctor: si verò significat ejusmodi infirmos nequidem premente infirmitate pœnitere de vita sua præterita, hoc sensu *impœnitentes* dici non possunt, siquidem testatur S. Cyprianus, eos *in periculo deprecari*, quod sanè sine aliquo doloris & pœnitentiæ interiori sensu non facerent; & quamvis mortis urgentis periculum occasio fuerit hùic excitandæ pœnitentiæ, motivum tamen ipsius supernaturale aliquod fuisse necesse est, aliàs nequidem concedi ipsis debuisset, virtute & auctoritate clavium, pœnitentia sacramentalis, quam tamen concessam fuisse testatur Innocentius I. Ita exponenda sunt citata hæc S. Doctoris verba, *quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit.* Hoc est,

est, non pœnitentia, quæ præcesserit, rogare illos compellit, siquidem nullam supponuntur egisse, sed ea saltem pęnitentia, quam tum primùm, occasione mortis urgentis, auxilio divinæ gratiæ excitati in se concipiunt.

Ad quintam, patet solutio ex dictis antea, ubi de pœnitentibus sanis diximus, in responsione ad secundam Objectionem ex S. Cypriano. Consule quæ ibi dicta sunt.

Objicies 2. S. Leo Epistola 91. ad Theodorum Forojuliensem, cum pęnitentibus sine absolutione sacramentali defunctis negat esse communicandum, negat eorum memoriam esse faciendam inter Missarum solemnia &c. verba S. Pontificis superiùs relata sunt ad septimam Quæstionem, Art. 3. Conclusione secunda. Supponit igitur Summus Pontifex, nonnullos gravissimos peccatores, qui in infirmitate dumtaxat pęnitentiam efflagitabant, dimissos ex hac vita fuisse sine sacramentali absolutione.

Resp. nego consequentiam; ad rem enim nostram appositum non videtur hocce S. Leonis testimonium. Agimus hic de iis qui in infirmitate dumtaxat ad pęnitentiam confugiunt, & S. Leo loquitur de illis qui pęnitentiam, dum sani erant, inchoaverant quidem, sed casu quodam improviso ex hac vita erepti, eam nec perficere, nec consequenter sacramentalem absolutionem, quæ expleta dumtaxat satisfactione solebat concedi, potuerant percipere. Eo igitur beneficio privati illi fuerant, non quidem ex sententia Ecclesiæ, sed subita morte: cum illis tamen noluit quidem aliquando Romana Ecclesia communicare; verùm aliæ communicabant, ut patet imprimis ex Canone 79. Concilii IV. Carthaginensis, in quo dicitur: *Pœnitentes qui attentè leges pęnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Idem statuit Concilium Arelatense II. Can. 12. Vasense II. Can. 2. Toletanum XI. Can. 12. Hoc unum igitur ex citato S. Leonis testimonio inferri meritò potest, ut loco mox indicato diximus, nempe, lege ordinaria sacramentalem absolutionem datam fuisse post expletam pęnitentiam. Tom. 3. Conc. p. 1206. B.

Objicies 3. testimonium Innocentii I. in Epistola ad Exuperium Tolosanum Conclusione prima & secunda hìc relatum. *Consuetudo*, inquit, *prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.* Innocentium verò per communionem intelligere absolutionem à peccatis, nulla vel levissima est dubitandi ratio, ait Morinus Lib. 10. cap. 1. n. 10. I. Quia ait communionem illam tandem concessam fuisse, *ne Ecclesia asperitatem Novatianorum sequi videretur*: at Novatiani negabant posse ab Ecclesia indulgeri peccatorum veniam. Tom. 1. Conc. p. 1255. C.

II. Quia hanc communionem vocat *reconciliationem*, quo nomine solet designari sacramentalis absolutio.

III. Ait communionem illam à *perpetuo exitio vindicare*, quod rectè cadit in sacramentalem absolutionem, quæ planè necessaria est.

IV. Testatur Innocentius, veterem disciplinam duriorem fuisse: at durior non fuisset, si vel Eucharistiam tantùm, vel solemnem & canonicam cum Ecclesia reconciliationem denegasset; subsequentibus temporibus denegata quoque est Eucharistia, & etiamnum apud nos denegatur ultimo supplicio afficiendis.

V. Ratio prioris severitatis, juxta Innocentium, hæc fuit, ne facilitas

veniæ

veniæ homines de sua reconciliatione securos faceret: hæc porrò ratio locum habet præsertim si supponatur denegata sacramentalis absolutio, quæ vera est reconciliatio cum Deo.

VI. denique quia his temporibus non separabatur tempore sacramentalis absolutio ab Eucharistia, & utraque vel denegabatur, vel concedebatur.

Resp. ut suprà ad testimonium S. Cypriani, Innocentium intellexisse vel Eucharisticam participationem, vel canonicam cum Ecclesia reconciliationem, quam prior disciplina ex severitate aliquibus denegavit; non verò sacramentalem à peccatis absolutionem. Ratio nostra est, quòd asserat S. Pontifex datam semper hujusmodi infirmis pœnitentiam: at frustra illa est, si non sequatur venia seu absolutio. Vide superiùs dicta. Momenta verò quæ hìc opponuntur satis firma non videntur, ut ab explicatione data recedere nos cogant.

Non primum: Namque Novatiani non tantùm sacramentalem absolutionem negabant lapsis, sed & Eucharistiam & reconciliationem cum Ecclesia. Ne igitur vel tantillùm videatur Ecclesia imitari Novatianorum crudelitatem, jussit Innocentius priorem disciplinæ severitatem mitigari, atque omni pœnitentiam & veniam postulanti in mortis urgentis periculo concedendam esse, simul cum Eucharistica communione.

Non secundum. Certum quippe est, *reconciliationis* nomine Veteres non rarò intellexisse canonicam & ceremonialem cum Ecclesia reconciliationem, quæ fiebat per manus impositionem. Vide quæ suprà in hoc 2. Articulo diximus, in solutione Objectionum, ad tertiam quæ tota repetebatur ex Canonibus Eliberitanis.

Non tertium: Solent enim Veteres, Innocentius imprimis & S. Augustinus, hanc Eucharistiæ vim & efficaciam tribuere, ut à perpetuo vindicet excidio, propter abundantiam gratiæ quam cœlestis ille cibus communicat; unde visi sunt aliquando affirmare, eam ipsis parvulis planè ad salutem necessariam esse. Quo verò sensu id dixerint, exposuimus ubi de Sacramento Eucharistiæ.

Non quartum: Loquitur enim Innocentius de disciplina suo tempore recepta, neque potuit ille sine dono prophetiæ augurari quænam postea inducenda foret. Adde quòd hìc sermo sit de illis qui communi ac recepta disciplina removebantur à communione Eucharistica; severitas verò quæ apud nos exercetur erga reos ultimo supplicio afficiendos, casus est singularis, ac specialis Ecclesiæ Gallicanæ disciplina.

Non quintum: Ratio enim hæc Innocentii locum habet etiam cùm negatur vel Eucharistica communio, vel absoluta & perfecta reconciliatio cum Ecclesia, ut attendenti patebit.

Non sextum: Diximus enim non semel, ordinariè quidem non fuisse tempore sejunctam sacramentalem absolutionem ab Eucharistica communione; verùm in certis casibus necessitatis & infirmitatis sejunctam fuisse.

Objicies 4. adversùs tertiam Conclusionis partem. Sanctus Augustinus Lib. 1. de adulterinis conjugiis Conclusione secunda hìc laudato, docet & Catechumenis & pœnitentibus etsi flagitiosè viventibus, subito morbo oppressis subveniendum esse per Baptismum & reconciliationem, hac una ductus ratione, quòd *nemo novit*, inquit, *utrum adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerint detineri*; atque in dubio *satius sit nolenti dare, quàm*

re, *quàm recusare volenti*: atqui eadem ratio probat in casu etiam nostræ Conclusionis dandam esse absolutionem.

Resp. nego min. Status enim seu conditio ipsa Catechumeni vel pęnitentis sufficientem locum suppeditat præsumendi, nolle ejusmodi Catechumenos vel pęnitentes in perdita vita sua ad finem usque permanere; aliàs incassum & catachumenatus, & pœnitentiæ labores sustinerent: at nihil est in nostra hypothesi unde possit talis haberi præsumptio. Peccator enim, de quo loquimur, nulla pietatis Christianæ officia supponitur exercere, inveterato peccandi habitu irretitus, scandalosus, vel etiam in actu ipso peccati ita morbo corripi, ut nullum penitus doloris sui signum dare possit: quo igitur fundamento subnixa esse posset absolutio quam auctor antea citatus contendit ipsi conferendam esse?

## ARTICULUS III.

*Proponuntur ac solvuntur aliæ nonnullæ quæstiones circa absolutionem dandam vel protrahendam.*

QUæres 1. quandonam debeat Sacerdos absolvere pęnitentem.

Resp. Cùm Sacerdos in tribunali Pęnitentiæ judex sit ac medicus animarum, pęnitentem absolvere non debet, nisi cùm prudenter judicat ratam fore in Cęlis sententiam quam Sacerdos in terris pronuntiat. *Tunc enim vera est absolutio præsidentis*, ait S. Gregorius Magnus, *cùm æterni sequitur arbitrium judicis.* *Tom. 1. p. 1555.* Prudenter autem æstimare potest approbandam in Cœlis absolutionem, cùm pęnitens verum ac sincerum habet de peccatis dolorem cum firmo non amplius peccandi proposito, atq; congruam agit de pręteritis peccatis pęnitentiã.

Quæres 2. an toties laxanda sit absolutio, quoties homo crimen confitetur & absolvi postulat.

Resp. negativè. Causæ pensandæ sunt, ait idem S. Gregorius Magnus, & videndum quæ pęnitentia secuta sit post culpam. *Quoniam comperimus*, ajunt Patres Concilii Toletani III. Cap. 11. *per quasdam Hispaniarum Ecclesias non secundùm Canones, sed fœdissimè pro suis peccatis agere pœnitentiam, ut quotiescunque peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent, ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione, id à sancto Concilio jubetur, ut secundùm formam Canonum antiquorum detur penitentia.* *To. 5. Conc. p. 1011. D.*

Et Patres Concilii Lateranensis II. anno 1139. Can. 22. *Inter cætera*, inquiunt, *unum est quod sanctam maximè perturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia, confratres nostros & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur: aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio .... Falsa etiam fit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet: aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfiat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat.* *To. 10. Conc. p. 1007.*

Adversùs mollem hanc & præposteram nonnullorum Sacerdotum in concedenda lapsis venia facilitatem miro zelo insurgit S. Cyprianus, quam

post tyrannorum crudelitatem, veluti novam persecutionem Ecclesiæ non
P. 171. minùs perniciosam traducit. *Emersit*, inquit Tractatu de lapsis, *novum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & accipientibus nihil profutura.... Operiuntur morientium vulnera: & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur.... Non est illa pax, sed bellum: nec Ecclesiæ jungitur, qui ab Evangelio separatur. Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui flere jugiter & rogare Dominum suum debent, intercepta penitentiæ lamentatione communicare se simulant? Hoc sunt ejusmodi lapsis, quod grando frugibus; quod turbidum sidus arboribus; quod armentis pestilens vastitas; quod navigiis sæva tempestas.... Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit; nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem.*

Non absimili zelo eundem abusum reprimit Clerus Romanus in Epistola quæ 31. est inter Cyprianicas. *Absit*, inquiebat, *ab Ecclesia Romana vigo-*
P. 44. *rem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere... ut nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & penitentia. Ubi enim indulgentiæ poterit medicina proficere, si etiam ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis; si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.*

Jamdiu antea in falsis prophetis falsam hanc & mollem indulgentiam damnaverat Ezechiel c. 13. *Væ*, inquit v. 3. *prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident... dicentes pax, & non est pax.* Et v. 18. *Væ qui consuunt pulvillos sub cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas; & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, & violabant me apud populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Et Jeremias c. v. 14. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, Pax, pax, & non erat pax... quamobrem cadent inter ruentes.*

Quæres 3. an graviter peccent Sacerdotes, qui promiscuè ac indiscriminatim absolvunt eos omnes qui peccata confitentur, ac se de illis dolere verbo declarant?

Resp. affirmativè: patet ex mox dictis responsio. Peccant illi in Deum, cujus Sacramenta violant indigna & sacrilega administratione: peccant in Ecclesiam, violata & conculcata ejus disciplina: peccant in pœnitentes ipsos, tùm majori, quam, ex facilitate veniæ, concipiunt ad peccandum licentia; tùm falsa illa securitate ac fiducia qua se verè absolutos confidunt, cùm tamen ligati adhuc sint; tùm denique cordis obduratione ac impenitentia finali, quæ ex perniciosa illa securitate ac fiducia ut plurimùm sequitur.

Quæres 4. quæ sint cavenda Sacerdoti, ut ministerium suum debitè ut oportet adimpleat in tribunali Pœnitentiæ.

Resp. cavendam ipsi esse, 1. imperitiam. *Si enim cæcus cæcum duxerit, ambo*

*ambo in foveam cadent*. Sacerdos, ut sæpiùs dictum est, judicis ac medici partes sustinet in tribuali Pœnitentiæ: necesse igitur est, ut tanquam judex cognoscat leges, Canones, ac disciplinam Ecclesiæ quæ circa varia peccatorum genera observari debet: tanquam medicus, necesse est ut apprimè sciat quibus potissimùm remediis animorum nostrorum morbi sanandi sunt; qua industria & arte extricanda & in apertum educenda impedita & intricata nonnullorum conscientia. 1. cavenda ipsi est negligentia, ne fortè ministerii ardua difficultate territus, explorare negligat vias omnes & aditus quibus cor pœnitentis commovere, & ad sincerum de peccatis dolorem adducere valeat. 3. naturalis quædam compassio & indulgentia, qua proclives sumus ad indulgentiam eorum delictorum quibus nos ipsi fortè sumus obnoxii. Tota Sacerdotis compassio ex charitate fluere debet, & ex amore salutis pœnitentis: aliàs falsa est ac noxia plurimùm compassio & indulgentia, ac crudelitas magis, quàm indulgentia est. 4. timor mundanus, ne fortè remissiùs agat Sacerdos cum viris potentibus; atque, ut eorum gratiam ac favorem captet, sese illorum desideriis accommodet, falsisque interpretationibus & legem inflectat, & pervicaces eorum voluntates molli assentatione dissimulet. 5. denique: cavendum maximè à laxiorum opinionum licentia, quæ non legi Dei, non Ecclesiæ disciplinæ, sed cupiditati ac morum depravationi plurimùm favent.

Quæres 5. quibus in casibus teneatur Sacerdos absolutionem differre.

Resp. generatim denegandam ac differendam esse absolutionem, iis quos Sacerdos cautus ac prudens judicat indignos esse, quam non tantùm sine fructu, sed etiam graviter peccando perciperent: id verò multis in casibus occurrit.

I. Cùm pœnitens ignorat præcipua fidei Christianæ mysteria, quorum explicita fides necessaria est, v.g. Trinitatis, Incarnationis: pariter cùm ignorat mandata Dei & Ecclesiæ. Unde meritò Innocentius I. S. Pontifex tanquam *scandalosam & perniciosam in praxi* damnavit propositionem istam; *Absolutionis capax est homo, quamtumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctæ Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi*. Ita quoque Clerus Gallicanus ann. 1700. *Recueil des Bulles*, p. 497. n. 64.

II. Cùm pœnitens quas in corde gerit occultas cum proximo inimicitias non vult deponere: dicente ipsomet Christo Matth. 5. v. 24. *Vade priùs reconciliari fratri tuo*. Quapropter Concilium Lateranense II. Can. 22. jam laudato ait, *falsam esse pœnitentiam, si pœnitens odium in corde gerit, aut si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulgeat*.

III. Cùm pœnitens recusat aut differt restituere vel famam proximi, quam læsit, aut rem alienam quam subripuit: *Non enim dimittitur peccatum*, ait S. Augustinus Epistola 153. aliàs 54. *nisi restituatur ablatum*.

IV. Cùm pœnitens ex inveterato habitu in eadem peccata semper relabitur: quo in casu præsumi non debet verum ac sincerum habere de peccatis dolorem, ac firmum vitæ melioris ineundæ propositum. Neque obstat quòd obtestetur se de peccatis dolere: siquidem toties idem jam obtestatus fuit absque ulla subsequente emendatione, ut necesse planè sit per aliquod tempus explorare, an sincera sit & firma ejus voluntas. Neque verò alio consilio tot ac tam diuturnis laboribus Ecclesia olim pœnitentes exercebat, T. 2. p. 531.

antequam absolverentur, quàm ut exploraret, an vera & sincera foret eorum vitæ conversio, ac plena, quantùm humana fragilitas patitur, divinæ justitiæ persoluta satisfactio: neque verò quisquam nostrum esset, qui in privatis alicujus momenti negotiis, iis fidem tam facilè habere vellet, qui eam toties violassent. Meritò igitur ab Innocentio XI. proscripta fuit ista propositio, *Penitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat: nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.*

Recueil des Bulles, p. 496. n. 10.

Meminerint igitur Sacerdotes, se alieni beneficii dispensatores esse, quod proinde nonnisi ex voluntate Christi, ac legibus ab ipso vel ejus sponsa Ecclesia præscriptis dispensandum ipsis est, non in destructionem, sed in salutem & ædificationem animarum. Meminerint & ipsi pœnitentes, se reos esse, atque ad Sacerdotes tanquam ad Christum, cujus vices gerunt, accedere; non ergo animo contentioso, sed docili, submisso, parato ab ea omnia facienda & sustinenda quæ prudens injunxerit Sacerdos.

V. Cùm pœnitens versatur in proxima peccandi occasione, nec eam deserere vult, sive occasio proxima sit ad peccandum indeterminatè ac generatim, sive ad peccandum determinatè hac vel illa actione: v.g. non magis absolvendus ille est sciens se, quoties ludit, blasphemare, vel decipere, nec tamen vellet abstinere à ludo, quàm ille qui sciret se determinatè blasphemare. Unde Innocentius XI. damnavit propositionem istam, *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest & non vult omittere: quin imò directè & ex proposito eam quærit, aut ei se ingerit.* Occasionem verò peccandi proximam appellamus, illud omne quod moraliter certam & indubitatam subministrat peccandi causam, sive per se in peccatum inducat, sive ejus occasione ita ad peccandum homo allicitur, ut certò certiùs in his circumstantiis sit peccaturus. Sic v.g. absolvendus non est qui eam domum, vel eos frequentat cum quibus peccare consuevit; qui concubinam apud se retinet, vel tabellas obscænas, quibus impurus amor excitatur: qui officium, vel artes illas exercet, quas nonnisi peccando hactenus exercuit. Legat & assiduè relegat Sacerdos qui excipiendis confessionibus destinatus est, eximias eam in rem S. Caroli Instructiones.

Ib. n. 61.

VI. Cùm datum publicum scandalum non reparatur ab usurariis, v.g. & publicis concubinariis.

VII. denique, cùm pœnitens recusat ea exercere pietatis officia, quæ Sacerdos tanquam salutifera remedia injunxit: eo quippe in casu præsumitur verum ac sincerum non habere recuperandæ sanitatis animæ desiderium.

In his igitur adductis casibus quantumvis pœnitens asserat se de peccatis dolere, neganda tamen absolutio, quia valdè dubius ac incertus est ille dolor, ac consequenter dubia & incerta Sacramenti materia. Porro in Sacramentis conficiendis vel conferendis uti non licet materia dubia, præsertim cùm haberi potest certa. Quapropter Innocentius XI. anno 1679. & post ipsum Clerus Gallicanus in Censura anni 1700. istam proscripsere propositionem, *Non est illicitum in Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

Ibid. p. 489. n. 1.

Quæres 6. an debeat Sacerdos pœnitentem de peccatis quæ non declarantur interrogare.

Resp.

Resp. cùm Sacerdotis sit pœnitentem, quantùm potest sublevare, necesse est omnino ut certis in casibus eum interroget circa peccata quæ suspicari prudenter potest à pœnitente non declarari, ex ignorantia, vel inadvertentia, aut, ut plurimùm contingit, ex verecundia & pudore. *Debet Sacerdos*, ait S. Thomas in 4. dist. 19. *scrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus, & judex causam; quia frequenter quæ pro confusione confitens taceret, interrogatus revelat*. Caveat autem diligenter Sacerdos, ut de iis tantùm peccatis interroget, quæ communia esse possunt statui seu conditioni pœnitentium; ut turpia, modestis, non turpibus & obscœnis verbis exprimat; ut animo curioso secreta familiarum non inquirat. *Non fiat explicita interrogatio*, ait S. Thomas loco mox citato, *de peccatis, nisi de illis, quæ omnibus manifesta sunt: de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet à longinquo fieri interrogatio, ut si commisit, dicat, si non commisit, non addiscat*.

Quæres 7. an vitiosa foret ista absolvendi forma, *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis confessis & oblitis, de quibus verè es contritus*.

Resp. quòd etsi hæc verba formam Sacramenti non reddant invalidam, siquidem integer perseverat ipsius sensus, superflua tamen illa sint, & omittenda; quia nempe in ipsa Sacramenti institutione sufficienter continentur ac præsupponuntur.

Quæres 8. quid sentiendum sit de absolutione quæ datur sub aliqua conditione: v. g. *Te absolvo si habeo potestatem absolvendi*; vel, *si tu es verè pœnitens*; vel, *si restitueris alienum, aut tale aliquid feceris*.

Resp. 1. absolutionem datam sub conditione de præterito vel de præsenti, ratam quidem esse ac validam; sed planè inutilem ac otiosam hanc conditionem, quæ necessariò præsupponi semper debet: neque enim Sacerdos absolveret, nisi haberet potestatem absolvendi; nec pœnitens absolutionis fructum perciperet, nisi haberet requisitas dotes seu conditiones. Cùm igitur prima conditio reddat ministrum incertum & dubium an administraverit, secunda verò pœnitentem an receperit Sacramentum, utraque omitti debet.

Resp. 2. absolutionem datam sub conditione de futuro planè nullam esse ac invalidam: quia actus de præsenti cum conditione de futuro contingenti non est validus, sed solùm instar promissionis cujusdam; velut si quis dicat, Do tibi si feceris: at hujusmodi promissio in Sacramento Pœnitentiæ locum non habet. Ratio à priori hæc est, quia sola intentio ministri absoluta, est efficax de præsenti: sicut enim propositio conditionalis ut sic, nihil ponit in re; ita voluntas conditionata, quamdiu talis est, suspensa manet & nihil operatur. Si ergo quando materia & forma Sacramenti ponitur, intentio ministri non est absoluta, vel non æquivalet absolutæ, non potest tunc Sacramentum perficere.

Dices 1. Sacramentum Pœnitentiæ ad instar Judicii fuit institutum: in Judiciis autem valet absolutio aut alia sententia lata sub conditione de futuro.

Resp. Quamquam Sacramentum Pœnitentiæ ad instar Judicii sit institutum, non tamen sequitur in omnibus formam Judicii civilis ac forensis; alioquin non posset idem esse accusator, testis, & reus: neque ipsi reo se excusanti credendum foret; neque essentialiter opus esset sententiam absolutio-

ni ferri verbis ore prolatis & reo præsente, quia in Judicio civili sententia potest ferri scripto, & circa absentem. Qualis autem sit institutio Sacramenti Pœnitentiæ, ex praxi Ecclesiæ & unanimi Doctorum sensu judicandum est potius, quàm ex sola proportione cum Judicio & foro externo.

Dices 2. Matrimonium initum per consensum & verba de præsenti sub conditione de futuro, valet impleta conditione; quidni & absolutio sacramentalis?

Resp. 1. antecedens à multis negari Theologis, de quo argumento in Tractatu de Matrimonio dicemus.

Resp. 2. nego consequentiam: in his etenim quæ sunt institutionis divinæ, & pendent à libera Christi instituentis voluntate, non alia quęrenda ratio quàm Christi voluntas. Sic autem instituit Sacramentum Pęnitentiæ, ut absolutio data sub conditione de futuro non valeat; è contra sic instituit Sacramentum Matrimonii, ut contrahentium consensus datus sub conditione de futuro sufficiat ad validum Sacramentum.

Quæres 9. an valeat ista absolvendi ratio & forma, *Absolvo te auctoritate Episcopi, vel S. Pontificis, vel Ecclesiæ.*

Resp. non valere; quia Sacerdos auctoritate, virtute & merito Christi, non Episcopi, non S. Pontificis, non Ecclesiæ, absolvit: quod satis significat ipse Sacerdos cùm juxta morem Ecclesiæ ait, *Dominus noster Jesus Christus qui est Summus Pontifex te absolvat, & ego auctoritate &c.*

Quęres denique: an valida fore absolutio à pluribus simul Sacerdotibus data.

Resp. validam fore, si præcesserit pluribus facta confessio. Nulla quippe satis firma ratio videtur, cur nulla illa foret absolutio: neque eo in casu multiplex foret Pœnitentiæ Sacramentum, sed unicum ad eundem effectum ordinatum, & unam eandemque habens materiam, cui multiplex forma adaptaretur. Sicut quando Sacerdotes recenter inaugurati eandem cum Episcopo consecrant hostiam, non multiplex est Eucharistiæ Sacramentum, licèt forma consecrationis à pluribus proferatur supra unam & eandem materiam.

## QUÆSTIO DECIMA.

### *De ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

Circa ministrum Pęnitentię ista sunt totidem Articulis expendenda.

I. quis sit à Christo Domino institutus Sacramenti Pœnitentiæ minister.

II. an ut valida sit absolutio, præter Ordinis potestatem requiratur in ministerio jurisdictio.

III. an necesse sit Sacerdotem esse ab Episcopo approbatum, ut validè absolvat.

IV. quis possit absolvere à casibus reservatis.

ARTI-

## ARTICULUS PRIMUS.

*Quis sit à Christo institutus Sacramenti Pœnitentiæ minister idoneus.*

INter articulos Joannis Wiclef damnatos in Concilio Constantiensi, iste recensetur, *Laicum*, *si vir frugi fuerit*, *clavium potestatem à Christo accepisse*. Inde est quòd Martinus V. voluit eos, qui suspecti errant erroris Wiclef, interrogari num crederent, *quòd Christianus*, *ultra contritionem cordis*, *habita copia Sacerdotis idonei*, *teneatur de necessitate salutis confiteri Sacerdoti*, *& non Laico seu Laicis*, *quantumcunque bonis & devotis*. To. 12. Conc. p. 269. E.

Waldenses, teste Reinero L. 5. existimabant bonum Laicum, non verò malum Sacerdotem habere potestatem absolvendi.

Palavicinus Lib. 12. Hist. Concilii Trid. cap. 10. inter articulos Novatorum qui à Patribus expensi & damnati sunt, hunc refert, *Sacerdotes non habere potestatem ligandi & solvendi*, *nisi Spiritus sancti gratia & charitate sint præditi*; *& non eos solos esse ministros absolutionis*, *sed omnibus & singulis Christianis esse dictum*: *Quæcunque solveritis &c. quorum verborum virtute absolvere possunt peccata*. Non tamen apud ipsos omnes promiscuè Laici ministerium verbi aut Sacramentorum exercent, sed soli Ministri, tanquam delegati à tota communitate seu societate, cui potestas seu auctoritas ministerii concredita fuit. To. 1. p. 315.

Morinus L. 8. de Pœnit. c. 23. existimat Diaconis olim concessum fuisse, & audire pœnitentes confitentes, & eos sacramentaliter absolvere, cùm vel urgebat necessitas, vel nullus aderat Episcopus vel Sacerdos.

### CONCLUSIO.

Soli Episcopi & Sacerdotes habent à Christo derivatam absolvendi à peccatis auctoritatem: non Diaconi, non Laici.

Probatur primò: quia ipsis solis dixit Christus Joan. 20. v. 21. *Accipite Spiritum sanctum*, *quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*; *& quorum retinueritis*, *retenta sunt*. *Quo tam insigni facto*, ait Concilium Trid. Sess. 14. c. 1. *& verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata*, *ad reconciliandos Fideles post Baptismum lapsos*, *Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam*, *universorum Patrum consensus semper intellexit*. Et cap. 6. ejusdem Sess. *Circa ministrum*, inquit, *hujus Sacramenti*, *declarat sancta Synodus*, *falsas esse & à veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes*, *quæ ad alios quosvis homines*, *præter Episcopos & Sacerdotes*, *clavium ministerium perniciosè extendunt*, *putantes verba illa Domini*, Quæcunque alligaveritis super terram &c. *ad omnes Fideles indifferenter & promiscuè*, *contra institutionem hujus Sacramenti*, *ita fuisse dicta*, *ut quivis potestatem habeat remittendi peccata*. Idem definit Can. 10. Idem jam definierat Concilium Constantiense adversùs Wiclefum, contra quem extat Decretalis Martini V. ubi inter cætera dicit, *quòd nec beata Virgo Deipara hanc habuerit potestatem*, (nempè absolvendi à peccatis) *propterea quòd ea potestas nec sanctitatem requirat*, *nec ab ea dependeat*. To. 14. Conc. p. 816. A. Ibid. p. 819. C.

Probatur 2. ex constanti & perpetua SS.Patrum Traditione.

T. 2. p. 391. B. S. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 2. loquens de potestate absolvendi à peccatis, *Jus hoc*, inquit, *solis permissum est sacerdotibus*.

T. 2. p. 516. D. S. Basilius in Regulis brevioribus ait, peccata necessariò aperienda esse iis *quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*, quos ait esse Sacerdotes.

T. 1. p. 605. S. Leo Epistola 91. ait divinitus esse ordinatum, *ut indulgentia Dei nonnisi supplicationibus Sacerdotum obtineri possit*. Plura hìc missa facimus SS. Patrum testimonia, præsertim cùm initio hujus Tractatus abundè istud fidei nostræ caput vindicatum sit, cùm Novatianos impugnabamus.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. auctoritatem S. Cypriani Epistola 12. quæ est ad Presbyteros

p. 25. & Diaconos Ecclesiæ Carthaginensis, in qua sic loquitur: *Quoniam video facultatem veniendi ad vos nondum esse, & jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis & gravibus infestatur, occurrendum puto fratribus nostris; ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud Presbyterum quemque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint; ut manu eis in pænitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres Litteris ad nos factis desideraverunt*. Tria eo in loco Diaconis permittit S.Cyprianus, in casu necessitatis. 1. ut exomologesim, hoc est confessionem lapsorum excipiant. 2. ut eis imponant manus in pœnitentiam. 3. ut pacem eis concedant, quam pro ipsis postulaverant Martyres, & cum qua ad Dominum ire possunt; quæ certè tria videntur demonstrare, S. Doctorem Diaconis potestatem fecisse sacramentaliter absolvendi à peccatis.

Respondent nonnulli, absolutionem illam sacramentalem à Diaconis quidem, non tanquam à veris ministris, sed interpretibus & internuntiis dumtaxat, nomine Episcoporum vel Sacerdotum, delatam fuisse, pro more tunc recepto deferendi ad absentes pœnitentes absolutionem, quod exemplo illustri Serapionis apud Eusebium L. 6. cap. 44. confirmari posse contendunt. Id verò eo verisimilius esse putant, quòd inter Martyres carceribus detentos, multi forent Episcopi & Sacerdotes, qui lapsorum votis annuentes pacem eis concesserant, sicut testantur iidem Martyres apud S. Cyprianum Epistola 16.

Respondent alii, nihil esse in citato S.Cypriani testimonio unde necesse sit inferre, pacem illam, cujus conferendæ potestatem facit Diaconis, veram fuisse sacramentalem à peccatis absolutionem.

Non ex voce *exomologesis*. Namque etsi diffiteri non possimus, hac voce sæpius apud Veteres significari sacramentalem confessionem peccatorum, nemo tamen negaverit, quin sæpissime quoque usurpetur ad significandam tùm ipsam integram pœnitentiam, tùm actionem illam solemnem, qua pœnitentes dimittebantur à stadio pœnitentiæ, & Ecclesiæ reconciliabantur; quo sensu usurpatur ab ipsomet S.Cypriano Epistolis 11. & 61. tùm etiam ad declarationem illam qua pœnitens affirmabat se pœnitentia imposita defunctum

ctum fuisse. Triplici verò isto sensu à S. Doctore nomen *exomologesis* usurpari, cùm permittit pœnitentibus, ut in necessitate eam apud Diaconos faciant, non verò prout significat sacramentalem peccatorum confessionem, inde patet vel maximè, quòd ejusmodi *exomologesis* sequatur pœnitentiam; at confessio peccatorum eam præcedit, non sequitur. Intelligit igitur vel declarationem adimpletæ pœnitentiæ, vel canonicam & ceremonialem cum Ecclesia reconciliationem, cujus conferendæ in absentia Episcopi vel Sacerdotis licentiam facit Diaconis: vel si placeat per illam *exomologesim* intellexisse S. Cyprianum confessionem peccatorum, pugnaciter non renuemus, modò velis eam sacramentalem non fuisse, hoc est ordinatam ad sacramentalem absolutionem per Diaconos conferendam, sed in signum duntaxat pœnitentiæ, humilitatis ac majoris pietatis factam esse.

Non *ex manus impositione*, quam vult fieri à Diaconis supra pœnitentes: quis enim ignorat illam, teste S. Augustino, fuisse duntaxat orationem? Quis ignorat à Clero etiam inferiori manus illas fuisse impositas?

Non denique *ex pace* quam ait à Diaconis posse dari. Quamquam enim fateamur pacis hujus nomine S. Cyprianum intellexisse tùm sacramentalem absolutionem à peccatis, tùm canonicam & ceremonialem reconciliationem cum Ecclesia, quæ clausula erat totius pœnitentiæ, attamen constat ex dictis superiùs, aliquibus in casibus datam esse vel solam sacramentalem absolutionem sine ceremoniali & reconciliatoria manus impositione, ut constat ex Can. 3. Concilii I. Arausicani; vel solam reconciliatoriam manus impositionem sine sacramentali absolutione, ut in casu quem proponit S. Cyprianus, nempè cùm urget mortis periculum, nec adest copia Episcopi vel Sacerdotis.

Instabis 1. S. Cyprianus permittit Diaconis, ut idem faciant quod fecisset Episcopus vel Sacerdos si adfuisset, & quidem iisdem planè verbis: atqui Episcopus & Sacerdos sacramentalem à peccatis absolutionem dedisset: ergo &c.

Resp. dist. maj. Permittit Diaconis ut idem faciant quod Episcopus vel Sacerdos fecisset, modò non excedat eorum potestatem, concedo: si excedat, nego. Porrò sacramentaliter absolvere à peccatis excedit potestatem Diaconis à Christo concessam. Cùm igitur S. Cyprianus iisdem verbis utitur ut exprimat pacem quam dedisset Episcopus vel Sacerdos, & cujus conferendæ licentiam tribuit Diaconis in casu necessitatis, exponi debet accommodatè & appositè ad potestatem Diaconorum; ita ut pacis illius nomine intelligatur, vel canonica & ceremonialis reconciliatio cum Ecclesia, qua restituebatur jus participandæ Eucharistiæ, vel ipsamet Eucharistia: uno verbo, hoc pacis nomine, quam vult à Diaconis posse concedi, intelligit id omne quod poterant Diaconi ex usu Ecclesiæ ac Christi ordinatione: sicut cùm de Episcopis & Sacerdotibus loquitur, intelligi quoque debet non tantùm ceremonialis & canonica reconciliatio cum Ecclesia, & Eucharistia, verùm etiam & sacramentalis absolutio à peccatis.

Instabis 2. Hanc ipsam Diaconi conferebant pacem, quam lapsi postulabant, quam Martyres ipsis concesserant per suos libellos, cum qua illi pœnitentes cum pace ad Dominum ire poterant: atqui pax ejusmodi est sacramentalis absolutio à peccatis; ergo &c.

Resp. dist. maj. Hanc pacem Diaconi conferebant, quam lapsi postulabant, sed non omnem, concedo: omnem, nego. Conferebant enim eam

quam

quam poterant pacem, non verò omnem quam lapsi illi pœnitentes efflagitabant. Accommodatè igitur, ut diximus, ad conditionem Diaconorum debet intelligi quæ fuerit pax ab illis data.

Objicies 2. nonnulla Veterum testimonia in gratiam Diaconorum.

Tom. 1. Conc. p. 971. B. Concilium Eliberitanum Can. 32. *Apud Presbyterum*, inquit, *si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit pœnitentiam agere non debere, sed potius apud Episcopum: cogente tamen infirmitate, necesse est Presbyterum communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jußerit Sacerdos.*

Pagina 1036. D Alcuinus L. de divinis Officiis, in capite de Jejunio, *Si necessitas*, inquit, *evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem, ac det sanctam communionem.* Eadem verba leguntur in antiquo Ordine Romano.

To. 10. Conc. p. 1792. E Concilium Eboracense an. 1194. *Decrevimus etiam*, inquit, *ut nonnisi summa & gravi urgente necessitate Diaconus baptiset, vel corpus Christi cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat.*

To. 11. Conc. p. 94. E. Concilium Londinense an. 1200. *Non liceat*, inquit cap. 3. *Diaconis baptisare vel pœnitentias imponere, nisi duplici necessitate: videlicet quia Sacerdos non potest, vel absens, vel stultè non vult, & mors imminet puero vel ægro.*

Odo Episcopus Parisiensis, ejusdem temporis auctor, in Statutis synodalibus statuto 56. *Prohibemus*, inquit, *districtè, ne Diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate: claves enim non habent, nec poßunt absolvere.*

Petrus Cantor in Summa fol. 205. dubitat, *num possit S. Pontifex ad tempus Diacono delegare potestatem clavium.*

Pagina 1713. Denique Caput, *Fures*. Extra. *De furtis*. 5. Decretalium titulo 18. *Fures*, inquit, *& latrones, si in furando & deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum; sed si comprehensi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.*

Resp. ad singula testimonia.

Concilium Eliberitanum communionis nomine intelligit vel canonicam cum Ecclesia reconciliationem, vel Eucharisticam communionem. Vide quæ superiùs dicta sunt.

Alcuinus per susceptionem pœnitentium intelligit externam eorum cum Ecclesia reconciliationem: jure quippè ordinario pertinebat ad Episcopos, aut Sacerdotes, solemniter reconciliare pœnitentes; in casu verò necessitatis, id Diaconis permittebatur: at Diaconis unquam concessam esse facultatem absolvendi à peccatis, expresse negat ipse Alcuinus. *Claves enim regni cœlestis*, ait, *solis Episcopis vel Presbyteris traditæ sunt.* Et Synodus Pictaviensis an. 1280. hunc abusum Diaconorum, tanquam erroneum

To. 11. Conc. p. 1140. B proscribit cap. 5. *Abusum*, inquit, *erroneum qui in nostra Diœcesi ex perniciosa ignorantia inolevit, eradicari volentes, inhibemus, ne Diaconi confessiones audiant, & ne in foro pœnitentiali absolvant: cùm certum & indubitatum sit ipsos absolvere non posse, cùm claves non habeant, quæ in solo Sacerdotali Ordine conferuntur.*

Concilia Eboracense, Londinense, & Odo Parisiensis concedunt quidem Diaconis, ut in extrema necessitate confessiones excipiant, & imponant pœnitentiam; at jus absolvendi sacramentaliter à peccatis minimè concedunt. Mirum autem videri non debet, si data sit aliquando Diaconis

nis facultas audiendi confessiones moribundi, cùm & Laicus hoc etiam possit, docente S. Thoma in Supplemento q.8. art.2.

Petrus Cantor non dubitat an Diaconi solvere; sed, an ligare possint, usum clavium habere, generales confessiones audire, Missam ad tempus celebrare & ex delegatione S. Pontificis; quod dubium non solvit, quamvis ibidem asserat potestatem clavium solis Sacerdotibus competere.

In citato capite Juris Canonici error irrepsit: non enim legi debet, *Presbytero vel Diacono*; sed, *Presbytero & Deo*, sicut legitur in Can. 31. Concilii Triburiensis, ex quo istud Caput *Fures*, desumptum fuisse notatur.

Objicies 3. Potest Sacerdos esse minister extraordinarius Sacramenti Confirmationis: quidni pariter Diaconus Sacramenti Pœnitentiæ?

Resp. in rebus hujusmodi quæ pendent à voluntate libera Christi instituentis, paritatem ab uno ad alterum ductam non valere. Ratio autem disparitatis hæc potest afferri, quòd nempè character Episcopalis necessarius sit dumtaxat in ministro ordinario Confirmationis, non verò in ministro extraordinario: character verò sacerdotalis sit omninò necessarius ad conferendam sacramentalem à peccatis absolutionem.

Objicies 4. S. Jacobus Epistolæ 5. v. 16. ait: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Ergo Laici ipsi confessionem excipere possunt, quantò magis Diaconi?

Resp. sensum S. Jacobi esse, ut omnes candidè fateamur nostra peccata, ea non dissimulemus, non excusemus; ut nempè pro nobis invicem apud Deum oremus. De sacramentali verò peccatorum confessione non est quòd teneamur textum hunc interpretari; aliàs non tantùm Diaconi, sed & quilibet Laicus posset sacramentalem excipere peccatorum confessionem. Non desunt quidem exempla confessionis factæ Laicis, ut ostendit Morinus L.8. c.24. sed eam sacramentalem fuisse negamus: ex pietate enim, humilitate, ac majoris pœnitentiæ sensu nonnulli aliquando Laicis sua confessi sunt peccata.

## ARTICULUS II.

### *An præter Ordinis potestatem requiratur in Sacerdote jurisdictio, ut validè absolvat.*

POtestas Ordinis ea est quæ confertur per Ordinationem, his verbis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*

Potestas jurisdictionis est potestas regendi & gubernandi plebem subjectam. Duplex est: una ordinaria, quæ ex Officio; altera delegata, quæ ex commissione habetur. Prior convenit iis omnibus quibus ex Officio & titulo Beneficii incumbit animarum cura, tales sunt SS. Pontifices, Episcopi, Parochi &c. Quæritur igitur, utrum præter Ordinis potestatem, quæ omnibus Sacerdotibus communis est, requiratur jurisdictio in certas personas, sive ordinaria, sive delegata, ut earum confessionem validè excipere possit Sacerdos, & absolutionem dare.

CON-

## CONCLUSIO.

Præter Ordinis potestatem requiritur in Sacerdote, ut validè absolvat, jurisdictio à priori potestate distincta.

Probatur ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 7. *Quoniam igitur*, inquit, *natura & ratio Judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

To. 14. Conc. p. 810. A.

Circa quem Concilii locum hæc observari debent.

I. Quod hic à Concilio declaratur, tam esse certum ac exploratum, ut de illo nulla unquam excitata fuerit in Ecclesia disputatio. Et verò cuique in veteri Ecclesiæ disciplina vel tantisper versato notum est, sine Episcopi licentia Sacerdotes non potuisse aut pœnitentiam imponere, aut absolutionem impertiri, vel alia etiam sui Ministerii officia exercere. Vide S. Ignatium in Epistola ad Smyrnæos, Tertullianum Lib. de Baptismo cap. 17. Conc. Eliber. Can. 32. Carthaginense III. c. 32.

II. Supponere Concilium esse aliquos Sacerdotes, qui nec ordinariam, nec delegatam habent potestatem jurisdictionis: unde sequitur talem potestatem omninò distinctam esse à potestate Ordinis, quæ æqualis est in omnibus Sacerdotibus. Jam dixerat Concilium Florentinum in Decreto, *Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi, ordinariam, vel ex commissione Superioris*: at istud inutile prorsus fuisset addere, si omnibus Sacerdotibus vi ordinationis suæ jurisdictio concederetur necessaria ad validè absolvendum.

To. 13. Conc. p. 538. B.

III. Hanc potestatem jurisdictionis necessariam esse constat, vel ex ipsa conditione Judicii, quod ferri non potest nisi in subditos, in quos jurisdictio exerceri potest.

IV. Absolutionem datam à Sacerdote non habente jurisdictionem ordinariam aut delegatam, nullam & invalidam esse: seu, ut loquitur Concilium, *nullius momenti*: nullus enim major est defectus, quàm potestatis, in eo qui juridicè agit. Id jam definierat an. 1215. Synodus generalis Lateranensis famoso Can. 21. *Omnis utriusque sexus*. Ibi enim mandat, *ut omnis utriusque sexus fidelis saltem semel in anno confiteatur peccata sua proprio Sacerdoti; quòd si voluerit alieno Sacerdoti confiteri, licentiam prius postulare debeat & obtinere à proprio Sacerdote, cùm aliter ille ipse non possit absolvere, vel ligare*, quibus certè ultimis verbis significat Synodus, jurisdictionem, quam tunc temporis, ut suprà observavimus, vel conferebant Parochi, vel saltem quam non conferebant Episcopi nisi de consensu Parochorum, jurisdictionem, inquam, illam planè necessariam esse in Sacerdote ut validè absolvat.

To. 11. Conc. p. 173. A. B.

### *Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. Quilibet Sacerdos accepit in Ordinatione sua potestatem absolvendi à peccatis, sicut & consecrandi corpus Christi; ergo nihil ultrà requiritur.

Resp.

Resp. dist. ant. Accepit potestatem absolvendi à peccatis, radicalem, inchoatam, & ex parte principii activi, concedo: completam, & ex parte principii passivi, nego. Neque enim censetur potestas illa ultimò completa, nisi accedente jurisdictione & assignatis subditis in quos exerceri illa possit. Eo ferè modo quo si quis esset à Rege Judex institutus, nec ipsi assignaret subditos quorum lites dirimeret, sed Provinciæ Gubernatoribus curam hanc demandaret, ut nempè certos subditos huic Judici assignarent, certè Judex ille accepisset à Rege potestatem judicandi inchoatam, quæ completa non evaderet, nisi cùm Provinciæ Gubernator subditos ipsi designasset. Ita res se habet in Sacramento Pœnitentiæ. Quilibet Sacerdos accipit à Christo in Ordinatione sua auctoritatem absolvendi à peccatis inchoatam & incompletam dumtaxat, quia Christus ipse subditos cuilibet Sacerdoti non assignavit, sed hoc Ecclesiæ curæ ac providentiæ commisit: potestas ergo illa completa non evadit, nisi cùm Superiores Ecclesiastici cuilibet Sacerdoti subditos assignant, in quos jus dicere possint.

Instabis 1. Eam Sacerdotes accipiunt in Ordinatione sua potestatem absolvendi, quam acceperunt ipsi Apostoli: atqui Apostoli, vi verborum istorum, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.*, absque ulla ulteriori jurisdictione completam habuerunt potestatem absolvendi à peccatis; ergo &c. *Joan. 20. v. 23.*

Resp. nego min. Namque speciali missione opus habuere Apostoli, quam revera acceperunt his verbis, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos &c.* Ergo præter auctoritatem his verbis comprehensam, *Quorum remiseritis peccata*, indigent Sacerdotes missione, hoc est jurisdictione: quamquam satis accurata non est quoad omnia paritas Apostolorum cum aliis omnibus Sacerdotibus. *Ibid. v. 21.*

Instabis 2. Eam potestatem in Ordinatione sua acceperunt Sacerdotes, quæ essentialis est ut exerceatur Judicium: atqui jurisdictio est essentialis; ergo acceperunt jurisdictionem necessariam.

Resp. dist. maj. eam radicalem, incompletam & inchoatam saltem acceperunt potestatem quæ essentialis est, concedo: completam, nego. Completa enim non est jurisdictio, nisi cùm assignantur subditi. Esto acceperint Sacerdotes in Ordinatione sua jurisdictionem inchoatam, & ex parte principii activi, non tamen illam completam acceperunt, quasi nihil amplius in ipsis desideretur: necesse enim est, ut dixi sæpius, ipsis assignari subditos, in quos judicium seu sententiam pronuntiare valeant.

Instabis 3. Subditi in quos Sacerdos quilibet potest auctoritatem suam exercere, sunt omnes Christiani qui sua volunt confiteri peccata, & se subjicere clavibus Ecclesiæ.

Resp. omnem & quemlibet Fidelem posse quidem esse subditum in quem Sacerdos quilibet inchoatam saltem habet auctoritatem, quæ completa fit ubi accedit auctoritas Ecclesiæ, quæ tales Fideles his & illis Sacerdotibus subjicit: hanc etenim subordinationem exigit recta regiminis Ecclesiastici ratio & disciplina.

Instabis 4. Sequitur inde, Sacerdotes ab Ecclesia suam habere absolvendi facultatem, non à Christo; quod sanè perabsurdum esse demonstrant verba hæc, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*

Resp. nego sequelam. Sequitur enim dumtaxat, Ecclesiam assignare subditos;

eo

eo ferè modo quo in exemplo paulò antè adducto, Provinciæ Gubernator non confert Judicii auctoritatem judicandi, quam supponitur acceptam habere à Rege; sed ipsi certos assignat subditos, in quos potestatem illam hìc & nunc valeat exercere.

Objicies 2. Sine potestate jurisdictionis distinctæ à potestate Ordinis potest quilibet Sacerdos in mortis articulo absolvere quemlibet pœnitentem.

II. Potest absolvere eum pœnitentem qui inculpabiliter ignorat illum qui absolvit non habere requisitam jurisdictionem.

III. Potest absolvere eum qui venialia dumtaxat confitetur, vel etiam mortalia peccata jam dimissa.

IV. Qui titulum Beneficii coloratum dumtaxat habet, verè jurisdictionem non obtinet, attamen validè absolvit.

V. Sine tali jurisdictione validè absolvuntur peregrini, viatores, vagabundi, &c.

Resp. ad primum, in casu mortis Ecclesiam cuilibet Sacerdoti concedere necessariam jurisdictionem: nulla etenim eo in casu reservatio est, ait Concilium Trid. Sess. 14. Can. 7.

Ad secundum, falsum est quod supponitur; nullus enim major est defectus, quàm potestatis: quamtumvis igitur pęnitens inculpabiliter ignoret Sacerdotem non habere jurisdictionem, non valet ab illo data absolutio sicut non valeret, si existimaret illum esse Sacerdotem, & tamen non esset.

Ad tertium, eo in casu censetur tacito quodam consensu Ecclesia sufficientem dare jurisdictionem; quia nempè nulla lege tenetur pęnitens ad confessionem sacramentalem venialium, aut etiam mortalium peccatorum quæ jam dimissa sunt.

Ad quartum, cùm error communis faciat jus, ut dicitur; qui titulum Beneficii dumtaxat coloratum habet, sufficienti jurisdictione instructus censetur.

Ad quintum, concedit Ecclesia in ejusmodi vagabundos & peregrinos cuilibet Sacerdoti approbato jurisdictionem.

## ARTICULUS III.

### *De approbatione Episcopi necessaria in Sacerdote, ut validè absolvat.*

Quæstio hìc est de approbatione Episcopi necessaria Sacerdotibus, tam Sæcularibus quàm Regularibus, ut validè excipiant sæcularium confessiones: Regulares enim privilegiati seu exempti non indigent approbatione Episcoporum, ut suorum Regularium confessiones audiant; sed sufficit ut sint à suis Superioribus admissi & approbati.

Approbatio autem Episcopi nihil aliud est, quàm testimonium juridicum quo Episcopus fidem facit, se ad confessiones in sua Diœcesi audiendas talem Sacerdotem approbasse & deputasse. Suprà, cùm de proprio Sacerdote, occasione Canonis *Utriusque sexus*, diximus, observatum fuit, Concilii Lateranensis ætate approbationem distinctam fuisse à jurisdictione; istam à Parochis, ita consentientibus Episcopis, datam fuisse; illam verò ab Episcopis.

pis. At posteà, præsertim verò in Concilio Tridentino, mutata est disciplina, & jurisdictio ab Episcopi approbatione amplius non distinguitur; sed eo ipso Episcopus jurisdictionem confert, quo approbat. Hoc posito, sit

## CONCLUSIO.

Nullus Sacerdos, sive Regularis sive Sæcularis, potest validè absolvere, nisi habeat aut parochiale Beneficium, aut sit ab Episcopo approbatus.

Probatur ex Concilio Tridentino Sess. 23. de reformatione cap. 15. *Decernit sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*: privilegiis & consuetudine quacunque, etiam *immemorabili, non obstantibus.* Quibus postremis verbis revocat Synodus ea omnia SS. Pontificum privilegia, quibus indulgent Regularibus facultatem audiendi Fidelium confessiones, non petita nec obtenta Episcoporum licentia & approbatione. To. 14. Conc. p. 869. E.

Istud verò Concilii statutum in Gallia promulgatum ac receptum fuisse, testantur tùm plurima Concilia particularia in executionem hujusce Decreti celebrata, Rothomagense, an. 1581. Burdigalense an. 1583. Aquense an. 1585. Tolosanum an. 1590. Narbonense an. 1609. Tum Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1625. 1635. 1645. *Nullus ita sit temerarius*, ajunt Patres Gallicani, *ut ingerat se audiendis confessionibus, quin ad id facultatem scripto traditam ab Episcopo aut ejus Vicario generali obtinuerit. Et Religiosi, quamvis exempti ab illius jurisdictione, excipere non poterunt confessiones, quin priùs examen subierint, ab eoque aut ejus Vicario generali approbati fuerint, ex quorum nutu pendebit ut indefinitam aut ad tempus solùm facultatem concedant.*

Inde est quòd Pius IV. S. P. in Bulla quæ incipit, *In Principis Apostolorum*, data an. 1565. omnia & singula privilegia Regularibus concessa revocat ad terminos Concilii Trid. *Omnia illa & singula*, inquit, *privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, indulta, confessionalia, Mare magnum, & aliæ gratiæ in his omnibus & singulis, in quibus illa statutis & decretis Concilii Tridentini contrariantur, ipso jure revocata, cassata & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta sint & esse censeantur.* Bullar. Rom. To. 2. p. 101.

Urbanus pariter VIII. S. P. in Bulla quæ incipit, *Cùm sicut accipimus*, an. 1628. sic pronuntiat. *Omnia & singula indulta hujusmodi audiendi sæcularium confessiones, absque Ordinarii examine & approbatione, quibusvis Collegiis, Capitulis, Apostolica auctoritate... concessa, tenore præsentium cassamus, revocamus, tollimus, abrogamus & annullamus.* Ib. T. 4. p. 103.

Probatur 2. ex Censura qua tùm Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1656. tùm Alexander VII. S. P. an. 1659. confixere Propositiones istas à quibusdam Regularibus Andegavensibus propugnatas.

Prima hæc erat: *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcularium confessiones audire possint; neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt,* Nov. Mem. du Clergè, To. 1. p. 658.

*sunt, cùm in Gallia receptum non sit præterquam in decisionibus Fidei. Neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata. Propositio ista*, ait Censura, *est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim & schisma inducens, sacro Concilio Tridentino & Sedi Apostolicæ injuriosa.*

*Ibid.* Secunda propositio hæc erat: *Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quin imò Ordinum mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; & si ab Episcopis Religiosi non approbantur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset. Propositio hæc*, ait Censura, *complexè accepta est falsa, temeraria, scandalosa & erronea.*

*Ibid.* Tertia propositio: *Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi sæculares à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas illa ipsis indulta non fuerit. Propositio hæc*, ait Censura, *quoad primam partem, est falsa, & saluti animarum perniciosa: quoad secundam partem est falsa, auctoritati Episcoporum & Sedi Apostolicæ injuriosa.*

Idem S. Pontifex Alexander VII. sequentes propositiones damnavit Decreto dato die 24. Sept. an. 1665.

*Recueil des Bulles, p. 458.* Duodecima, *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

*Ibid.* Decima tertia, *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

Et in altero Decreto dato die 18. Martii an. 1666. damnavit istam propositionem, *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.* *Ibid. p. 463.*

Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1655. declarat, *nullam esse occasionem in qua S. Pontifex Regulares non mittat ad Episcopos, ut ab iis accipiant facultatem audiendi Fidelium confessiones: quam facultatem non habent nisi reipsa sint ab Episcopis approbati*. Hinc est quòd cùm Innocentius X. approbasset Decretum sacræ Congregationis Interpretum Concilii Tridentini, quo statuebatur, *Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, quin à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in albis inclusivè administrare valeant sæcularibus personis Sacramentum confessionis*, hinc, inquam, est quòd Clerus Gallicanus reclamaverit adversùs tale Decretum, scripta eam in rem ad S. Pontificem Innocentium X. Epistola die 16. Decemb. an. 1645.

Ex quibus inferes, derogatum fuisse iis omnibus SS. Pontificum Constitutionibus quibus indulgent Regularibus facultatem audiendi confessiones Fidelium, non petita nec obtenta Episcoporum licentia. Sic derogatum est Clementinæ, *Dudum*, editæ in Concilio Viennensi, per quam satis erat Mendicantibus petere approbationem ab Episcopo, quæ si recusaretur, ipso facto concessa habebatur. Derogatum pariter Bullæ Leonis X. approbatæ in Concilio Lateranensi (octo dumtaxat reclamantibus Episcopis) qua dicitur, *eos qui Regularibus præsentatis, admissis, vel etiam indebitè recusatis, confitentur, satisfacere Canoni, Utriusque sexus*. Ista, inquam, clausula, *vel etiam*

*inde-*

*indebitè recusatis*, planè revocata censetur, perinde ac similis quæ extat in Extravaganti Benedicti XI. quæ incipit, *Inter cunctas*. Namque Concilium Tridentinum jubet ut Regulares habeant approbationem Episcopi: qui autem (quamquam si velis indebitè) recusantur, eam non habent. Quàm multis verò dissidiis & incommodis viam aperiret dicta clausula, si obtineret, nemo non intelligit: quotquot enim repulsam ab Episcopo paterentur, semper possent obtendere se indebitè fuisse recusatos. Idem dicendum de Constitutione Clementis X. an. 1670. quæ videtur nonnulla continere contraria juribus Episcoporum in danda vel limitanda, aut etiam revocanda approbatione, sive sæcularibus, sive regularibus Presbyteris data. Unde ad postulationem Cleri Gallicani Senatus Decreto cautum est die 27. Sept. an. 1670. *ne quis Bullam hanc imprimere, divendere, & distribuere auderet*. Et altero Sanctioris Consilii Edicto statutum fuit, *ut posthabito Senatus Burdigalensis Decreto, Mandata Episcopi Agennensis, quibus edixerat an. 1666. & 1668. nullum Regularem sine sua approbatione posse in sua Diœcesi confessiones audire, & absolvere à reservatis, suum robur habeant*. Ibidem statuit Rex, *Episcopos non teneri ad reddendam rationem recusatæ suæ approbationis*.

Probatur 3. ex declaratione Regularium data Eminentissimo Cardinali Richelæo die 19. Februarii an. 1633. qua profitentur, tam suo quàm aliorum Galliæ Regularium nomine, necessariam sibi esse Episcoporum approbationem ad validè excipiendas Fidelium confessiones, quam revocare ad nutum illi possunt.

Quæres 1. cujusnam Episcopi necessaria sit approbatio: an pęnitentis, an Sacerdotis, an verò loci in quo Sacerdos confessiones excipit.

Resp. illius Episcopi necessariam esse approbationem, in cujus Dięcesi Sacerdos audit confessiones. Ab illo enim debet approbari, à quo jurisdictionem accipit: atqui jurisdictionem accipit ab Episcopo loci in quo audit confessiones.

Quæres 2. an necesse sit approbationem scripto dari.

Resp. ad valorem absolutionis indifferens esse, sive voce, sive scripto detur approbatio. Tutius tamen est ac convenientius, ut scripto detur, cùm sit hæc approbatio publicum testimonium probitatis & peritiæ Sacerdotis.

Quæres 3. utrum necesse sit approbationi præire examen.

Resp. illud ex arbitrio Episcopi omnino pendere.

## ARTICULUS IV.

### *De absolutione à casibus reservatis.*

QUæres 1. an sit penes S. Pontificem & Episcopos facultas sibi reservandi quædam peccata, à quibus non possint absolvere inferiores Sacerdotes, quamvis approbati ad confessiones audiendas.

Resp. affirmativè. Ita Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 7. *Magnoperè*, inquit, *ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia tradita, causas aliquas crimi-* T. 14. Conc. p. 810. A.

*num graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubit. est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcop. omnibus, in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.* Doctrinam hanc Can. 11. definit eadem Synodus.

Quæres 2. quis possit absolvere à casibus reservatis.

Resp. 1. eos qui reservarunt, aut inferioribus Sacerdotibus facultatem concesserunt absolvendi ab illis reservatis.

Resp. 2. in articulo mortis nullam esse reservationem. Ita Concilium Tridentinnm loco mox citato.

Resp. 3. Episcopum absolvere posse à casibus reservatis S. Pontifici eos qui ob legitimum impedimentum, sive temporale, sive spiritale, non possunt S. adire Pontificem. Colligitur ex cap. *Mulieres*. Cap. *Ea noscitur*. Cap. *Quamvis*. Quibus in locis licèt fiat tantùm mentio excommunicationis ob percussionem Clerici, tamen eadem regula ad casus omnes S. Pontifici reservatos extendi solet.

Resp. 4. posse Episcopum absolvere à casibus reservatis S. Pontifici, si occulti sint. Ita Concilium Trid. Sess. 24. de reformatione cap. 6. *Liceat*, inquit, *Ibid. p. 88. C.* *Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus... & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputatum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita penitentia salutari.*

Quæres 3. an Regulares privilegiati possint absolvere à casibus Episcopo reservatis, non accepta priùs ab eo speciali licentia.

Resp. non posse. Patet ex dictis hìc Articulo 3. non possunt enim regulares & sæculares Sacerdotes validè absolvere, nisi jurisdictionem habeant ab Episcopis & approbationem: at quando casus aliqui reservantur ab Episcopo, jurisdictionem aliis censetur auferre erga tales casus.

Quæres 4. an Superior teneatur consentire pœnitenti per se vel per alium postulanti facultatem ut ab inferiori Sacerdote approbato absolvatur à reservatis.

Resp. vulgò teneri, quia juxta S. Th. in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiuncula 4. ad 6. peccat Superior qui difficilem se præbet in hac concedenda facultate. Rationem adducit S. Doctor: *Quia multi sunt adeo infirmi, quòd potius sine con-* *T. 10. pa. 328. col. 2. B.* *fessione morerentur, quàm ut tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur.* Et sanè jurisdictio data non est Superiori propter auctoritatem vel utilitatem ipsius, sed propter bonum pœnitentis; seu, ut loquitur Concilium Tridentinum, non est data in destructionem, sed in ædificationem.

Quæres 5. an qui confessus Sacerdoti habenti potestatem absolvendi à reservatis, omisit ex oblivione confiteri reservata peccata, teneatur postmodum illa tanquam reservata confiteri.

Resp. affirmativè, quia satisfactum non fuit intentioni reservantis, ut scilicet peccata hujusmodi subjicerentur Superiori, vel habenti jurisdictionem ab eo.

Quòd

Quòd si tamen intendisset Superior, vel alter habens potestatem, tollere reservationem, jam satis esset alteri Sacerdoti confiteri. Quo sensu communiter admittunt omnes, eum, qui tempore Jubilæi omisit aliqua peccata reservata ex oblivione, non teneri ea postmodum confiteri tanquam reservata: sive quia S. Pontifex tollit tunc omnem reservationem, sive quia Sacerdos absolvens virtute Jubilæi intendit tollere omnem reservationem.

Quæres 6. an qui Superiori vel habenti facultatem invalidè confessus est, teneatur iterum sua peccata tanquam reservata confiteri.

Resp. 1. non teneri, si confessus est Superiori qui reservavit. Nam ut Superior tollat reservationem, non requiritur confessio valida, sed sufficit ut eam velit tollere reservationem.

Resp. 2. teneri, si tantùm confessus sit habenti potestatem delegatam. Nam habens hujusmodi potestatem potest solummodò absolvere sacramentaliter, & non extra Sacramentum; unde si extra Sacramentum tollere velit reservationem, nihil operatur: at non absolvit sacramentaliter, quando pœnitens invalidè confessus est.

Quæres 7. utrum Fidelis possit in aliena Diœcesi absolvi à casibus quos proprius ejus Episcopus sibi reservavit.

Resp. affirmativè. Ratio est, tùm quia reservatio non afficit Presbyterum, sed pœnitentem; tùm quia sequitur ille loci in quo confitetur disciplinam & leges: unde si confitcatur in aliena Diœcesi, in qua peccatum aliquod sit Episcopo reservatum, quod tamen reservatum non sit in sua Diœcesi, tenetur adire Superiorem aut aliquem ab eo delegatum, à quo possit absolvi. Observa tamen, quòd si pœnitens in fraudem legis ac disciplinæ quæ in sua Diœcesi viget, ad aliam eo animo tenderet ut posit faciliùs absolvi, reverà non absolveretur, ac graviter peccaret; nemini quippe sua fraus debet patrocinari.

# QUÆSTIO UNDECIMA.

*De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.*

QUæ pertinent ad effectus Pœnitentiæ quatuor quæstionibus exponit S. Th. scilicet 86. 87. 88. & 89. tertiæ partis; quæ sequentibus Articulis hic prosequemur.

In 1. agemus de effectu Pœnitentiæ quoad peccata mortalia.

In 2. de effectibus Pœnitentiæ quoad peccata venialia.

In 3. de virtutum & meritorum recuperatione, seu per Pœnitentiam reviviscentia.

In 4. de reditu peccatorum per Pœnitentiam dimissorum.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De effectu Pœnitentiæ quoad peccata mortalia.*

QUæres 1. utrum aliquod sit tam enorme peccatum mortale, quod non posit per Pœnitentiam deleri.

Resp. negativè. Patet ex dictis initio hujus Tractatus. Ratio est, inquit S. Th. quia quòd aliquod peccatum non possit deleri per Pœnitentiam, contingere potest dupliciter: vel quòd aliquis de peccato pœnitentiam agere non possit; vel quòd peccatum non posit deleri per Pęnitentiam. Neutrum dici potest. Non primum: sic enim tolleretur arbitrii nostri libertas, & virtus gratiæ. Non secundum: quia repugnat divinæ misericordiæ, de qua dicitur Joelis 2. v. 23. *Benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ.*

Quæres 2. utrum peccatum mortale remitti posit absque pęnitentia.

Resp. 1. nunquam remitti posse absque pęnitentia, quatenus virtus est includens odium & detestationem vitæ prioris, & propositum futuræ melioris, *Nisi pęnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, ait Christus Luc. 13. v. 3. 5.

Resp. 2. remitti posse per contritionem perfectam absque Sacramento re percepto, sed non sine ordine ad illud. Vide quæ suprà dicta sunt, ubi de contritione perfecta.

Quæres 3. utrum pœnitentia necessaria ad remissionem peccati mortalis debeat esse formalis, an verò virtualis sufficiat.

Resp. sufficere virtualem, quia sufficit amor Dei super omnia, ex motivo perfectæ charitatis: sed amor ille est virtualis pęnitentia, ergo &c.

Quæres 4. utrum unum peccatum mortale remitti posit per pœnitentiam sine alio.

Resp. negativè, quia non tollitur unum peccatum, nisi per inhærentem gratiam sanctificantem: atqui hæc compati non potest cum actuali peccato: aliàs fieri posset ut quis simul esset in gratia, & damnatione; simul pęnam æternam propter peccatum, & gloriam æternam propter gratiam mereretur: at id videtur planè absurdum & impossibile, *Nihil enim damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Rom. 8. v. 1.

Quæres 5. utrum remissio peccati mortalis sit omnino gratuita.

Resp. affirmativè. Ratio est, quia peccatum mortale secum importat privationem gratiæ; igitur non potest remitti sine gratia: at hæc planè gratuita est; in homine quippe peccato mortali infecto nihil est quod gratiam promereri posit.

Queres 6. an remissa culpa mortali semper tollantur omnes peccati reliquię.

Resp. negativè. Sicut enim post Baptismum remanet adhuc fomes peccati & concupiscentia, ita post dimissam per pœnitentiam culpam mortalem, sæpissimè remanet certa quædam animæ dispositio, seu habitus & infirmitas, qua inclinatur adhuc ad similes actus peccaminosos, quæ inclinatio & infirmitas, quamdiu in actum non erumpit, culpæ non imputatur.

Quæres 7. utrum remissio culpæ sit effectus pęnitentiæ quatenus est virtus, vel quatenus est Sacramentum.

Resp. effectum esse utriusque, principalius tamen pęnitentiæ quatenus est Sacramentum. Ratio est, quia pœnitentia quatenus est virtus, se habet tantùm tanquam dispositio prævia ad Sacramentum, vel ut pars materialis Sacramenti: atqui Sacramentum principalius agit, ex opere scilicet operato, tanquam instrumentum Christi efficax & operativum gratiæ sanctificantis.

ARTI-

## ARTICULUS II.

### *De effectu Pœnitentiæ quoad peccata venialia.*

QUæres 1. utrum peccata venialia remitti possint absque pœnitentia vel formali vel virtuali.

Resp. negativè. Quia peccatum veniale est vera offensa Dei; ergo remitti non potest sine voluntaria ejus retractatione saltem virtuali. Nec sufficit, inquit S. Thomas, habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis vel virtutis pœnitentiæ, quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum.

Quæres 2. utrum hæc virtualis pœnitentia necessaria ad remissionem venialium, debeat esse perfecta contritio, vel sufficiat attritio ex motivo supernaturali elicita.

Resp. sufficere attritionem. Ratio est, quia peccata venialia debent per pœnitentiam faciliùs remitti, quàm mortalia; sunt enim minora quovis peccato mortali, & qui est Dei amicus faciliùs veniam à levi culpa debet obtinere, quàm qui est inimicus Dei: atqui si ad eorum remissionem necessaria foret perfecta contritio, difficiliùs remitterentur venialia, quàm mortalia. Hinc est quòd S. Augustinus sæpius doceat, peccata venialia deleri per solam Orationem Dominicam.

Quæres 3. utrum peccata venialia remittantur per Sacramenta.

Resp. affirmativè: sunt enim Sacramenta causæ effectrices gratiæ per quam remittuntur venialia peccata perinde ac mortalia. Hinc justorum pia praxis, qui etsi sola habeant venialia peccata, sese clavibus Ecclesiæ subjiciunt per sacramentalem confessionem.

Quæres 4. utrum Sacramentalia remittant peccata venialia, etiam ex opere operato.

Resp. 1. ex dictis antea, ubi de Sacramentis generatim sumptis, per Sacramentalia Theologos intelligere res quasdam, vel sacras actiones ab Ecclesia institutas, quibus remissio peccatorum venialium tribui solet, non quidem ex opere operato, quia nulla est Christi promissio, qua effectus aliquis spiritualis sit infallibiliter annexus hujuscemodi Sacramentalibus; sed ex opere operantis, nempè Ecclesiæ fide, oratione, ac pietate illius, qui Sacramentalibus utitur.

Quæres 5. utrum veniale peccatum conjunctum in eodem homine cum peccato mortali, remitti possit sive quoad culpam, sive quoad pœnam sine illo.

Resp. nihil obstare. Nam ut remittatur peccatum veniale, sufficit & necessaria dumtaxat est illius detestatio: atqui potest aliquis sincerè detestari peccatum veniale, etiamsi non remittatur ei mortale. Sic potest v. g. aliquis, cùm se præparat ad confessionem omnium suorum peccatorum, sincero dolore affici, ac verè detestari cum aliquo Dei amore tùm peccata venialia, tùm mortalia: atqui tunc possunt remitti venialia, non remissis mortalibus, quia nempè attritio sola sufficit pro venialium remissione, ad remissionem verò mortalium præter attritionem requiritur confessio.

## ARTICULUS III.

### *De virtutum & meritorum reviviscentia per pœnitentiam.*

OBservandum est, triplex vulgò distingui à Theologis operum genus: alia scilicet sunt mortifera, alia mortua, alia mortificata.

Mortifera opera ea sunt, quæ mortem animæ afferunt; qualia sunt peccata mortalia.

Mortua, sunt morales & honestæ actiones quas homo elicit in statu peccati mortalis: cùm enim illæ actiones careant habituali gratia seu charitate, quæ vita est animæ, idcircò dicuntur opera mortua; talia sunt omnia opera facta in peccato mortali.

Mortificata verò opera illa dicuntur, quæ facta sunt ab homine justo, priusquam lapsus foret in peccatum mortale, quo hujusmodi operibus vita omnis interclusa fuit.

Non hìc agitur de mortiferis operibus; certum quippe est illa reviviscere non posse, quæ vitæ sunt incapacia: neque etiam de operibus mortuis; quod enim nusquam vixit, reviviscere non potest: atqui opera mortua nunquam vixerunt, quia facta sunt extra gratiam sanctificantem seu vivificantem. De solis igitur operibus mortificatis hic movetur quæstio, utrum nempe illa per pœnitentiam subsequentem reviviscant, non quidem quasi iterum accipiant suum esse, quod in actione positum est, ac jam desiit; sed quoad suum effectum, seu jus illud quod contulerant suo auctori ad condignè obtinendam à Deo vitam æternam.

Duæ sunt ea de re opiniones. Prima negans, veterum scilicet quorumdam Theologorum, quorum meminit S. Thomas hìc art. 5. in corpore. Secunda affirmans, quæ communis est apud Theologos.

## CONCLUSIO.

**Bona justorum opera, & merita virtutum, per peccatum mortificata, beneficio pœnitentiæ subsequentis reparantur ac reviviscunt.**

Probatur 1. ex Scriptura, Joelis 2. Postquam v. 12. Deus dixit: *Convertimini ad me in jejunio, fletu, & planctu &c.* v. 25. inter beneficia quæ daturus illis est in mercedem conversionis hæc recensentur: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca.* Quæ verba S. Hieronymus exponit de restitutione bonorum spiritualium quæ per peccata deperdita fuerant.

Galatarum 3. postquam Apostolus v. 1. Galatas objurgavit, eo quòd Judaisantibus faciliùs crederent, sic pergit v. 3. *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cæperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa*, quibus verbis Apostolus Galatas multa primùm pro Christo passos, deindè in Judaismum prolapsos objurgat, & monet inutiles omninò fore omnes illas, quas pro Christo sustinuerunt afflictiones, nisi ad saniorem mentem redeant & agant pœnitentiam. Supponit igitur Apostolus illis ad saniorem

niorem mentem reversis ac pœnitentibus utiles futuras præteritas illas afflictiones.

Hebræorum 6. v. 10. *Non enim injustus Deus*, ait Apostolus, *ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis*. Quo loco, etiamsi de operibus mortificatis speciatim ac præcisè non loquatur Apostolus, sed universim de bonis Hebræorum fidelium operibus, quæ erga sanctos exercuerant, tamen cùm satis probabile sit, aliquos ex iis per peccatum à gratia excidisse, sicut inferri potest ex præcedentibus; idcircò colligi potest loqui Apostolum, tùm de bonis eorum operibus factis in gratia, tùm de iis quæ per veram pœnitentiam subinde reparata fuerunt. Hunc locum sic intellexisse videtur Conc. Trid. Sess. 6. cap. 16. ubi ait: *Justificatis hominibus sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda inter alia, hæc verba Apostoli: Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* T. 11. Conc. p. 763. C.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Ambrosius L. 1. in Lucam n. 33. *Vide*, inquit, *quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis: non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* T. 1. p. 1291. D. E.

S. Hieronymus in caput 3. ad Galatas: *Quicunque*, inquit, *ob fidem Christi laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora dicitur passus fuisse sine causa, dum peccat; sic rursus non perdet ea, si ad pristinam fidem & ad antiquum studium revertatur.* T. 4. par. 1. p. 251.

S. Chrysostomus in eundem locum dicit, quòd non frustra laboravit peccator, si revocet animum, & agat pœnitentiam. Edit. Comm. pagin. 1000.

Probatur 3. ratione theologica.

Prima, quia juxta Conc. Trid. Sess. 6. cap. 16. & Can. 32. tres dumtaxat conditiones requiruntur, ut opera nostra meritoria sint, ac suum præmium consequantur: prima est, ut sint opera hominis justificati. Secunda, ut facta sint in Deo, idest, gratia & auxilio Dei. Tertia, ut homo, qui ea fecit, tandem in gratia decedat, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverit, sive reparaverit amissam. Atqui hæ conditiones reperiuntur in meritis mortificatis, post actam pœnitentiam: certum quippe est merita nostra, antequam per peccatum mortificentur, duas priores habere conditiones; tertiam verò à pœnitentia mutuantur, per quam habitualis gratia conceditur homini, qui in ea finaliter perseverare potest. T. 14. Conc. p. 763. & 768.

Secunda ratio est, quia circa bona hominis opera plùs virium non habet culpa, quàm gratia; ergo si per culpam mortificantur, necesse est ut per gratiam, quæ & ipsam culpam perimit, denuò excitentur ac reviviscant.

Quæres, an merita in eodem perfectionis gradu, in quo primùm fuerant, reparentur ac reviviscant.

Resp. cum S. Thoma, præcedentia merita reparari ac reviviscere pro majori vel minori perfectione, seu intensione pœnitentiæ subsequentis. *Contingit*, ait sanctus Doctor 3. p. q. 89. art. 2. *intensionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiæ, quàm illa, à qua exciderat per peccatum: quandoque autem æquali; quandoque verò minori. Et ideò pœnitens quandoque resurgit in maiori gratia, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori.* Et in resp. ad 2. *Pœnitentia*, inquit, *quantum est de se, habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem statum: sed hoc quandoque impeditur*

*ex parte hominis, qui remissiùs movetur in Deum, & detestationem peccati.* Et art. 5. ad 3. *Qui per pœnitentiam resurgit in minore charitate, consequetur quidem præmium essentiale, secundùm quantitatem charitatis in qua invenitur. Habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus, quæ in secunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Quibus verbis declarat sanctus Doctor, eum, qui à peccatis resurgit per charitatem minorem ea, quam antea habuerit, præmium quidem essentiale beatitudinis reportaturum, sed in præmium prioris charitatis majoris, majus ipsi gaudium accidentale concedendum fore.

Dices 1. Ezechielis 18. v. 24. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo, &c.

Resp. loqui Prophetam de illo justo, qui à justitia excidit, & in peccato moritur; addit enim, *In prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.*

Dices 2. Peccata semel dimissa non reviviscunt quoad pœnam, per peccatum de novo commissum; ergo neque bona opera per peccatum mortificata reviviscunt quoad meritum, per pœnitentiam.

Resp. nego consequens. Ratio disparitatis est, quia quòd peccata semel dimissa non redeant, neque quoad culpam, neque quoad pœnam, species quædam est justitiæ, quia pro illis per applicationem meritorum Christi satisfactum fuit: at quòd bona opera, valore suo per peccatum amisso, suam primam vim recuperent, ex pura Dei misericordia & liberalitate profluit, quæ nobis manifestatur ex Scripturis. 2. Peccata sunt quædam debita, quibus homo justitiæ divinæ fit debitor, quæ quidem in justificatione ipsi à Deo relaxata fuere: cùm verò aliquis per sua peccata Deum offendit, ipsi quidem de novo fit debitor, sed veteribus debitis dimissis iterum non obligatur.

Quæres 1. quo jure bona opera justi lapsi mortificata reviviscant per pœnitentiam.

Resp. tria spectanda esse in reviviscentia bonorum operum. 1. id quod eam antecedit, nempe gratia sanctificans. 2. id quod eam sequitur, nempe retributio præmii. 3. id quod eam comitatur, nempe acceptatio divina, qua vult ut ea merita mortificata reviviscant.

Dico igitur 1. reviviscentiam illam spectatam ratione gratiæ sanctificantis, quæ præcedit, esse planè gratuitam; quia sanctificans illa gratia est gratuita.

Dico 2. si spectetur reviviscentia meritorum, ratione præmii quod eam sequitur, nempe ratione retributionis gloriæ, eam ex titulo justitiæ deberi, quia gloria est merces & corona justitiæ.

Dico 3. si spectetur reviviscentia formaliter, seu ratione acceptationis divinæ, eam gratuitam esse & ex mera Dei liberalitate. Non tenebatur enim Deus illa opera acceptare ad gloriam: potuisset enim absque ulla injustitia sub hac conditione promittere præmium nostris ex gratia meritis, si videlicet in gratia perseveraremus, neque postea ullum committeremus peccatum; igitur titulo fidelitatis Dei & liberalitatis reviviscunt illa opera.

Quæres 2. utrum gratia sanctificans ac virtutes infusæ per peccatum amissæ, per pœnitentiam redeant.

Resp.

Resp. affirmativè. Id patet tùm ex locis suprà citatis Scripturæ, tùm quia quidquid tam gratiæ sanctificantis, quàm juris ad gloriam aliquando fuit justo titulo ab homine acquisitum, & posteà per peccatum mortale deperditum, ei de suo peccato debitè pœnitenti restituitur à Deo.

Dices 1. Nunquam redit semel amissa innocentia, ut docet S.Th. 3.p. qu. 89. art. 3. in corpore; ergo nec amissa gratia.

Resp. nego consequens. Innocentia enim non est gratia nudè & simpliciter sumpta, sed est gratia nunquam interrupta, seu non amissa: atqui impossibile est eum qui semel amisit gratiam, hanc nunquam amisisse.

Dices iterum: Virginitas semel amissa nunquam recuperatur, juxta S. Hieronymum.

Resp. dist. ant. Nunquam recuperatur, quoad materiale, concedo: nam violata semel carnis integritas, non reparatur. Quoad formale, nempè propositum abstinendi ab omni voluptate venerea, nego. Cùm autem S. Hieronymus scribit, Deum non posse suscitare virginem lapsam, mens ipsius est, Deum efficere non posse ut virgo, quæ lapsa est, lapsa non sit. Consule S.Th. 1. p.q.25. art.4. ad 3. & 2.2.q.152. art.1. in corpore & art.3. ad 3.

Dices 3. Adamus non recuperavit justitiam originalem.

Resp. dist. ant. Justitiam originalem connotativè sumptam, prout includit perfectam subjectionem appetitus inferioris parti superiori, concedo: entitativè sumptam, prout est ipsamet gratia sanctificans, nego.

## ARTICULUS IV.

### *De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum.*

Quæstio est, utrum quemadmodum bona opera per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam, ita quoque peccata per pœnitentiam dimissa, redeant per subsequentia peccata.

Hujus autem quæstionis triplex sensus esse potest.

Primus, an peccata semel dimissa eadem numero redeant quoad actum.

Secundus, an redeant secundùm genus vel speciem.

Tertius, an redeant secundùm reatum atque maculam, ita ut nempè propter illud novum peccatum à Deo imputentur ad mortem æternam, perinde ac si dimissa nusquam fuissent.

Certum est 1. peccata semel dimissa nunquam redire eadem numero quoad actum; neque divina, neque humana virtute. Non divina, quia Deus auctor peccati non potest esse: non humana, quia fieri non potest naturaliter regressus à privatione ad eandem numero formam.

Certum est 2. peccata semel dimissa posse redire eadem secundùm genus vel speciem: nam justificatio non reddit hominem impeccabilem, nec donum perseverantiæ infallibiliter annexum est gratiæ justificanti.

Tota ergo difficultas est de reditu peccatorum dimissorum quantùm ad maculam & reatum.

Duobus verò modis dici possunt peccata redire quoad culpam. 1. ita ut redeant simpliciter. 2. ita ut redeant secundùm quid.

Simpliciter redire dicuntur, si ad novum peccatum redeat alia numero macu-

macula ejusdem conditionis cum macula peccati mortalis per pœnitentiam antea deleti; si redeat alius numero reatus, ejusdem quoque conditionis cum reatu peccati prioris dimissi, ita ut peccatum sequens pœnitentiam non solùm inducat maculam & reatum sibi proprium, sed etiam reducat antiquum, perinde ac si semper perseverasset, nec per pœnitentiam deletus fuisset.

Redire autem dicuntur secundùm quid, si peccatum sequens pęnitentiam gravius fiat, tam quoad maculam, quàm quoad reatum, propter præcedentia quæ remissa fuerunt.

Circa quam difficultatem tres sunt præsertim Theologorum opiniones.

Prima absolutè affirmat, per quodlibet peccatum mortale peccata per pęnitentiam dimissa redire.

Secunda vult ea quidem redire simpliciter, non per quodlibet peccatum, sed tantùm per aliquod ex quatuor istis, scilicet, per fraternum odium, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & dolorem de concepta pęnitentia, unde istud distichon.

*Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri.*
*Pęnituisse piget, pristina culpa redit.*

Tertia contendit non redire simpliciter peccata, sed tantùm secundùm quid, modo exposito. Itaque sit

## CONCLUSIO.

Peccata per pœnitentiam dimissa non redeunt simpliciter, seu formaliter, sed tantùm secundùm quid ac virtualiter.

Prima pars probatur 1. ex Scripturis, in quibus cùm mentio fit remissionis peccatorum, nulla legitur conditio de futuro apposita, v. g. si perseveremus in justitia. Sic Ezechielis 18. v. 30. simpliciter dicitur: *Convertimini & agite pęnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*. At si redirent illæ iniquitates secundùm reatum, essent in ruinam.

Id patet etiam ex singulari modo quo mundatio à peccatis in sacris Litteris describitur: v. g. cor pęnitentis dicitur mundum creari, & pęnitens dicitur dealbari supra nivem, Psal. 50. Isaiæ 1. quibus certè verbis Scriptura innuit, nihil esse in homine justificato unde redire possint, & imputari eadem peccata dimissa.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

T. 3. p. 816. S. Hieronymus in caput 18. Ezechielis ait justum antea peccatorem non pręgravari antiquis suis peccatis.

S. Prosper Lib. Responsionum ejus ad capitula objectionum Gallorum, Responsione ad secundam objectionem sic loquitur: *Qui recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non* Pa. 206. B. C. *in id quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur*.

Mitto alios.

Probatur 3. rationibus theologicis.

Prima est, quia non videtur divinæ justitiæ consentaneum, ut quod semel punitum à Deo est, iterum ab eodem puniatur. Porro peccata dimissa punita

punita fuere in ipso Christo, qui in se omnium nostrum iniquitates portavit; neque eas nobis dimisit Deus, nisi propter merita passionum Christi nobis applicata.

Secunda: Remittere peccatum, est ipsum non amplius imputare ad vindictam, juxta illud, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, &, *Beatus vir cui* Ps. 31. v. 1. & 2.
*non imputavit Dominus peccatum*. Ergo ubi vera est remissio alicujus peccati, non amplius potest illud imputari: atqui peccata verè remittuntur per sinceram pœnitentiam; ergo &c.

Tertia, quia sine pœnitentia sunt dona Dei, ut ait Apostolus Rom. 11. ergo non revocat veniam semel concessam, nec imputat ad pœnam peccatum antea dimissum.

Quarta: Absolutè & sine ulla de futuro conditione pœnitens in Sacramento Pœnitentiæ absolvitur ab omni peccato; ergo non redeunt illa: unde non imponitur lex iterum confitendi & subjiciendi clavibus Ecclesiæ peccata jam dimissa.

Secunda Conclusionis pars probatur.

I. Quicunque post acceptam remissionem peccatorum iterum mortaliter peccat, is in piorem damnationis statum recidit, qui erat effectus prioris peccati; & sicut relapsus in priorem morbum periculosior est, ita quoque culpa posterior gravior quodammodo fit priori.

II. Redire censentur illa peccata, ratione ingratitudinis qua gratiæ primùm acceptæ parum memor homo videtur.

III. ratione substractionis singularium & abundantium auxiliorum, quæ Deus novis peccatis offensus ita deinceps denegat, ut in graviora peccata subinde homo prolabatur.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. Exodi 32. v. 14. Deus placatus precibus Moysis dimittit populo idololatriæ peccatum: nihilominus v. 34. testatur se ulturum peccatum illud; ergo redeunt peccata dimissa.

Resp. nego ant. Namque eò loci dicitur quidem Deus cohibuisse iræ suæ impetum, ne universam Hebræorum gentem disperderet, sicut colligitur ex v. 10. in quo Deus Moysen sic colloquitur: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*. Et postea v. 14. addit: *Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversùs populum suum*; quæ verba significant Deum repressisse quidem paratum toti populo exitium, sed peccatum dimissum fuisse non significant: unde v. 35. dicitur: *Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli*.

Objicies 2. Scriptura testatur peccata dimissa redire in memoriam Dei. Lib. 3. Regum cap. 17. v. 18. Sarephtana mulier Eliam sic alloquitur: *Quid mihi & tibi, vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ.* Item Psal. 78. v. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*. Psal. 108. v. 14. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini*.

Resp. ea Scripturæ testimonia commodè exponi posse, vel de peccatis olim commissis, sed nondum dimissis; vel de dimissis ratione culpæ dumtaxat, non ratione pœnæ, quæ superstes remanet culpa dimissa.

Obji-

Objicies 3. parabolam quæ habetur c. 18. S. Matth. v. 32. in qua Dominus à servo crudeli in conservum suum debitum repetit quod remiserat; deinde v. 35. addit Christus, *Sic & Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ergo peccatorum debita licèt extincta, redeunt odio fraterno.

Confirmatur 1. auctoritate S. Augustini Serm. 83. aliàs 1[illegible] de verbis Domini c. 6. sub finem, ubi sic loquitur; *Dicit enim Deus, Dimitte, & dimittetur tibi.... Nam si non dimiseris, revocabo te; & quidquid tibi dimiseram, replicabo* T. 5. p. 451. A. *tibi. Non enim mentitur veritas; non fallit, aut fallitur Christus, qui subjecit dicens, Sic & vobis faciet Pater vester qui in Cœlis est.*

Confirmatur 2. ex S. Gregorio Magno L. 4. Dialog. c. ultimo, ubi postquam retulit parabolam, sic concludit: *Ex quibus dictis constat,* inquit, *quia si hoc* T. 2. p. 473. D. *quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus; & illud rursus à nobis exigitur, quod nobis jam per penitentiam dimissum fuisse gaudebamus.*

Resp. nego consequens. Parabolæ sensus non aliò tendit, quàm ut intelligamus teneri nos condonare omnem injuriam quam proximus nobis intulit; adeout nullam ab æterno Patre veniam sit accepturus, quisquis erga inimicum suum implacatum gerit animum: unde quod dicitur, Dominus ab immiti servo debitum remissum repetiit, ornamentum quoddam est parabolæ. Videlicet in parabolis, non secus ac humano corpore, duo sunt partium genera, quædam ad usum, aliæ ad ornamentum: priores necessariæ sunt, aliæ adjectitiæ. In presenti parabola, Rex, duo servi, remissio decem millium talentorum, debitum centum denariorum cujus solutionem duriùs exigebat servus, partes sunt necessariæ parabolæ; cætera verò adjecta sunt ornatus gratia, ut optimè observat Maldonatus in hunc locum: quæ quidem observatio rectè notanda est, quia multùm confert ad explicanda varia Scripturæ testimonia, & ad solvendas difficultates quæ in aliis theologicis argumentis occurrunt.

Et sanè quod S. Augustinus Lib. 16. de civitate Dei c. 2. sub finem egregiè di- T. 7. p. 416. D. B. cit, in propheticis historiis, quemadmodum in cytharis, non omnia resonare, sed nervos dumtaxat, idipsum nos de parabolis affirmare possumus.

Ad auctoritatem SS. Augustini & Gregorii reponi potest, peccata semel remissa per subsequens peccatum virtualiter redire, non verò formaliter. Scilicet peccatum quod veniam subsequitur ingrati animi labem involvit, & eo quidem turpiorem quo plura peccata condonata sunt. Huc accedit quòd immemorem acceptæ veniæ peccatorem in tot & tanta scelera nonnunquam labi patitur ultrix divina justitia, ut tam reus evadat, ac si præteritorum criminum veniam assecutus non fuisset.

Instabis. S. Augustinus L. 1. de Baptismo contra Donat. c. 12. expressè docet odio fraterno redire peccata dimissa, sic loquitur: *Nam redire dimissa peccata ubi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Evangelio de illo servo docet.*

Resp. dist. ant. Peccata dimissa apparenter, concedo: verè dimissa, nego. Nam S. Augustinus eò loci loquitur de homine qui odio fraterno æstuans ad Baptismum accedit, cui homini peccata dimitti ait, in actu primo scilicet, & quoad exteriorem apparentiam, quia Baptismus remittit peccata, idest, vim habet ea ex se remittendi; quamquam fieri possit per accidens, ut ea non remittat, quan-

quando nempe subjectum non est dispositum, seu quando ad Baptismum homo fictus accedit. Qui verò cum odio fraterno baptisandus venit, dubio procul cum ficto peccatorum dolore venit ad Sacramentum, *Quomodo ergo Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, si in isto ficto remissionem operatus est peccatorum?* inquit S. Augustinus de Simone mago, initio prædicti cap. 12. Cùm igitur huic fratris inimico Baptismus non contulerit veram remissionem peccatorum, verè dici non possunt redire peccata; quod enim verè redit, verè abiisse debuit. Quo itaque sensu redeunt? hoc nimirum, quòd quidquid ille fictus post Baptismum peccat, antecedentibus ejus peccatis adjungitur, & ipsi ad damnum simul imputatur. *Ibid. p. 89. B.*

Hæc explicatio lucem affert obscuris S. Augustini verbis, ita in fine capitis citati loquentis: *Nec tamen illud quod nondum conservo dimiserat, impedivit Dominum ejus, quominùs in illo tempore accipiendæ rationis, dimitteret ei omnia quæ debebat. Sed quid profuit, quandoquidem in caput ejus propter odiorum perseverantiam,* ( nota has duas voculas, quæ exprimunt odium fraternum in baptisando & baptisato, adeoque pessimam in illis dispositionem ) *rursus omnia continuò replicata sunt? Sic non impeditur Baptismi gratia, quominus omnia peccata dimittat,* ( intellige quantùm in se est ) *etiam si odium fraternum in ejus, cui dimittuntur, animo perseveret*; quia peccatum odii fraterni non impedit valorem Baptismi, nec characterem ejus, sed fructum, idest, sanctificationem. *Ibid. p. 90. D.*

Instabis 2. S. Augustinus cap. 13. ejusdem Lib. loquens de illo homine qui flagrans odio fraterno suscipit Baptismum, sic Donatistas interrogat: *Quid ergo dicimus? Dimittuntur peccata huic homini, an non dimittuntur? Prorsus quod volunt, eligant. Si enim dimittuntur, continuò redeunt: Evangelium loquitur, veritas clamat.* *Ibid. G.*

Resp. hæc verba S. Augustini, quamvis paulò duriora, eadem solutione mitiganda esse, qua antecedentia. Scilicet hoc unum vult sanctus Doctor: Si conceditur peccata illius hominis Baptismo dimitti, hoc sensu concedimus, quatenus Baptismi virtus potest ea dimittere independenter à probitate ministrantis, non tamen actu dimittit, propter indispositionem recipientis. Nisi ita exponas S. Augustinum, eum sibi contrarium fateri necesse erit.

Instabis 3. Idem sanctus Augustinus capit. 12. docet schismaticos Baptismum percipientes transire à tenebris peccatorum ad lucem Baptismi, quæ peccatorum tenebris dispellitur, & illicò post Baptismum recidere in priores tenebras. *Oculi quidem ejus*, inquit, *in tenebris perpetuò diriguntur, sed non potest lux nisi perfundere transeuntem. Si hoc ergo dixerint, hoc etiam in eis intelligant fieri, qui extra Ecclesiæ communionem, sed tamen Baptismate Ecclesiæ baptisantur, quod ubicumque fuerit, sanctum est per seipsum; & ideo non est eorum qui se separant: valet tamen & apud eos hactenus, ut per ejus lucem transeant ad dissensionis suæ tenebras continuò redeuntibus peccatis, quæ Baptismatis sanctitas in illo temporis puncto dimiserat, tanquam redeunte obscuritate quam lux in transitu excusserat.* Atqui dum homo è tenebris egrediens lucem ingreditur, verè & physicè tenebras excutit, non apparenter tantùm; ergo pariter homo baptisatus accipit remissionem peccatorum, licèt redeant eadem peccata. *Ibid. p. 89. F.*

Resp. dist. maj. Docet in hypothesi data, non concessa, concedo: absolutè, nego. Scilicet sanctus Augustinus eò loci probat adversùs Donatistas, non esse

esse denuo baptisandos eos qui à schismate revertuntur ad Ecclesiam, & huic dilemmati à Donatistis cap. 11. proposito satisfacit. Vel hi qui in Ecclesia Donati baptisantur, veniam in baptismo consequuntur peccatorum, vel non: si prius, ergo Spiritus sanctus per quem peccata dimittuntur, est apud Donatistas: si posterius; ergo nec est verus baptismus apud schismaticos, quem tamen verum agnoscunt Catholici. Huic dilemmati ut respondeat S. Augustinus, exemplum proponit Simonis magi, & petit cap. 12. quid si Simon ille fictus accessit ad Baptismum, an ei peccata fuerint dimissa, vel non? Sed quia Donatistæ poterant dicere, fuisse dimissa, probat S. Augustinus non potuisse dimitti ficto. Item quia Donatistæ poterant fateri peccata Simoni non fuisse dimissa, colligit non idcirco Simonem baptisandum fuisse, & addit, *Fateantur vero Baptismo Christi baptisari posse hominem, & tamen cor ejus in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri.* Inferiùs autem hanc Donatistarum responsionem proponit, *Si autem dixerint, in illo qui fictus accessit, per sanctam vim tanti Sacramenti dimissa quidem illi esse peccata in ipso temporis puncto, sed per fictionem ipsius rediisse ...... sicut fit cùm quisque à tenebris per lucem transit ad tenebras*; & juxta hanc Donatistarum hypothesim concludit S. Augustinus eos fateri debere Baptisma à schismaticis susceptum, in ipso Baptismatis momento tenebras peccatorum expellere, sed eos in schismate permanentes iterum recidere in tenebras priorum peccatorum. Vides S. Augustinum argumentari non ex propria mente, sed ex responsione Donatistarum.

Ibid. B.

Ibid. B.

Instabis ultimò: Idem S. Augustinus in Psal. 108. docet, præterita Judæ peccata rediisse. *Si ergo*, inquit, *Judas teneret illud ad quod vocatus est, nullomodo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret: quia ergo non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis potius elegit, rediit iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, ut in eo etiam ipsa puniretur; & peccatum matris ejus non est in eo deletum.*

To. 4. p. 1220. E.

Resp: dist. ant. redierunt quoad pœnam, concedo; nam S. Augustinus expressè loquitur de punitione: quoad culpam, nego; nam Judas malorum parentum pessimus filius, paterni sceleris pœnas tulit, dum vestigia ejus sequutus est: nec enim aliter Deus in filiis parentum iniquitates plectit, nisi dum filii paternos mores æmulantur, ut docet S. Augustinus ibidem.

# QUÆSTIO ULTIMA.

## *De Indulgentiis.*

Omnis de indulgentiis disputatio ad hæc capita revocatur.

I. de nomine ac natura indulgentiarum.
II. de potestate & usu perpetuo Ecclesiæ in concedendis indulgentiis.
III. de fundamento indulgentiarum, seu Ecclesiæ thesauro.
IV. de valore indulgentiarum.
V. de iis à quibus concedi possunt indulgentiæ.
VI. de iis quibus illæ dispensari possunt, ac prodesse.
VII. de dispositionibus prærequisitis ad lucrandas indulgentias.
VIII. de causis propter quas dari possunt indulgentiæ.
IX. de variis indulgentiarum speciebus.

ARTI-

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De nomine, definitione, ac natura indulgentiarum.*

Generatim indulgentiæ nomen significat juris alicujus remissionem, relaxationem. Hic propriè sumitur pro relaxatione pœnæ temporalis quę luenda superest post condonatum culpæ ac pœnæ æternæ reatum.

Definitur indulgentia, *Remissio pœnæ temporalis quæ post culpam & pœnam æternam condonatam luenda superest, extra Sacramentum ab eo data qui potestatem habet dispensandi spiritualem Ecclesiæ thesaurum.*

Dicitur 1. *remissio pœnæ temporalis*, ut distinguatur à culpa, & pœna æterna, quæ per indulgentias non relaxantur.

Dicitur 2. *extra Sacramentum*: ut distinguatur ab ea remissione pœnæ quæ fit virtute Sacramenti Pœnitentiæ.

Dicitur 3. *ab eo qui habet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ*; ut assignetur proprius indulgentiarum minister, SS. Pontifices nimirum & Episcopi.

Circa naturam verò indulgentiarum, hæc est communis ferè doctrina.

## PRIMA CONCLUSIO.

Indulgentiæ, nec culpæ, nec æternæ pœnæ reatum tollunt.

Probatur 1. Quia culpa & pœna æterna non remittuntur, nisi aut per Sacramentum, aut per contritionem perfectam extra Sacramentum: at indulgentia nec Sacramentum est, nec perfecta contritio. 2. Quia mortale peccatum non dimittitur, nisi per infusionem gratiæ; sed Ecclesia potestatem non habet infundendi gratiam, nec instituendi Sacramenta. 3. denique, quia Ecclesia ligandi ac solvendi potestate utitur per modum judicii: at indulgentiæ non conceduntur per modum judicii.

Dices: Nonnulli è SS. Pontificibus in suis indulgentiarum diplomatibus ajunt se *absolvere à peccatis*.

Resp. clausulam hanc sic intelligendam ac interpretandam esse, quòd cùm indulgentiæ aut supponant Sacramentum Pœnitentiæ quo peccata remittuntur, aut ad illud excitent ac ducant, aliquo sensu, indirectè scilicet aut præsuppositivè, dicuntur absolvere à peccatis.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Indulgentiæ remittunt pœnam temporalem, aut injunctam, aut per Canones injungendam.

Probatur 1. Quia in pluribus indulgentiarum diplomatibus clausula hæc, *de injunctis*, expressè legitur; in aliis verò suppleri debet ac subintelligi, juxta regulam Juris, *Favores sunt ampliandi, & odia restringenda*, & indulgentia ad pœnas sive injunctas, sive injungendas generatim extendenda. 2. Indulgen-

dulgentiæ veteres quæ lapsis in gratiam Martyrum concedebantur, non tantùm relaxabant pœnas à Sacerdote injunctas, sed etiam à jure seu Canone injungendas. 3. Si indulgentiæ hodiernæ eximerent dumtaxat à debito pœnarum, quæ in Sacramento Pœnitentiæ injunctæ sunt, vix jam alicujus forent emolumenti, adeo leves sunt, comparatè ad veteres, pœnæ quæ jam imponuntur. 4. Ex Juris effato, ubi majus conceditur, minus concessum pariter videtur; atqui majus est remittere pœnas injunctas, quàm injungendas; illæ quippe duplici titulo debentur, scilicet & reatu pœnæ culpam consequente, & præcepto Sacerdotis. 5. denique, potestas clavium, in qua fundatur indulgentia, generalis est ac indistincta, *Quæcunque solveritis, erunt soluta*. Ergo potestas illa se extendit ad pœnas non tantùm injunctas, sed injungendas.

*Mat. 16. & 18.*

Objectiones. Dices 1. Supremum est, Pœnitentiæ tribunal, nec ullus est in terris qui pœnam à Sacerdote in tribunali Pœnitentiæ impositam solvere possit.

Resp. dist. ant. Nullus est qui pœnam hanc solvere possit, directè, Sacerdotis sententiam vel irritando, vel ab ea dispensando, concedo: indirectè, tollendo debitum & reatum pœnæ temporalis per indulgentias, nego: eo ferè modo quo si quis mulctam pecuniariam decreto Senatus alicui impositam ex liberalitate de suo solveret, indirectè debitorem à lege per superiorem Judicem imposita liberaret, non emendando Superioris sententiam, in quam nihil Juris & auctoritatis habet, sed debitum solvendo.

Instabis 1. Inde sequitur, pœnitentem non teneri ad eam pœnam sustinendam quam Sacerdos in tribunali Pœnitentiæ imposuit.

*Bellar. L. 1. de indulg. cap. 8.*

Resp. nego conseq. multis de causis. 1. Quia licèt pœnitentia illa vindicativa non foret ad emendationem præteriti, attamen medicinalis foret in remedium futuri: à pœnis autem medicinalibus non dispensat Ecclesia, quia omnino necessariæ sunt reprimendis cupiditatibus & afferenda salute. 2. Quia pœnitentia illa meritoria foret. 3. Quia homo semper dubius ac incertus est an omnem indulgentiarum fructum perceperit. 4. Quia aliter disciplinæ Ecclesiasticæ nervus dissolveretur. 5. denique, in diplomatibus indulgentiarum vulgò hæc conditio apponitur, *injuncta salutari pœnitentia*.

Instabis 2. Sequitur etiam, indulgentias in præsenti Ecclesiæ statu ferè inutiles esse, quia cùm non amplius vigeant Canones pœnitentiales, ac leviores jam imponi soleant pœnitentiæ, ad quid necessariæ sunt indulgentiæ?

Resp. nego ant. Imò inde potius concludi debet, eò magis nobis utiles ac necessarias esse indulgentias ad supplendos scilicet pœnitentiæ nostræ defectus: leviores enim illæ satisfactiones impares sunt divinæ placandæ justitiæ; indulgentiarum igitur subsidium nobis maximè necessarium est.

Dices 2. Non dimittitur nisi quod debitum est: atqui nemo debitor est pœnitentiæ per Canones injungendæ, tribus, vel septem, vel pluribus annis, quia Canones illi jam abrogati sunt, & in desuetudinem abierunt.

Resp. dist. min. Nemo debitor est, pœnitentiæ per Canones injungendæ, quantùm ad modum & ordinem quo veteres Canones pœnitentiam agendam præscribebant, percurrendo nempe celebres illas stationes, de quibus antea diximus, concedo: quantum ad substantiam & finem congruæ & peccatis proportionatæ pœnitentiæ, nego. Cùm enim incertum planè sit quæ pœnæ mensura, quæ magnitudo, acerbitas & diuturnitas peccatis lethalibus etiam dimissis in Judicio divino debita sit, idcircò eò totis viribus enitendum

dum semper, ut pœnitentia & medicina vulnere inflicto minor non sit; quia verò pro humana infirmitate vix pares sumus tot pœnis hic persolvendis, idcirco pia mater Ecclesia illarum defectum supplet per indulgentias, ne fortè graviores ac longè acerbiores in Purgatorio solvere teneamur.

Dices 3. Dantur indulgentiæ decem & viginti millium annorum: atqui pœnitentiæ decem & viginti millium annorum nec injunctæ sunt, nec possunt injungi.

Resp. 1. fictitias ac fabulosas esse hujusmodi indulgentias, judicio Gersonis, Dominici Soto, Estii, Maldonati, Bellarmini L. 2. de indulg. cap. 20. *Non solebant enim*, ait Bellarminus L. 1. c. 9. *indulgentias concedere, nisi tot annorum, quot annorum pœnitentiæ injungebantur: pœnitentiæ verò non solebant injungi nisi unius, duorum, trium, quinque, septem, decem, viginti annorum, aut ad summum per totam vitam, quæ ultra centum annos porrigi non solet.* T. 2. p. 450. C

Resp. 2. tam abnormes indulgentias, etsi supponerentur datæ, respondere numero annorum quibus unumquodque peccatum publica pœnitentia castigari olim debebat, quiquidem numerus arithmetica proportione servata in immensum crescebat. V.g. adulterii & homicidii crimen semel commissum per annos viginti puniebatur; iteratum, per annos quadraginta: & ita proportione eadem sive erga idem scelus, sive erga alia scelera semper observata, in immensum crescebat numerus annorum pœnitentiæ; ac consequenter primis Ecclesiæ sæculis millenorum annorum indulgentiis opus fuisset ad redimendum pœnitentiæ tempus. Cùm ergo ista computandæ pœnitentiæ ratio Veteribus incognita planè fuerit, nec videamus concessam primis sæculis tot millium annorum indulgentiam, concludendum est, & fictas esse illas indulgentias, & pœnitentiam post gravissima scelera necessariam, non tam tempore quàm fervore charitatis metiendam esse. Vide Bellarm. L. 1. de Indul. c. 9.

## TERTIA CONCLUSIO.

Indulgentiæ liberant hominem à pœna temporali, non solùm coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.

Probatur I. ex verbis Christi Matth. 16. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Unde S. Paulus ait, quidquid incestuoso Corinthio donavit, se in persona Christi donasse.

II. Humanæ satisfactiones, ex probatis superiùs, vim & efficaciam habent coram Deo: cur & non relaxatio pœnæ temporalis quæ per indulgentias conceditur?

III. Si indulgentia valeret dumtaxat coram Ecclesia, & non coram Deo, plùs noceret, quàm prodesset, & Ecclesia filios suos in re maximi momenti decipere videretur; eximeret enim illos à pœna hujus vitæ mitissima, & remitteret ad pœnas gravissimas Purgatorii: atqui tamen Concilium Trid. decreto de indulg. declarat eas *maximè salutares esse*, eosque anathemate ferit, *qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* T. 14. Conc. p. 918. A.

IV. Non possent concedi indulgentiæ pro defunctis; quippe qui non ligantur jam Ecclesiæ præceptis, neque aut ipsi disciplina indigent, aut aliis exemplo esse possunt.

V. Non alia mente Martyres olim libellos indulgentiæ lapsis concedebant,
P. 27. quàm ut etiam coram Deo à pœnis in altera vita luendis liberarentur: *ut cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur*, ait S. Cyprianus Epistola 14. qui Tract. de lapsis agnoscit *merita Martyrum*, & *opera justorum* plurimùm valere apud Deum: unde Tertullianus Montanista factus Lib. de pudic. cap. 22. Martyres sugillabat, quòd sibi assumerent potestatem dimittendi per sua merita pœnas divinæ justitiæ debitas. *Sufficiat Martyri*, dicebat, *propria delicta purgasse: ingrati & superbi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus*. Supponit igitur Tertullianus, tametsi damnet, hanc fuisse suo tempore Ecclesiæ fidem, posse Fideles meritis SS. Martyrum apud Deum juvari.

P. 575. B.

VI. denique Sixtus IV. S.P. Constitutione quæ incipit, *Licèt ea*, istam Petri Oxomensis sententiam proscripsit, *Romanus Pontifex Purgatorii pœnam remittere non potest*. Et Leo X. in Bulla contra articulos Lutheri, hunc inter alios perstringit, *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam*.

To. 14. Conc. p. 395. n. 14.

## QUARTA CONCLUSIO

Indulgentia propriè est absolutio judiciaria, habens annexam solutionem ex thesauro.

I. est absolutio judiciaria fundata in potestate clavium. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*. Generalis est & absoluta sententia.

Id ostendunt SS. Pontifices. Alexander III. in Epistola ad Episcopum Cantuariensem ait, neminem posse indulgentias concedere, nisi propriis subditis. Rationem statim reddit: *Quia non potest nisi proprius judex absolvere vel ligare*. Martinus V. in Conc. Constantiensi concedens indulgentiam plenariam, dicit se *absolutionem plenariam* concedere; & Gregorius VII. in multis Epistolis indulgentiam tribuens, ut plurimùm utitur verbo *absolutionis*.

Ratio est, quia non alia de causa indulgentiæ mortuis concedi non possunt nisi per modum suffragii, quàm quòd Ecclesiæ clavibus ac jurisdictioni subjecti amplius non sint; ergo indulgentiæ quæ vivis conceduntur, veram & judiciariam supponunt & arguunt eas concedendi potestatem.

II. potestatem hanc veram esse solutionem ex thesauro Ecclesiæ, asserit Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus*. Et ratio aperta videtur; quia videlicet judex quatenus judex satisfacere debet justitiæ, ejusque jura illæsa custodire: sed Ecclesiæ Prælati sunt à Deo judices constituti in dispensatione indulgentiarum; ergo debent justitiæ satisfacere; ergo non possunt arbitrio suo absque ulla compensatione condonare pœnam temporalem, sed necesse est ut aliquid solvant ex communi Ecclesiæ thesauro ad æqualitatem.

Objectiones. Dices 1. Absolutio judiciaria supponit causæ cognitionem: sed indulgentia hanc causæ cognitionem non supponit nec requirit, quia sæpissimè datur in communi iis omnibus qui hoc vel illud executi fuerint.

Resp. dist. maj. Absolutio judiciaria particularis, quæ fertur secundùm allegata & probata, causæ cognitionem requirit, concedo: absolutio genera-

neralis seu communis & conditionata, quales sunt indulgentiæ generales, nego. Prior absolutio dicitur sententia *ab homine*: posterior à *iure*. Prior privatæ causæ cognitionem exigit; ad posteriorem verò sufficit justa & legitima causa communem ac generalem concedendi indulgentiam.

Dices 2. Si concessio indulgentiarum involvit jurisdictionem, & fiat per modum absolutionis, sequitur S.Pontificem fructum indulgentiæ percipere non posse, quia nullum Superiorem habet, nec seipsum absolvere potest; nemo quippe suimetipsius judex est, aut in semetipsum jurisdictionem potest exercere.

Resp. S. Pontificem posse ab alio, cui potestatem faciat, indulgentiam percipere; quemadmodum potest ab alio sacramentaliter à peccatis absolvi.

## QUINTA CONCLUSIO.

Indulgentiæ ab omni pęna temporali & laboriosis pęnitentiæ operibus vix unquam hominem penitus eximunt.

Probatur I. exemplo Corinthii incestuosi cui Apostolus 2. Corinth. 2. v. 10. residuum quod supererat pęnæ luendæ non remisit, nisi postquam pęnitentiam unius anni peregisset.

II. S.Cyprianus graviter eos redarguit, qui Libellaticis, antequam pęnitentiam egissent, indulgentiam, seu pacem & communionem temerè laxabant, quam pro ipsis expostulaverant Martyres. *Contra Evangelii vigorem*, ait Tract. de lapsis, *contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio. Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & accipientibus nihil profutura*. Et Epistola 10. Peto, inquit alloquens Martyres occasione Libellaticorum, *ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum penitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis*. Observa verba hæc, *pœnitentiam satisfactioni proximam*, id est quæ ad æqualitatem accedat. P. 174. P. 24.

III. Bonifacius VIII. Extravag. *Antiquorum*, docet *unumquemque plùs mereri, & efficaciùs consequi indulgentias, qui Basilicas ipsas Apostolorum ampliùs & devotiùs frequentat*. Ergo, judice Bonifacio, major vel minor percipitur fructus indulgentiarum, pro majori vel minori pęnitentis fervore, pietate ac devotione. Idem declarat Innoc. IV. in caput, *Quod autem. De pœnitentiis*, ubi ait: *Licèt generaliter fiat indulgentia propter laborem, propter devotionem & propter pericula, tamen unus plùs alio habet intra metam à Prælato constitutam, secundùm quòd plùs devotus est, vel plùs laborat, vel majoribus periculis se exponit*. Et Gregorius VII. Lincolniensi Episcopo indulgentiam peccatorum roganti, ea lege concessit, ut pęnitentiam pro viribus ageret. *Si tamen*, inquit, *bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo quantùm valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris*. Ad quæ verba Baronius ibid. ait, *Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari, qui, quantùm suppetunt vires, benè operari non prætermittunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus*. Extra-va-com. p. 344. Apud Baron. l. 11. p. 427. n. 63.

IV. Doctrinam hanc confirmat usus & praxis veteris Ecclesiæ, quæ pro majori pęnitentium in bonis operibus exercendis cura & ardore, benigniùs ac remissiùs cum ipsis agebat. Ita Concilium generale primum Nicænum Can. 12. Ancyranum Can. 5. &c.

V. S. Antoninus 1. p. tit. 10. c. 3. ait, eorum qui utilitatem indulgentiarum extollunt mentem non esse, ut velint eas prodesse absque laboriosis pęnitentiæ operibus. *Nec credunt*, inquit, *quòd propter has indulgentias generales minùs teneantur agere pœnitentiam in hac vita, & hoc dictum satis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius*.

Luc. 3. v. 3. Ib. 13. v. 13. VI. Ecclesia eximere non potest ab onere agendæ pęnitentiæ quæ jure divino necessaria est: *Facite fructus dignos pęnitentiæ*. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis*. Pęnæ autem satisfactoriæ non tantùm sunt in vindictam præteriti peccati, sed etiam in remedium futuri; indulgentiæ autem eximere non possunt à pęnitentia medicinali quæ omnino necessaria est frænandis cupiditatibus & asserenda æterna salute.

VII. denique, plurima sunt opposità sententiæ absurda & incommoda. Primum est, hodiernas indulgentias veteribus longè dissimiles fore: istæ quippe, ut mox vidimus, congruam exigebant pęnitentiam; nostræ verò, aut nullam aut levissimam: secundum, faciliùs in gratiam recipi qui peccaverunt post Baptismum, quàm qui ante Baptismum: tertium, majorem fore vim indulgentiarum, quàm Sacramenti Pęnitentiæ, siquidem raro admodum contingit totam pęnam temporalem in Sacramento Pœnitentiæ dimitti: quartum, si Fidelium vulgo id semel persuasum foret, beneficio indulgentiarum sine bonis operibus ac congrua pęnitentia, omne pęnæ temporalis debitum extingui, quis non videat inde torporem, negligentiam, atque adeo ipsa peccata foveri, enervari Ecclesiæ disciplinam, & ipsasmet indulgentias contemptui fore obnoxias, Hęreticis verò amplum nobis insultandi campum aperiri?

Objectiones. Dices 1. Non alia de causa indulgentiæ plenariæ vel plenissimæ dicuntur, quàm quòd omnem penitus temporalem pęnam ex se ipsis remittant.

Resp. dist. ant. quantùm Ecclesiæ claves se extendere possunt, concedo: secus, nego. Auctor Glossæ in Extravagantem *Antiquorum*, quæ est Bonifacii VIII. explicat quid sit indulgentia plenissima. *Dico*, inquit, *Papam interpretatum fuiße in Consistorio, me præsente, hanc indulgentiam adeo plenam prout clavium potestas se extendit*. Non ergo plenaria idcirco dicitur indulgentia, quòd omnem absolutè ac semper pęnæ temporalis luendæ reatum tollat, sed quòd de satisfactione debita imminuat, pro majori vel minori pęnitentium fervore ac pietate, quæ revera tanta interdum esse potest, ut omnis pœna remittatur; at istud tam rarum est, ut in jus & exemplum trahi non possit. Et verò certa quædam est pęnæ mensura Judicio Dei definita, & nobis incognita; neque potestas clavium eò se potest extendere, ut omnem penitus tollat Deo satisfaciendi necessitatem, quæ juris est divini. Plenariam quidem indulgentiam, quantùm est ex se, offert Ecclesia; sed non quilibet plenariam semper assequitur, sed proportione servata uniuscujusque dispositionis.

Dices 2. Cùm licitum fuit, duodecimo nimirum sæculo, pęnitentias redimere dato militiæ sacræ nomine pro recuperanda terra sancta, nonne tunc absque ullo pęnali opere omnis pęna temporalis beneficio indulgentiarum remittebatur?

Resp.

Resp. non ita esse: qui enim seriò attenderit ad operosæ expeditionis pericula, ad expensas, longissimi itineris molestias, dimissa bona, patriam, parentes, amicos, & quidquid charum fuit, facilè judicabit, ne tunc quidem pœnæ totius temporalis per indulgentias factam esse relaxationem, cùm tot aliis duris operibus ac exercitiis pœna hæc compensaretur.

Neque est quòd te moveant abusus qui aliquando irrepsere in dispensandis indulgentiis turpis lucri causa, pudendo commercio & nundinatione: namque abusus illos semper damnavit ac repressit Ecclesia; neque verò natura indulgentiarum ex privata nonnullorum agendi ratione æstimanda est, sed ex immotis Ecclesiæ regulis ejusque infallibili judicio.

## ARTICULUS II.

*De potestate ac usu Ecclesiæ perpetuo in concedendis indulgentiis.*

Lutherus initium suæ ab Ecclesia defectionis sumpsit à doctrina indulgentiarum; & à reprehensione abusuum, progressus est ad reprehensionem ipsarum indulgentiarum: invidia scilicet percitus quòd Leo X. provinciam publicandi indulgentias Dominicanis demandasset, non suis Augustinianis, eas pias esse Ecclesiæ fraudes primò dixit; tùm non Ecclesiæ fraudes, sed meras Pontificum imposturas, Fidelibus noxias, nedum utiles ac salutares, quibus illi deluduntur falsa spe consequendi remissionem pœnæ temporalis, quæ non ab Ecclesia, sed à solo Deo remitti potest, cùm sit justitiæ divinæ debita. Lutherum secuti sunt Zuinglius & Calvinus.

Quantùm verò ad usum indulgentiarum, insinuat Maldonatus nonnullos Scholasticos existimasse usum indulgentiarum non ante sexcentos annos in Ecclesia obtinuisse; seu; ut contendit Kemnitius, quadringentis dumtaxat annis ante millesimum ducentesimum. Verùm error ille inde nascitur, quòd non satis distinguant inter modum concedendi sub certis conditionibus & operibus indulgentias, qui sæculo duodecimo usurpabatur, & simplicem indulgentiarum usum, qui Ecclesiæ ipsi coævus est: certum quippe est concessas fuisse indulgentias à Paschali II. Urbano II. Sergio III. & potissimùm à Leone III. qui sedit annis quadringentis ante millesimum ducentesimum à Kemnitio notatum. Et certè Valdenses primi fuere indulgentiarum hostes; Valdenses autem mundo apparuere circa annum Domini millesimum centesimum septuagesimum: quomodo igitur stare potest quod affirmat Kemnitius, indulgentiarum usum incæpisse anno millesimo ducentesimo?

## CONCLUSIO.

Ecclesia accepit à Christo potestatem conferendi indulgentias, qua constanter ac perpetuò usa fuit.

Probatur ex Scripturis. Matth. 18. v. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Nihil excipit Christus: non culpam, quæ in Sacramento, non temporalem pœnam, quæ extra Sacramentum dimittitur. Joan. 20. v. 23. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata,* remit-

*remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. Porro auctoritas conferendi indulgentias, seu solvendi à pęna temporali, includitur in auctoritate seu potestate absolvendi & retinendi peccata: qui enim potest peccata remittere ac retinere, potest etiam opera laboriosa in vindictam scelerum imponere: sed quisquis potest hæc opera laboriosa imponere, ea potest, cum expedit, aliquâ ex parte relaxare; ad eandem enim potestatem utrumque pertinet.

Illâ potestate à Christo accepta semper vel ab initio usa est Ecclesia. Sæculo primo usus est S. Paulus adversùs Corinthium incestuosum, quem cùm satanæ in interitum carnis tradidisset, post annum absolvit & à prolixiori pęna indulgentiùs eum liberavit. *Sufficit illi*, ait Apostolus 2.
P. 137. A. Cor. 2. v. 6. & seq. *qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus, ita ut è contrario magis donetis & consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorberetur . . . . cui autem aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*. A Christo igitur derivatur potestas relaxandi beneficio indulgentiæ pœnas temporales, quæ post dimissam culpam luendæ supersunt.

Sæculo secundo Martyres hac indulgentias concedendi potestate usos esse erga lapsos, testatur Tertullianus L. 1. ad Martyres c. 1. *Quam pacem*, inquit, *quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueverunt; & ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fovere, & custodire debetis, ut si fortè & aliis præstare possitis*. Subinde verò hanc indulgentiarum potestatem sugillat Tertullianus factus Montanista L. de pudicitia c. 21. sed eam impugnando à Catholicis probatã & usurpatam demonstrat.

Tertio sæculo illustre pro confirmandis indulgentiis testimonium suppeditat S. Cyprianus. Disputavit aliquando contentiosiùs cum Martyribus, non quidem circa potestatem, sed circa usum legitimum indulgentiarum, quas contendebat iis dumtaxat concedi debere, qui pœnitentiam egerant, non aliis qui propter libellos Martyrum, statim & absque mora paci & communioni restitui temerè postulabant, antequam eorum causa, merita & opera discussa fuissent: si tamen urgeret mortis periculum, jubet sanctus Doctor eos lapsos cum pace dimittendos esse. *Qui*, inquit Epistola 12.
P. 25. *libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cęperint, exomologesi facta & manu eis in penitentiam imposita, cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur*.

Sæculo quarto Concilia Nicænum I. generale, Ancyranum, Neocæsariense, Laodicenum, Carthaginense IV. &c. de severitate pęnitentiæ impositæ remittunt, pro majori pœnitentium fervore ac studio in adimplenda, quæ imposita fuerat, satisfactione.

Ulteriùs momentum istud ex Traditione & usu perpetuo Ecclesiæ in conferendis indulgentiis non protendimus, quia cùm hæc quatuor priora Ecclesiæ sæcula Novatoribus nostris puriora videantur, sufficere ipsis debent ad confirmandam Ecclesiæ potestatem in concedendis indulgentiis. Si quis ex sæculis subsequentibus exempla indulgentiarum desideraverit, consulat Bellarminum L. 1. de indulg. c. 3.

Meritò igitur Conc. Trid. in Decreto de indulgentiis declarat ac statuit

1. po-

*1. potestatem conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessam esse, atque hujusmodi potestate divinitùs sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illam usam fuisse. 2. indulgentiarum usum christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse, eosque anathemate damnandos, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. 3. in his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhibendam esse; ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. 4. abusus qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab Hæreticis blasphematur, emendandos ac corrigendos esse. 5. pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Cæteros verò qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, ab Episcopis colligi, & in prima Synodo provinciali ab illis referri debere.* Atque hæc Synodus Tridentina, quibus certè nihil accuratius, sapientius nihil ac cautius in præsenti causa proferri potest. To.14. Conc. p. 917. B.

Dices 1. Exemplum Corinthii incestuosi nihil causam nostram hìc juvat: tùm quia non legimus ipsi à S. Paulo certam pęnæ mensuram ac speciem impositam fuisse; tùm quia debitam pęnam ille per annum integrum jam dederat, unde nihil erat quod ipsi condonari ac remitti posset; tùm denique quia nondum ille à culpa fuerat absolutus, sed unà cum reconciliatione seu absolutione & culpa & pęna condonata ipsi fuit. Objectiones.

Resp. ad primum: licèt incertum sit quæ mensura & species pęnæ Corinthio illi fuerit à sancto Paulo assignata, attamen aliquam, & quidem gravissimam, qualis est *traditio satanæ in interitum carnis*, impositam fuisse constat, cùm jussit sanctus Paulus eum separari à cœtu Fidelium, & admoneri ut penitentiam ageret.

Ad secundum, distinguo: debitam pęnam per annum integrum dederat, sed non integram, quam debebat, concedo: integram, & quam ad æqualitatem gravitatis delicti debebat, nego. Quapropter S. Paulus quod supererat pęnæ relaxavit, & quidem in persona Christi, *ne fortè abundantiori tristitia absorberetur. Ex quo illud discimus*, ait sanctus Joannes Chrysostomus Hom. 4. in 2. ad Cor. *non ex scelerum tantùm natura, sed ex eorum etiam animo atque affectione indicendam esse pœnitentiam.* Edit. Commel. p. 763.

Ad tertium: 1. jam absolutus à culpa coram Deo fuerat Corinthius, tùm acerbitate pęnæ quam sustinuerat, tùm vehementia doloris ac contritionis; quam absolutionem postea sacramentaliter ministerio Sacerdotis est assecutus. 2. planè indifferens est ac extraneum, sive indulgentia sequatur absolutionem, sive antecedat, sive comitetur & cum illa conjuncta sit.

Dices 2. Hoc unum ex Conciliis ac SS. Patribus hìc colligi meritò potest, pęnam scilicet peccatis debitam remissam ab Ecclesia tunc fuisse, cùm virtute perfectæ contritionis jam à Deo remissa præsumebatur.

Resp. dist. cùm remissa præsumebatur virtute contritionis, in ordine ad indulgentiam, & ex illius, totiusque satisfactionis adimplendæ voto seu desiderio, concedo: sine ordine ad indulgentiam, & ullo penitentiæ adimplendæ voto seu desiderio, nego. Quemadmodum igitur Sacerdos verè absolvit à culpa, quæ per contritionem perfectam in Sacramento jam remissa

videtur; ita & à pęna verè absolvit, licèt non absolvat, nisi moraliter certum sit pœnam à Deo remittendam per indulgentiam, vel propter ipsius votum jam remissam esse.

Dices 3. Indulgentiæ nostræ generales sunt, ac certis quibusdam conditionibus seu operibus à Summis Pontificibus sic colligantur, ut iis omissis nihil prosint: atqui hujusmodi indulgentiarum usus antiquior non videtur undecimo sæculo, ut probat Morinus L. 10. de Penit. c. 19. & 20.

Resp. 1. indulgentias sive generales sint, sive privatæ, ejusdem esse naturæ ac conditionis; nec aliud inter eas discrimen occurrere, quàm merè accidentale, quale est inter pœnitentiam privatam & publicam. 2. nostra etiam ętate nonnullas esse indulgentias quæ ad omnes omnino Christianos non pertinent, sed ad certas Congregationes & Fraternitates. 3. primis etiam sæculis indulgentiarum fructum à certis conditionibus seu pietatis operibus dependentem fuisse, quibus neglectis & omissis, cassa & inutilis erat indulgentia. Diversitas autem illa & varietas operum quæ injungebantur, naturam ipsam indulgentiarum non mutat: quamquam ergo indulgentiarum nostrarum forma non videatur sæculo undecimo antiquior, sicut contendit Morinus, attamen indulgentiæ ipsæ in se consideratæ, quatenùs sunt relaxationes pęnæ temporalis peccatis debitæ, & à Christo ipso suam vim & originem trahunt, ab Ecclesia semper usurpatæ fuere, & eædem ubique sunt quantùm ad naturam & substantiam.

Dices 4. Ecclesia dispensare non potest à jure divino: atqui dispensaret à jure divino, si pęnas temporales justitiæ divinæ debitas relaxaret.

Resp. dist. maj. Ecclesia ex sese ac propria auctoritate independenter à
2. Cor. Christo non potest dispensare, concedo: nomine & auctoritate Christi, ne-
2. v. 6. go. *Quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, ait Apostolus.

## ARTICULUS III.

### *De fundamento indulgentiarum, seu Ecclesiæ thesauro.*

Thesaurus Ecclesiæ hìc appellatur per metaphoram, cumulus seu collectio divitiarum, seu bonorum spiritualium, quorum dispensatio Ecclesiæ credita est. Thesaurum appellat, tùm Clemens VI. S. P. Extravag. *Unigenitus*. an. 1350. & Synodus Trid. Sess. 21. de reform. c. 9.

Duo quæruntur: primum, an sit in Ecclesia thesaurus ex meritis Christi & Sanctorum. Secundum, quomodo Sanctorum merita ad thesaurum illum concurrant: an via solutionis & satisfactionis, an tantùm via suffragii, intercessionis & impetrationis.

Dissentiunt circa caput istud inter se Theologi: revera etenim modus ille quo merita Sanctorum ad thesaurum pertineat, definitus non est ac fide certus; è contra, eadem fide tenendum, Ecclesiæ thesaurum ex meritis Christi constare, qua certum est datam Ecclesiæ potestatem concedendi indulgentias. Solus Franciscus Mayronis Franciscanus in 4. dist. 19. q. 2. in dubium revocare visus est, num thesaurus Ecclesiæ ex superefluentibus Christi meritis ac satisfactionibus coalescat.

PRI-

## PRIMA CONCLUSIO.

Fide catholica certum eſt, theſaurum Eccleſiæ præcipuè ac primariò coaleſcere ex meritis & ſatisfactionibus Chriſti infinitis ac ſuperabundantibus.

Probatur: quia fide catholica certum eſt, Chriſtum eſſe Deum & hominem eſſe *propitiationem ac redemptionem pro omnibus*. 1. Joan. 2. v. 2. Coloſſ. 2. v. 14. ac conſequenter merita ipſius & ſatisfactiones infiniti ac ſupereffluentis valoris eſſe ac meriti, in quo indulgentiarum theſaurum fundari declarat Clemens VI. Conſt. laudata *Unigenitus*. titulo *De pœnit. & remiſſ. In ara crucis*, inquit, *innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet: ſed copioſè velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe . . . Quantùm ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit ? ... Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per B. Petrum cœli clavigerum, ejuſque ſucceſſores ſuos in terris vicarios commiſit Fidelibus ſalubriter diſpenſandum.* (Extrav. comm. p. 351.)

Dices cum Mayronio: Chriſto cumulatiſſimè tantum præmium redditum fuit, quantum meruit.

Reſpondet Maldonatus, ſententiam hanc hæreſi proximam eſſe: tùm quia ſi de præmio eſſentiali intelligatur, vi unionis hypoſtaticæ Chriſto debitum fuit ac connaturale; ſi verò de prĕmio accidentali, exaltatione ſcilicet nominis, Eccleſiæ dilatatione &c. adhuc falſa & erronea videtur ſententia: merita etenim & ſatisfactiones Chriſti valoris ac pretii ſunt infiniti, quæ ſemper excedunt quodcunque præmium accidentale. (Tract. de Indulg. 2. q. generali p. 371.)

## SECUNDA CONCLUSIO.

Sanctorum merita & ſatisfactiones aliquo modo etiam pertinent ad theſaurum Eccleſiæ.

Probatur I. ex articulo Symboli de communione Sanctorum. Quid enim aliud eſt iſta communio? quàm bonorum operum ac meritorum ſocietas & communicatio, ut quod ab uno agitur, ad alios quodam jure pertineat: membra ſcilicet ejuſdem corporis ſeſe mutuò juvant. *Eccleſia*, inquit S. Ambr. L. 1. de Officiis c. 29. *in commune orat, in commune operatur.* (To. 2. p. 38. C.)

II. Certum eſt ex Scripturis, Deum Sanctorum precibus moveri & excitari ad condonandas debitas pœnas. Pepercit Loth propter fidem Abrahæ: pepercit Iſraelitis propter Moyſen: pepercisſet Sodomitis, ſi vel decem viri juſti Sodomis extitiſſent.

III. Juſtos inter quos vivimus, ſuis precibus poſſe pœnæ mitigationem ſeu relaxationem obtinere, demonſtrat famoſum exemplum Martyrum tempore S. Cypriani.

IV. Ex ipſa jam laudata Clementis Extravagante *Unigenitus*, ubi ſic loquitur. *Ad cujus quidem theſauri cumulum beatæ Dei genitricis, omnium electorum* (Extrav. comm. P. 351.)

*rum à primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quàm pro eo quòd quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.*

Dixi in Conclusione, merita Sanctorum *quodammodo* pertinere ad Ecclesiæ thesaurum. *Merita Sanctorum*, ait Gamachæus noster disput. de indulgent. To. 3. p. 806. *qui plùs passi sunt, quàm meruerant, aut debebant secundùm justitiam divinam, saltem secundariò & per accidens, licèt non essentialiter reponuntur in illo Ecclesiæ thesauro.*

Dices: Christi satisfactio infinita est, nec exhauriri unquam potest: sola igitur sufficit omni debito pœnæ temporalis extinguendo; adeoque satisfactiones Sanctorum non solùm inutiles sunt & otiosæ, sed quodammodò Christo injuriosæ.

Resp. nego consequentiam: inutiles non esse, nec Christo injuriosas, imò planè necessarias, privatas nostras satisfactiones, suprà ex professo probavimus. *Non enim coronabitur nisi qui legitimè certaverit*, ait Apostolus 2. ad Timot. 2. Quare igitur Sanctorum merita & satisfactiones aut quidquam detraherent meritis Christi, aut inutiles forent ad ditandum Ecclesiæ thesaurum? Eas meritis Christi non adjungimus, quasi merita Christi non sufficerent, absit; sed ut illæ otiosæ non sint, ut Sancti hoc honore gaudeant, imò ut & vis ac efficacia meritorum Christi magis eluceat & commendetur, utpotè quæ ipsis etiam Sanctorum bonis operibus, ut nobis aliquid mereantur, virtutem & efficaciam influunt ac communicant. Itaque Sanctorum merita cum meritis Christi conjuncta, non sunt quid majoris pretii & æstimationis, quàm merita Christi sola à meritis Sanctorum separata. Quemadmodum causæ secundæ quibus Deus utitur in hac regenda rerum universitate, conjunctæ cum omnipotentia divina non sunt quid intensivè majus aut potentius, quàm ipsa omnipotentia sine illis spectata, quibus certè Deus utitur, non ex aliqua necessitate aut indigentia, sed ex libera sua voluntate; ita pariter Ecclesia duce Christo utitur ad commodum nostrum superabundantibus Sanctorum satisfactionibus, non quòd absolutè ac essentialiter nobis necessariæ sint, (quibus Christus abundè sufficit) sed quia sic expedire judicavit propter ipsum etiam, ut diximus, honorem Sanctorum, & commendationem meritorum Christi.

Instabis 1. Majestate Christi indignum videtur, in eodem thesauro reponere superabundantes & infinitas satisfactiones Christi, cum momentaneis levibusque Sanctorum passionibus.

Resp. 1. indignum non fuit majestate Dei, uniri hypostaticè cum humana natura in una Verbi persona; cur indignum foret majestate Christi in eodem thesauro reponi merita ipsius cum meritis Sanctorum, maximè cùm tota istorum virtus à Christo tanquam à fonte profluat?

2. Non eodem loco & pretio habemus merita Christi, & Sanctorum: scimus hæc finita esse, illa verò infinita; hæc secundariò dumtaxat & per accidens ad thesaurum Ecclesiæ concurrere, alia verò primariò ac essentialiter.

3. Scriptura nonnulla exempla suppeditat rerum quæ uniuntur, tametsi aut natura, aut dignitate longè dispares sint. Exodi 14. v. 31. *Israelitæ dicuntur credidisse Domino, & Moysi servo ejus.* L. 4. Reg. c. 19. v. 34. Deus ait: *Protegam*

*gam urbem hanc , & salvabo eam propter me , & propter David servum meum.* Act. 15. Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati ajunt : *Visum est Spiritui sancto & nobis.* S. Paulus 1. Cor. 3. se Christi *adjutorem* facit ; & *Salvatoris* officium vendicat, 1. Cor. 9. & *illuminatorem* omnium hominum se dicit, Ephes. 3. An porrò ea omnia eodem titulo ac sensu sibi cum Christo communia esse usquam somniavit Apostolus? non certè.

Instabis 2. Vix explicari potest modus quo passiones Sanctorum nobis per indulgentias applicantur : an simul cum meritis Christi; an seorsim : an partim ex meritis Christi, partim verò ex meritis Sanctorum.

Resp. inutiles prorsus & otiosas videri hujuscemodi quæstiones, quæ definiri certò non possunt. Certum est thesaurum Ecclesiæ componi ex passionibus Christi & Sanctorum. Certum est satisfactiones Christi, licèt infinitas, finito modo nobis applicari; adeòque sine ulla injuria posse aliquid addi ex satisfactionibus Sanctorum. Quomodo verò ista distribuantur; & quantùm ex parte Christi, quantùm verò ex parte Sanctorum excerpatur, ut nobis applicetur, quis novit?

## TERTIA CONCLUSIO.

Merita & passiones Sanctorum ad Ecclesiæ thesaurum concurrunt ac pertinent, non modò via suffragii & impetrationis, sed etiam solutionis.

Probatur 1. Quia eorum passiones seu satisfactiones, qui plùs solvunt, quàm debent, aliis ad pœnæ temporalis relaxationem seu compensationem via solutionis prodesse possunt: atqui benè multi sunt inter Sanctos, qui suis satisfactionibus ac bonis operibus plùs solvunt pro temporali pœna, quàm reipsa debeant, ac mereantur eorum peccata. An non B. Virgo plùs passa est hac in mortali vita, quàm debuerit, quandoquidem nulli omninò peccato, seu originali, seu actuali, obnoxia fuit? An non plùs quàm debuit passus est Joannes Baptista in utero materno sanctificatus, qui tam piè & austerè vixit, ut ne levi quidem macula vitam suam asperserit? An non Apostoli, totque Martyres plura dura & acerba sustinuerunt, quàm eorum noxæ mererentur? De seipso Job dicebat cap. 6. *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc gravior appareret.* Et Apostolus 2. Cor. 11. v. 23. *Plùs ego*, ait, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum.* At statim addit: *Non in hoc justificatus sum*; id est, plenam, ac certam fidem non habeo, me justum esse: nam quis seipsum perfectè novit? *Delicta quis intelligit?* Ps. 18. & ideo seipsum Paulus non judicat.

Idem Apostolus 2. Cor. 12. v. 15. dicebat : *Ego lubentissimè impendam, & superimpendar ipse pro vobis.* Et 2. ad Timoth. 2. v. 10. *Omnia sustineo propter electos.* Et ad Coloss. 1. v. 24. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt* (seu quæ supersunt) *passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Passiones suas eo omni modo Fidelibus impertiri ac communicare desiderabat Apostolus, quo fieri poterat; *impendam & superimpendar*. At communicari poterant solvendo pro illis pœnam temporalem, cujus illi debitores erant.

2. Mar-

2. Martyres, qui *digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati*; haud dubiè ultrà mensuram pœnæ peccatis eorum debitæ, passi sunt; unde pro iis non orat Ecclesia, sed illis seipsam potiùs commendat. *Injuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre*, ait Aug. Serm. 159. aliàs 17. de verbis Apostoli. Ergo quod in ipsis meritorum ac passionum redundat, communicari aliis potest.

To. 5. p. 765. G.

3. Clemens VI. laudata Extravag. *Unigenitus*, in thesauro Ecclesiæ recondit merita Christi & Sanctorum, neque distinguit inter modum quo nobis prosunt, vel solutionis, vel tantùm suffragii & impetrationis: merita autem Christi via solutionis nobis per indulgentias applicari, nemo est qui dubitet; quamquam in gradu valdè dispari, ut diximus.

4. Denique, S. Pius V. inter alias multas, istam quoque Baji propositionem n. 60. proscripsit, *Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

Recueil des Bulles, p. 21.

## *Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1. Omnes Sancti plenam & plenissimam laborum suorum mercedem receperunt. Lucæ 6. v. 38. Matth. 19. v. 29. Ergo nihil ipsis superest quod aliis via solutionis impendere possint.

Resp. dist. ant. plenam mercedem receperunt, quatenus opera eorum meritoria erant, concedo: quatenus satisfactoria, nego. Unum scilicet & idem opus bonum simul & meritorium est, quia fit ex charitate; & satisfactorium, quia pœnale. V. g. eleemosyna delet peccatum, quod satisfactorium est. Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Et Ecclesiastici 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*; & tamen eadem eleemosyna, quia est opus bonum & Deo gratum, meritoria est vitæ æternæ. Matth. 25. *Percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Idem dicendum de jejunio, quod satisfactorium est, quia pœnale, & simul meritorium, cùm fit ex charitate: & certè qui pro alio jejunat, non minùs meretur, quàm si jejunaret pro seipso; & ita hoc suo jejunio & satisfacit pro alio, & meretur pro semetipso. Itaque bona Sanctorum opera quatenùs meritoria, plenam ac plenissimam mercedem consequuntur; quatenùs verò satisfactoria, plùs aliquando pœnarum divinæ justitiæ solvunt, quàm debeant: ac consequenter, quæ in iis superabundant ac supereffluunt, nobis per indulgentias applicantur ad remissionem pœnæ temporalis. De hac distinctione operis meritorii & satisfactorii, lege Bellarminum Lib. 1. de Indulg. cap. 2.

To. 2. p. 438.

Instabis. Vita æterna bonis operibus rependitur, non tantùm ut præmium amoris & meritorum, sed etiam ut merces laboris & satisfactionum.

Resp. dist. Sed etiam ut merces laboris & satisfactionum, tam ratione gloriæ, quàm pœnæ temporalis, quam plurimorum Sanctorum passiones longè superant & excedunt, concedo: quam non superant, nec excedunt, nego. Solutio patet ex dictis: indulgentiæ quippè exurgunt ex supereffluentibus Sanctorum meritis ac satisfactionibus.

Obji-

Objicies 2. Quidquid passi sunt ac fecerunt Sancti, pati ac facere debuerunt. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt...dicite....quod debuimus facere, fecimus.* Lucæ 17. Ergo nihil ipsis residuum superest, quod aliis conferre possint; maximè cùm *non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, ait Apostolus Rom. 8. v. 18.

Resp. ad primum, Christum eò loci loqui de præceptis Decalogi, quæ servare tenemur, & cùm ea servamus, gloriandum nobis non est, quia nonnisi ex auxilio divinæ gratiæ planè gratuito ea observavimus. Verùm prę-ter observationem præceptorum quæ est ad meritum, nonne plura sunt alia, quæ ex consilio observare possumus, quæ sunt non tantùm ad meritum, sed & ad satisfactionem? ex istis autem nonnihil, proportione servata ad pœnam debitam, redundans esse potest, quod aliis conferatur.

Ad secundum: non sunt condignæ passiones hujus temporis leves ac momentaneę, si conferātur cũ ęterna gloria ad eam promerendam, maximè si spectentur in se absque divina promissione & auxilio gratię Dei; possunt tamen cum eadem gratia condignum habere meritum ad satisfaciendũ, etiam ultra debitum.

Objicies 3. Si Sancti pro nobis mererentur remissionem pęnæ temporalis, mereri etiam nobis possent primam gratiam; quia, inquit Maldonatus, idcircò pęnæ remissionem nobis promerentur, quia sunt in gratia: quidni ergo & primam gratiam promereri nobis possunt?

Resp. causam hanc esse, quia gratia non est proxima & formalis ratio, cur Sancti satisfacere pro nobis possint ad temporalis pęnæ relaxationem; aliàs Sanctus quilibet gratia instructus, cujus tamen merita & passiones non excedunt debitum pęnæ ab illo persolvendæ, posset nos liberare à pęna illa temporali persolvenda, quod falsum est. Ratio igitur formalis, proxima & immediata est ipsa supereffluentia, seu redundantia meritorum ac satisfactionum in Sanctis, ad quam materialiter tantùm ac præsuppositivè se habet gratia sanctificans habitualis.

Objicies 4. Opera bona, quamtumlibet excedant mensuram delictorum, condignum esse non possunt pretium alienæ satisfactionis, nisi ex distincta & formali intentione operantis; alioquin, ait idem Maldonatus, illorum etiam opera qui pro se satisfaciunt, nec habent superfluas ac redundantes satisfactiones, aliis quoque prodessent, imò unus pro aliis omnibus posset, etiam non cogitando, satisfacere, quod videtur absurdum: atqui non ea fuit Sanctorum mens ac intentio cùm bonis operibus incumbebant, ut satisfacerent pro aliis; præ sua enim humilitate ac modestia vix se pares putabant satisfaciendo pro levioribus etiam culpis.

Resp. nego ant. ejusque probationes quæ sophisticę sunt ex ignoratione Elenchi. 1. falsò supponitur necessariam esse in Sanctis expressam & formalem intentionem satisfaciendi pro aliis: sufficit enim generalis intentio, qua volunt aliis quantùm possunt prodesse, juxta mentem ac intentionem Ecclesię, quę sub capite suo Christo per indulgentias Sanctorum superfluas satisfactiones nobis sub certis conditionibus & operibus applicat. 2. falsò supponitur, aut eos Sanctos, quorum satisfactiones non redundant, aut unum pro aliis omnibus satisfacere posse: sæpius etenim hìc dictum fuit, indulgentias fundamentum habere, primariò & essentialiter in meritis Christi infinitis; secundariò verò ac per accidens in superfluis Sanctorum meritis ac satisfactionibus.

Objicies

Objicies 5. Sequitur ex nostra sententia, indulgentias defunctis prodesse non posse, quia non amplius illi clavibus ac jurisdictioni Ecclesiæ subjacent.

Resp. dist. ant. prodesse non posse via solutionis, concedo: via suffragii & impetrationis, nego.

## ARTICULUS IV.

### *De valore indulgentiarum.*

Valoris nomine non hìc intelligitur aut pretium, aut utilitas indulgentiarum, sed validitas dumtaxat; ac quæritur qua certa regula dignosci possit ratas ac validas esse indulgentias. Alii sic quæstionem proponunt, *An indulgentiæ tantum valeant, quantùm sonant*, clave, ut ajunt, non errante.

## CONCLUSIO.

Tantum valent indulgentiæ, quantùm sonant, clave non errante: id est; si concurrant quatuor istæ conditiones; ex parte dantis, auctoritas, & causa legitima; ex parte accipientis, charitas, & executio eorum quę in Litteris indulgentiarum præcipiuntur.

I. Necessaria est in dante auctoritas: nullus quippè, ut fert axioma Juris, major est defectus, quàm potestatis.

II. Requiritur causa justa & legitima ad concedendas indulgentias: Summi etenim Pontifices & Episcopi dispensatores dumtaxat sunt ac ministri, non absoluti domini bonorum Ecclesiæ; quapropter ad mentem & intentionem Christi, & juxta regulas legitimæ dispensationis, bona illa communicanda sunt Fidelibus.

III. Necessariam esse in suscipiente gratiam & charitatem constat, quia non remittitur pœna, nisi priùs remissa & sublata culpa.

IV. Requiritur etiam executio operis per Bullas indulgentiarum injuncti, quia sub illa conditione illæ conceduntur. Quartam istam conditionem omittit S. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. ubi docet *indulgentias tantum valere, quantùm sonant*; modò ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis charitas, & ex parte causæ pietas. Idcircò verò executionis operis injuncti mentionem non facit sanctus Doctor, quia absolutè necessarium non videtur ut novum opus injungatur, quandoquidem in favorem operis præteriti indulgentia concedi potest. Sed de his mox recurret amplior dicendi locus.

## ARTICULUS V.

### *De iis à quibus dari possunt indulgentiæ.*

Quæres 1. ad quem proprio jure pertineat publicas, solemnes, ac plenarias indulgentias conferre.

Resp. ad Summum Pontificem, jure tùm divino, tùm canonico. 1. quia Petro

Petro dictum est: *Tibi dabo claves regni Cœlorum. Quodcunque solveris in terra, erit solutum & in Cœlo. Pasce oves meas.* Jure quippè divino S. Pontifex Petri successor jurisdictionem habet in universa Ecclesia, & primatum supra cæteros Episcopos; adeoque ad ipsum quasi innato jure pertinet publica Ecclesiæ bona Fidelibus per solemnes ac publicas indulgentias dispensare. 2. jure canonico potestas illi asserta & confirmata fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Can. 62. qui refertur cap. *Cùm eo*. Extra. *De pœnitentiis, & remissionibus*. Unde in Concilio Constantiensi suspectus de hæresi interrogari debet, *Utrum credat quòd Papa omnibus Christianis verè contritis ac confessis ex causa pia & justa concedere possit indulgentias in remissionem peccatorum.* To. 12. Conc. p. 270.

Dices: Indulgentiæ universales ac plenariæ dicuntur, quæ ad omnes spectant, & omnibus dantur: at quàm multi sunt quibus reipsa non dantur?

Resp. indulgentias universales ac plenarias dici, quia omnibus offeruntur Christianis Fidelibus, licèt non omnibus dentur seu applicentur, sive quia eas rejiciunt, sive quia indigni sunt quibus applicentur.

Quæres 2. an Archiepiscopi & Episcopi jus habeant conferendi indulgentias.

Resp. affirmativè, jure tùm divino tùm ecclesiastico. 1. jure divino, quia jurisdictionis potestatem immediatè à Christo acceperunt Joan. 2. *Quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in Cœlis*. Act. 2. *Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo*. 2. jure canonico: constat enim ex Canonibus anteà laudatis Concilii generalis I. Nicæni, Ancyrani & aliorum, factam Episcopis potestatem mitiùs & indulgentiùs agendi cum pœnitentibus, pro majori eorum studio ac fervore in obeundis laboriosis pœnitentiæ operibus. Olim amplior erat illa potestas, ut patet ex S. Cypriano; posteà restricta fuit ad annum pro Dedicatione Ecclesiæ, & ad dies quadraginta pro aliis temporibus. Ita statutum fuit in Concilio Lateranensi IV. jam citato, Can. 62. qui Canon, interprete Sylvestro, qui Innocentium IV. laudat, & Fagnano, intelligendus est de solis indulgentiis quæ publico ac solemni ritu conferuntur, non de iis quas Episcopi justis de causis in foro pœnitentiæ largiri possunt. Non tantùm autem jure suo possunt Episcopi conferre indulgentias, sed etiam nullæ in eorum Diœcesi publicari possunt, nisi de illorum licentia. Ita multis Conciliorum Decretis statutum est: Camerac. an. 1567. Rothomag. an. 1581. Turon. an. 1583. Narbon. an. 1609. & à Clero Gallicano in Comitiis generalibus anni 1625. To. 11. Conc. p. 216. C.

Quæres 3. an Archiepiscopi easdem in sua Provincia, quas Episcopus in sua Diœcesi, concedere possint indulgentias.

Resp. affirmativè, in iis saltem locis in quibus recepta est invecta per Decretales disciplina. Probatur ex Cap. *Nostro*, quod est Honorii III. eodem titulo, *De pœnit. & remiss.* Lib. 5. Decretalium. At, inquies, Archiepiscopus jurisdictionem non habet in Diœceses suorum suffraganeorum, nisi in cursu visitationis, aut in casu appellationis: porrò indulgentias concedere, est actus jurisdictionis. Decret. p. 1875.

Resp. non habere quidem jurisdictionem ordinariam nisi in hoc duplici casu; habere tamen extraordinariam, quantùm ad indulgentias concedendas, à jure canonico.

Quæres

Quæres 4. an Archiepiſcopi extra ſuam Provinciam, & Epiſcopi extra ſuam Diœceſim jus habeant conferendi indulgentias.

Reſp. negativè, defectu ſcilicet juriſdictionis. Ita reſpondet S. P. Alexander III. ſcribens ad Cantuarienſem Epiſcopum, Cap. *Quòd autem.* titulo, *De*
*Ibid. p. 1865.* *pœnit. & remiſſ. Quòd autem conſuluiſti*, ait S. P. *utrum remiſſiones quæ fiunt in Dedicationibus Eccleſiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis proſint, quàm iis qui remittentibus ſubſunt : hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quòd cùm à non ſuo judice ligari nullus valeat vel abſolvi, remiſſiones prædictas prodeſſe illis tantummodò arbitramur, quibus, ut proſint, proprii judices ſpecialiter indulſerunt.*

Quæres 5. an Abbates, Presbyteri, aliique inferiores miniſtri publicas & ſolemnes indulgentias dare poſſint, ſine ſpeciali commiſſione.

*Ibid. p. 1790.* Reſp. negativè: quia jure canonico eo jure privantur. Cap. *Accedentibus.* Lib. 4. Decret. titulo, *De exceſſibus prælatorum*, arguuntur Abbates qui ſuis finibus non contenti, manus ad ea quæ ſunt Epiſcopalis dignitatis extendunt, de cauſis matrimonialibus cognoſcendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam Litteras indulgentiarum. *Præſenti decreto firmiter prohibemus*, ajunt Patres Conc. IV. Later. Can. 60. *ne quis Abbatum ad talia ſe præſumat extendere, niſi fortè quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa ſuper hujuſmodi valeat ſe tueri.* *To. 11. Conc p. 213.*

Dices 1. Abbates juriſdictionem habent in ſuos Religioſos: quin & Præpoſiti Ordinum religioſorum extraneos participes aliquando faciunt meritorum & ſatisfactionum Ordinum ſuorum.

Reſp. 1. Abbates habere quidem in ſuos Religioſos juriſdictionem, quantùm ad diſciplinam monaſticam; ſed eò ſe non extendit ut publicas & ſolemnes indulgentias largiri poſſint. 2. Dico communicationem illam meritorum vel ſatisfactionum, quas Præpoſiti Ordinum religioſorum concedere ſolent, veri nominis indulgentiam non eſſe. 1. quia illi Præpoſiti nullam juriſdictionem habent in exteros, ut eos à debito pœnæ temporalis perſolvendæ abſolvere validè poſſint. 2. quia illa meritorum communicatio à pœna in foro pœnitentiæ injuncta per Sacerdotem, liberare non poteſt. 3. quia non fit virtute clavium ex theſauro Eccleſiæ. 4. denique, quia communicatio hæc fit per modum impetrationis ſeu orationis; quomodo etiam Fideles pro ſe invicem orant, ac pro aliis aliquo modo ſatisfacere & gratias promereri dicuntur, non via ſolutionis, ſed ſuffragii & impetrationis.

Dices 2. Simplices Presbyteri in foro pœnitentiæ ab aliqua pœnæ temporalis parte liberant; ergo &c.

Reſp. eam tantùm pœnæ relaxationem veram eſſe indulgentiam, quæ fit in foro externo, minuendo ſcilicet pœnam temporalem à jure, vel ab homine impoſitam: talis autem non eſt ea relaxatio quæ fit in tribunali Pœnitentiæ; quandoquidem, ait Bellar. L. 1. de indulg. cap. 11. quod minus
*To. 2. p. 452. F.* (Sacerdotes) injungunt, expiandum erit pœnitenti vel in hac vita per opera pœnalia ſponte aſſumpta, vel in Purgatorio.

Inſtabis 1. Sacerdotes virtute clavium juriſdictionem exercent in tribunali Pœnitentiæ.

Reſp. diſt. juriſdictionem exercent in foro interno & ſecreto Pœnitentiæ, concedo : in foro externo & publico Eccleſiæ, nego. Porrò facul-

facultas concedendi indulgentias pertinet ad forum externum Ecclesiæ:

Instabis 2. Martyres olim indulgentias lapsis concedebant, inter quos haud dubiè aliqui erant Sacerdotes simplices, & aliqui Laici.

Resp. dist. ant. indulgentias concedebant, precibus & intercessione apud Episcopos, concedo: auctoritate ac jurisdictione, nego.

Quæres 6. an ad solemnes & publicas indulgentias conferendas necessaria sit potestas Ordinis seu characteris; an sufficiat potestas jurisdictionis.

Resp. sufficere potestatem jurisdictionis. Patet ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ Episcopis electis & nondum consecratis permittit indulgentias conferre, quia fruuntur illi etiam non consecrati jurisdictione in suos.

Dices 1. Indulgentia, ex dictis, est vera absolutio: sed ad absolvendum requiritur potestas Ordinis.

Resp. dist. maj. est absolutio à pœna temporali extra Sacramentum, concedo: à culpa & pœna æterna, nego. Dist. pariter min. ad absolvendum à culpa & pœna æterna requiritur potestas Ordinis, concedo: ad absolvendum à pœna temporali extra Sacramentum, nego.

Dices 2. Facultas concedendi indulgentias pertinet ad potestatem clavium; ista autem clavium potestas non tantùm est jurisdictionis, sed etiam Ordinis.

Resp. dist. ant. pertinet ad potestatem clavium inadæquatam & partialem, ratione jurisdictionis, concedo: adæquatam & totalem, ratione etiam Ordinis, nego.

Instabis: Indulgentiæ valent coram Deo ad relaxationem pœnæ temporalis; ergo valent in foro interno pœnitentiæ, adeoque postulant non tantùm potestatem jurisdictionis, sed etiam Ordinis.

Resp. dist. conseq. ut applicentur indulgentiæ, concedo: ut dentur seu offerantur, nego. Ut igitur applicetur indulgentiæ fructus, atque cùm hæc applicatio jungitur cum absolutione sacramentali, necessaria quidem est potestas Ordinis; ut verò dentur seu offerantur, requiritur tantùm potestas jurisdictionis: multis quippè offeruntur, quibus non applicantur, quia indignos se præbent quibus applicentur.

## ARTICULUS VI.

### *De iis quibus indulgentiæ concedi possunt: an tantùm vivis, an etiam mortuis.*

De viventibus nulla hìc controversia, & quæ hactenus à nobis de indulgentiis dicta sunt, viventes spectant, non alios. De solis igitur defunctis movetur hìc quæstio. Duobus autem modis solemnes ac publicæ indulgentiæ conferri & applicari possunt: per modum scilicet judicii & absolutionis; aut suffragii, seu subsidii cujusdam ecclesiastici: utroque modo eas mortuis dari posse negant Lutherani & Calvinistæ.

## PRIMA CONCLUSIO.

Indulgentiæ mortuis concedi non possunt per modum judicii & absolutionis.

Ratio aperta est, quia Ecclesia judicium exercere non potest in eos qui ejus clavibus & jurisdictioni non subjacent: atqui tales sunt mortui; ergo &c. Hinc est quòd cùm SS. Pontifices indulgentias ad mortuos extendunt ordinariè clausulam istam addunt, *per modum suffragii*. Ita Alexander VI. Clemens VII. Julius III. & Gregorius XIII. de indictione Jubilæi; & Leo X. in Epistola ad Cajetanum, quam laudat Estius in 4. dist. 20. paragr. 11. expressè meminit indulgentiarum, quæ conceduntur per modum judicii, & suffragii.

Major in 4. dist. 20. q. 2. ait sacram Facultatem Parisiensem se præsente damnasse istam Joan. Angeli propositionem, *Animæ in Purgatorio detentæ sunt de jurisdictione Papæ*: quam *suspectam, scandalosam, & nullatenus publicè prædicandam esse*, declarat sacra Parisiensis Facultas.

Dices: Ecclesia nonnunquam mortuos vel absolvit vel damnat; ergo jurisdictionem in eos exercet.

Resp. Ecclesiam mortuos vel absolvere vel damnare, cùm nempè declarat errore facti aut damnatum fuisse innocentem, cujus memoriam cum laude & honore restituit; aut absolutum reum, quem publicis privat Fidelium suffragiis. *Excommunicatio vel absolutio defunctorum*, ait Bellarminus L. 1. de indulg. c. 14. *est potius declaratio sententiæ, quæ ferenda fuisset, si meritum eorum non latuisset, quàm nova aliqua pœna, quæ ad animas ipsas pertingat.*

To. 2. p. 457. B.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Mortuis conceduntur indulgentiæ per modum suffragii.

Tom. 2. p. 264. col. 2. Nomine suffragii, ait Estius in 4. dist. 20. paragr. 11. intelligimus auxilium seu subsidium ecclesiasticum, quod tribus potissimùm modis conferri potest; vel merendo per opera, vel impetrando per orationes, vel satisfaciendo per passiones. *Indulgentia autem ut talis*, pergit Estius, *cùm propriè dispenset passiones sanctorum, non cujuscumque suffragii ecclesiastici, sed satisfactorii rationem habet.* Satisfactio autem hìc est debiti solutio, cùm nempè aliquis pœnam subit ac sustinet pro alio, cui illa debetur.

Probatur Conclusio.

I. Quia certum est ex fide, animas Fidelium defunctorum quæ in Purgatorio detinentur, viventium suffragiis & incruento Missæ sacrificio juvari posse. Doctrina est Concilii Trid. Sess. 25. decreto de Purgat. Sess. 6. de justific. Can. 30. & Sess. 22. de sacrificio Missæ cap. 2. Porrò si mortui bonis viventium operibus, eleemosynis, precibus, jejuniis juvari possunt per modum impetrationis, quidni etiam per modum satisfactionis & solutionis? Nonne inter viventes unus pro alio satisfactoria opera potest offerre & applicare? Ergo & viventes idem erga defunctos præstare possunt: eadem enim est ratio utriusque satisfactionis, unio scilicet quæ intercedit inter membra ejus-

dem

dem corporis eodem vinculo fidei & charitatis copulata. Quippe qui degunt in Purgatorio Fideles, ejusdem nobiscum Ecclesiæ membra sunt: membra autem ejusdem corporis mutuò sibi auxilium & opem ferunt. Quo sensu intelligi potest quod ait Apostolus, *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Coloss. 1.v.24.

II. S. Thomas in 4. dist. 20. & in Supplemento qu. 91. c. 10. docet indulgentias *directè ac primariò* viventibus concedi, mortuis verò *indirectè ac secundariò*. Ratio hæc ipsi est, quia vivens facit id pro quo indulgentia datur, quod mortui facere non possunt; unde istis *indirectè ac primariò* indulgentiæ valere non possunt, sed tantùm *secundariò ac indirectè*, quando vivens pro iis facit *quod est indulgentiæ causa.*

Eodem sensu Gamachæus noster disp. de indulg. c. 11. ait; *indulgentias per modum suffragii dari hoc sensu, quia non tribuuntur ipsis defunctis directè, sed potius indirectè ac mediatè per homines viventes quibus conceditur, ut pro defunctis illas obtineant, iisque applicent, si velint: quemadmodum & possent suas satisfactiones privatas illis communicare, unde & hoc vocatur per modum suffragii.* T. 3. p. 840. col. 2. B.

III. denique certum est perpetuo ac constanti usu incruentum Missæ sacrificium pro defunctis in Ecclesia Dei oblatum semper fuisse. Vel ipsa Tertulliani ætate pro defunctis orabat Ecclesia: *Pro defunctis*, ait L. de corona militis c. 3. *pro natalitiis oblationes annua die facimus*. Et S. Augustinus Lib. 9. Confess. c. 12. testatur pro matre sua Monica *oblatum fuisse sacrificium pretii nostri*. Et Serm. 172. aliàs 32. de verbis Apostoli n. 2. *Orationibus*, inquit, *sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum iis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt, hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia...... Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerunt ante mortem, ut possint hæc utilia esse post mortem...... Non ergo mortuis nova merita comparantur...... sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur.* Judice igitur S. Augustino, universa Ecclesia pro defunctis orationes fundit & sacrificium offert. Porro, ut idem S. Doctor affirmat Epistola 54. aliàs 118. n. 6. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ audaciæ est.* Pa. 101. T. 1. p. 168. F. T. 5. p. 827. E. Ibid. p. 828. A. T. 2. p. 121. C.

Dices: Nemo mereri potest pro alio, seu meritum suum alteri communicare; ergo nec suas satisfactiones offerre.

Resp. nego conseq. Disparitas est, quòd meritum & gratia sit aliquid personale, quod requiritur ut homo disponatur formaliter & intrinsecùs ad placendum Deo, & habendam internam seu inhærentem sanctitatem, sine qua non posset gloriam & beatitudinem æternam obtinere; satisfactio verò, quamquam hoc sensu personalis fit, quia ab homine solvitur, potest tamen prodesse non tantùm illi qui eam exhibet, sed etiam alteri in cujus gratiam offertur. Deinde cùm satisfactio simpliciter sit pœnæ solutio, non confert homini realem sanctitatem & bonitatem internam, ut patet exemplo defunctorum, qui ob illas satisfactiones sibi applicatas, meliores seu sanctiores non evadunt.

Quæres 1. quo titulo defunctis prosint indulgentiæ: an justitiæ, an misericordiæ dumtaxat divinæ; an ex condigno, an ex congruo?

Resp. verisimilius esse illas prodesse non ex justitia, neque ex condigno, sed ex benignitate Dei ac liberali & misericordi ejus acceptatione; adeoque tantùm de congruo. 1. quia nullam habemus certam & fixam Dei eam in rem promissionem, nullum pactum. 2. incertum est utrum viventes pro viventibus de condigno satisfacere possint, licèt communi vinculo fidei ac charitatis inter se mutuò colligentur. Ratio est, quia nullibi obstrixit se Deus ut hanc satisfactionum inter viventes mutuam communicationem ex justitia ratam haberet. 3. licèt id de viventibus daremus, non eadem tamen ratio habenda foret de mortuis, propter longè diversum pœnarum genus, quæ hac in vita sustinentur & aliis applicantur, ab iis quas ferunt in Purgatorio animæ defunctorum: quapropter non videtur Deus teneri ex justitia vitæ hujus satisfactiones admittere pro remissione pœnarum Purgatorii. Si verò id fiat, ut certò fieri credimus, ex benignitate ac misericordia Dei, non ex justitia fieri, videtur longè probabilius. Inde duo colliges.

Primum, incertum planè esse qua mensura pœnæ Purgatorii relaxentur defunctis per indulgentias: tùm quia incertus est gradus fervoris ac pietatis, quo viventes pro mortuis satisfaciunt; tùm quia incertus pariter est gradus charitatis in quo justus mortuus est, qui tamen regula est applicationis quæ ipsi fit satisfactionum viventium. Ergo incerta est omninò mensura pœnæ quæ mortuis beneficio indulgentiarum remittitur.

Alterum est, certò statui non posse an illæ animæ, pro quibus indulgentiæ concessæ sunt, fuerint à Purgatorio liberatæ, ita ut pro illis orandum amplius non sit, aut sacrificium offerendum. Quapropter Maldonatus Tract. de indulg. q. 6. improbat istam indulgentias conferendi formam, *Qui hoc vel illud fecerit, liberabit unam animam de Purgatorio. Quia*, inquit, *nemo scit, quantùm debeat pœnarum anima illa, quæ liberanda est, ut indicari possit, satis esse illud suffragium ad liberandam illam*. Altaria igitur quæ privilegiata dicuntur, istud non habent annexum privilegium, ut cùm in ipsis Missæ sacrificium in gratiam & levamen alicujus defuncti offertur, illum statim à Purgatorio liberent ac cœlo reddant. Quis enim certò definiat, quod ab una pendet Dei voluntate? Esto major quædam indulgentia his altaribus auctoritate Pontificia annexa fuerit; quis tamen sit certus ac fixus illius effectus, planè ignoramus.

P. 381.

Quæres 2. an ut valeant indulgentiæ pro mortuis, aliquæ conditiones requirantur.

Resp. requiri ex parte conferentis, auctoritatem, & causam legitimam; ex parte eorum qui suffragia sua pro defunctis offerunt, executionem eorum quæ præscripta sunt; & ex parte defunctorum, quibus indulgentia confertur, charitatem, ac certam meritorum præteritorum mensuram.

I. Auctoritatem in conferente indulgentias necessariam esse, eamque in Summo Pontifice ut in Capite Ecclesiæ potissimùm residere, communis est sententia.

II. Cùm indulgentiæ viventibus dantur, causa legitima requiritur: quantò magis ubi agitur de mortuis? *Neque enim*, ait S. Thomas jam citata q. 71. art. 10. Supplementi, *Prælatus Ecclesiæ potest pro suo arbitrio animas à Purgatorio liberare, quia ad hoc ut indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens indulgentias faciendi*: seu, ut ait in 4. dist. 45. q. 2. *non quantam volue-*

*voluerit Pontifex defunctis potest concedere remissionem, sed quantam ratio postulat.* Atque explodit quod ridiculè nonnulli asserebant, posse S. Pontificem *totum evacuare Purgatorium. Non sufficit autem pro causa*, inquit Bellar. L. 1. de indulg. c. 14. *utilitas illarum animarum, vel gloria Dei quæ redundaret ex animarum illarum liberatione: nam si ista sufficerent, Christus ipse, pius ac misericors, jam omnes animas liberasset. Itaque requiritur causa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, & Ecclesiæ utilitatem, sicut de indulgentiis pro viventibus dicemus; ita ut S. Pontifex arbitretur gratiorem esse Deo rem illam, cujus gratia indulgentiæ conceduntur, quàm executionem justitiæ, quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorii.* To. 1. p. 458. D.

III. Ex parte viventium qui sua pro defunctis offerunt suffragia, requiritur tùm pia & prompta executio eorum quæ in Litteris indulgentiarum imperantur; tùm status gratiæ sanctificantis: si enim viventibus gratia hæc necessaria est, ut fructum indulgentiarum ipsi percipiant, (non enim remittitur pœna temporalis, nisi remissa culpa) quidni etiam ut mortuis ipsum conferant & applicet? Ita constat ex Rescripto Innocentii XII. qui testatur Innocentium X. Alexandrum VII. & Innocentium XI. certas indulgentias concessisse Fidelibus utriusque sexus *verè pœnitentibus & confessis*, quas possent applicare per modum suffragii animabus Fidelium qui ex hac vita piè ac sanctè migrarunt.

IV. Ex parte defunctorum requiritur, in mente ac sententia Cajetani, Tract. de indulg. q. 5. ut defunctus non solùm sit in statu gratiæ, sed etiam, ut dum viveret, fuerit devotus clavium Ecclesiæ, mortuosque suffragiis juvare studuerit, & pro suis peccatis satisfacere non neglexerit. Verùm sententiam hanc rejiciunt Estius & Bellarminus, rati statum gratiæ sufficere ut defuncti indulgentiarum effectum percipiant. Pro utraque parte laudatur sanctus Augustinus: verùm utraque sententia videtur hac via conciliari posse, nempè ut qui defuncti sunt in statu gratię, beneficio indulgentiarum solatium aliquod ac refrigerium percipiant, uberius tamen pro majori eorum charitate ac fervore, quo dum viverent pœnitentiæ operibus ac virtutum exercitio incubuere.

Quæres 3. an indulgentiæ prosint tantùm illis pro quibus in particulari offeruntur, an omnibus in communi defunctis in Purgatorio detentis.

Præpositivus, referente S. Thoma in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. dicebat suffragia Ecclesiæ semper prodesse Fidelibus defunctis in communi, & illis quidem magis qui liberationi propinquiores erant: quod illustrabat exemplo lucernę, quæ si accendatur in Aula Regis pro ipso Rege, non ipsi tamen soli lucet, sed omnibus qui adsunt, & illis quidem magis, qui oculos habent vegetiores: item exemplo libri qui coram Rege legitur, ex quo non minorem fructum percipiunt alii qui adsunt, quàm Rex ipse; & nonnulli fortè majorem.

Verùm communis Doctorum sententia est, ait Bellarm. Lib. 1. de indulg. c. 14. tam suffragia, quàm indulgentias prodesse omnibus defunctis, quoad gaudium quoddam accidentale; charitas enim facit omnia communia hoc sensu, quòd omnes qui sunt prædicti charitate gaudent de bonis aliorum, ac si propria essent: sed quoad satisfactionem & liberationem à pœnis, suffragia Ecclesiæ communia prodesse omnibus in communi; sed suffragia particularia, & indulgentias, quæ pro certis animabus suscipiuntur, non prodesse nisi illis, quibus ex intentione viventium applicantur. To. 1. p. 458. G. H.

## ARTICULUS VII.

### *De dispositionibus necessariis ad lucrandas indulgentias.*

DUbium non est quin executio injuncti operis per Bullam indulgentiarum, necessaria sit: at quæritur quo animi affectu opus illud perfici debeat. Estius in 4. dist. 20. paragr. 8. tria tempora distinguit: primum, quo indulgentia publicatur: secundum, quo fit opus pro consequenda indulgentia: tertium, quo quis eam actu consequi vult. Primus status est peccati; secundus, pœnitentiæ; tertius, gratiæ.

Dico igitur 1. necessarium non esse statum gratiæ, quo tempore indulgentiæ publicantur, ut illarum fructus postea percipi valeat: nullo enim jure, nulla ratione probari id potest; *nisi fortè*, ait Bellarm. L. 1. de indulg. c. 13. *idem sit tempus publicationis & perceptionis: ut cùm in sacello Pontificio dantur indulgentiæ omnibus qui divinis Officiis in eo loco interfuerunt.* To. 2. p. 454. G.

Dico 2. quo tempore indulgentia conceditur, & ultimum perficitur opus injunctum, necessarium esse statum gratiæ sanctificantis: quia, ut sæpius dictum fuit, non remittitur pœna temporalis, nisi condonata prius ac expuncta per sanctificantem gratiam culpa & pœna æterna. Ea ipsa de causa status gratiæ etiam requiritur, quando ultimum adimpletur opus injunctum, quia nempè eo dumtaxat instanti indulgentia suum sortitur effectum.

Dico 3. ut opera injuncta valeant ad finem indulgentiæ, optandum quidem, at necessarium non esse gratiæ sanctificantis statum; sed sufficere quòd fiant animo religioso ac pœnitenti ab omni affectu lethalis peccati alieno. Ratio est 1. quia veteres indulgentiæ primis Ecclesiæ sæculis concedebantur ante absolutionem sacramentalem, & consequenter ante perceptam gratiam sanctificantem, cùm nempè pœnitentes sese laboriosis operibus præparabant & exercebant. 2. preces, jejunia, eleemosynæ laudem & pretium habent, etiam cùm in statu peccati mortalis fiunt, sed animo pœnitenti; disponunt enim hominem ad justitiam, & ad conciliandam Dei amicitiam.

Dico 4. eum qui in statu peccati mortalis versatur, cujus affectum retinet, non posse opus injunctum utiliter ad finem indulgentiæ adimplere: quia nemo in statu & affectu peccati mortalis mereri potest ac Deo satisfacere.

Quæres 1. an confessio sacramentalis necessaria sit, ut opera per indulgentias injuncta utilia sint.

Resp. negativè. Sicut enim, ex mox dictis, necessarius non est status gratiæ sanctificantis; ita nec ad hoc videtur necessaria confessio, nisi fortè illa unum fuerit ex injunctis operibus formaliter expressum: ut in Extravag. *Unigenitus*, & in Constitutionibus Clementis VII. Julii III. & Gregorii XIII. ubi clausula hæc expressè inserta legitur, *verè pœnitentibus ac confessis*. Est tamen necessaria confessio priusquam effectus indulgentiæ percipiatur, tanquam medium, quo status gratiæ recuperatur, sine quo, ex dictis, indulgentiæ fructus non potest percipi.

Quæres 2. an præter statum gratiæ requiratur proportio operis satisfactorii cum indulgentia plenaria, & propositum satisfaciendi.

Resp. affirmativè; cujus responsionis causas & fundamenta exposuimus hìc Art. 1.

Art. 1. Conclusione tertia. Scilicet indulgentiæ vix unquam hominem eximunt ab omni pœna, & debito agendæ pœnitentiæ; quin & ipsæmet indulgentiæ majorem vel minorem effectum producunt, pro majori vel minori pœnitentis pia dispositione: atque cùm satisfactiones nostræ vix pares sint, quæ gravitati ac mensuræ delictorum respondeant, necessariæ nobis sunt indultiæ ad supplendum pœnitentiæ nostræ defectum; non ergo excludunt propositum satisfaciendi quantùm humana patitur infirmitas. At si ita est, inquies, inutilis & otiosa erit indulgentia; siquidem qui solvit totum quod debet, gratia & remissione non indiget. Falsa prorsus consecutio, quia homo infirmus par non est solvendo id omne quod divinæ justitiæ debet, qualecunque tandem sit ejus propositum satisfaciendi; quapropter & laborare debet quantùm pro viribus potest, ut Deo satisfaciat: quia verò infirmus est ac in multis deficit, necesse est, ut in subsidium & supplementum suæ satisfactionis, ad beneficium indulgentiarum recurrat.

Quæres 3. an qui opus aliquod ex injunctis fecit cum affectu peccati mortalis, & posteà contritus coram Deo reconciliatur, lucretur indulgentiam.

Resp. eo in casu necesse esse, ut quæ cum affectu lethalis peccati facta sunt opera bona, rursum in statu gratiæ sanctificantis fiant: quòd si fieri rursum illa non possunt, à Sacerdote mutanda sunt in alia quæ fieri possint; secus non obtinetur fructus indulgentiæ: neque enim prodesse possunt ac vivere, quæ mortua sunt; aliunde verò, nisi totum quod injungitur, impleatur, nihil obtinetur.

Quæres 4. an qui præ infirmitate intra tempus præscriptum opera injuncta exequi non potuit, posteà illa exequi licitè possit.

Resp. affirmativè: hanc enim Sacerdotibus facultatem conferunt Litteræ indulgentiarum, ut infirmis, aut alia legitima causa impeditis, aut differant indulgentias, aut etiam quædam ex injunctis operibus in alia convertant.

## ARTICULUS VIII.

### *De causis propter quas dari possunt indulgentiæ.*

DE causa finali seu motivo indulgentiarum potissimùm hic agitur. Causa verò generalis omnium indulgentiarum, est ut cedant in utilitatem Ecclesiæ, & gloriam Dei.

Quæres 1. an valeant indulgentiæ sine justa & legitima causa.

Resp. non valere: quia S. Pontifex, & Episcopi ministri sunt dūtaxat, dispensatores & œconomi bonorum Ecclesiæ, non domini. 1. Cor. 4. fidelis autem dispensatoris potestas absoluta non est, sed subordinata voluntati domini; ac dissipator ille haberi debet, non dispensator, qui contra domini sui voluntatem ac nulla de causa bona ejus diffundit ac disperdit: nulla scilicet est, sed irrita dispensatio quæ fit sine causa. Indulgentias sine causa justa concessas, *indiscretas ac superfluas* appellat Concilium Lateran. IV. Can. 62. Clemens VI. Extravag. *Unigenitus*, declarat ea conditione Petro ejusque successoribus thesaurum Ecclesiæ concreditum fuisse, ut eum pro *piis rationabilibusque causis dispensent*. Martinus V. in Constitutione post Concilium Constantiense, vult de hæresi suspectum interrogari, *Utrum credat quòd Papa omnibus Christianis verè contritis & confessis ex causa pia & justa possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum.* Extrav. p. 351. n. 70. To. 12. Conc. p. 270.

Quæres 2. quæ sit justa & legitima causa concedendi indulgentias?

Resp. cum Maldonato q. 4. de indulg. generatim causam illam considerari, vel in pœnitente, vel extra pœnitentem.

I. Causa justa in pęnitente est. 1. ista generalis, ut *cunctorum Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementiùs augeatur*. Ita Clemens VI. Extravag. *Unigenitus*. 2. magnitudo doloris, & acerbitas tristitiæ in pœnitente, ob diutiùs dilatam ejus cum Ecclesia reconciliationem: quo motivo ductus Apostolus, voluit Corinthium incestus reum post anni unius pęnitentiam communioni restitui, *ne fortè*, inquit 2. Cor. 2. *abundantiori tristitia absorbeatur*. Tertia causa fuit, periculum mortis, quo urgente pęnitentibus pax & communio dabatur, ut suprà ex S. Cypriano non semel vidimus. Quarta, ardens studium exequendi pęnitentiam injunctam, cujus intuitu contractum interdum fuit pęnitentiæ tempus. Quinta, difficultas exequendi injunctam pęnitentiam, seu propter longinquum iter, seu propter infirmitatem. Ita Concilium Triburiense anno 895. executionem pęnitentiæ quam Can. 55. homicidæ voluntario imposuerat, Can. 56. sic temperat: *Licitum sit ei, tertiam feriam, & quintam atque sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo.*

Tom. 9. Conc. p. 465.

II. Causa justa extra pœnitentem ad concedendas indulgentias multiplex esse potest ad publicum Ecclesiæ bonum, & Dei honorem: Infidelium v. g. conversio; hæreseon extirpatio; pax & tranquillitas Reipublicæ christianæ; bellum sacrum ad recuperandam terram sanctam; Basilicarum constructio; pauperum, viduarum, ministrorum Ecclesiæ sustentatio &c.

Quæres 3. an ad justam causam conferendi indulgentiam requiratur proportio aliqua operis injuncti cum indulgentia, ita ut pro majori indulgentia major causa requiratur; an verò possit pro opere minimo dari indulgentia maxima.

Resp. 1. consentire omnes, ad justam indulgentiæ causam non requiri ut opus injunctum sit æquivalens seu ad æqualitatem cum pęna debita; aliàs inutilis foret indulgentia, nec remissio foret, sed commutatio vel redemptio.

Resp. 2. duas hic esse oppositas opiniones. Prima existimat vel minimam causam sufficere ad indulgentiam, modò pia sit; hoc est non detur pro malo opere, vel pro opere merè temporali, aut pro opere vano & nihil ad divinam gloriam conferente, sed pro quocumque opere quod ad honorem Dei vel Ecclesiæ utilitatem cedat, quamquam sit levissimum ac tenuissimum. Altera sententia, quam Bellarminus *communiorem & veriorem esse agnoscit*, L. 1. de indulg. cap. 12. eorum est, qui ad justam causam requirunt aliquod non solùm pium & utile, sed etiam quod proportionem habeat cum indulgentia; ita ut non sit ratum, si detur pro causa levissima indulgentia maxima.

Sententiam hanc, quam sequimur, his momentis probat Bellarminus. 1. Abusus quidam videtur esse vocabulorum, requirere ad indulgentiam causam justam, & opus levissimum admittere: quomodo enim justa causa dici potest, quę nullam habet proportionem cum effectu? 2. Non solùm infidelis dispensator dicitur, qui nulla de causa donat bona domini sui, sed etiam qui pro minima profudit, ac prodigit thesauros pretiosos domini sui. 3. Si pro quacũque pia causa concessæ indulgentiæ ratæ forent, nullæ unquam dici possent superfluę & indiscretæ, cùm semper sit in promptu aliqua pia causa quæ allegari possit. 4. Non est dissimilis indulgentiæ largitio dispensationi votorum: in votis autem conveniunt omnes, non posse dispensari nisi pro maxima causa, quæ magis Deo placeat,

To. 2. p. 453. C.

ceat, quàm voti executio. 5. denique, si vera foret opposita sententia, posset S. Pontifex in momento liberare animas omnes Purgatorii, quia dici posset non deesse causam piam, quandoquidem ad gloriam Dei pertinet, ut tot animæ citissimè ad cœlos evolent, ubi perpetuò Deum laudabunt.

Hanc sententiam ut quodammodo temperet Bellarminus, & cum opposita conciliet, nonnulla excipit.

I. ad causam justam ut plurimùm duo requiri, 1. finem aliquem pium ac Deo gratum, cujus assecutio magis Deo placeat, quàm pœnitentialis satisfactio, quæ per indulgentiam relaxatur. 2. opus aliquod, per quod revera finis ille probabiliter obtineri possit: nam si finis quidem valdè placeat Deo; sed per opus injunctum nullo modo valeat obtineri, non videtur justa causa obtinendæ indulgentiæ. V.g. si detur indulgentia plenaria iis, qui semel recitaverint Orationem dominicam pro conversione Hæreticorum, causa justa non videbitur, nec opus proportionatum quantitati indulgentiæ.

II. ad proportionem causæ cum indulgentia, non requiri ut opus injunctum sit in se valde meritorium vel satisfactorium, vel difficile ac laboriosum; ( quamvis hæc tamen spectari debeant ) sed ut sit medium aptum atque utile ad consequendum finem, cujus gratia conceditur indulgentia. Itaque fieri potest ut per opus in se leve ac facile magna indulgentia acquiri possit, quia opus illud in se leve ac facile, medium est ad finem Deo gratissimum assequendum. Talis est v. g. assistentia illa præ foribus Basilicæ S. Petri Romæ; dum S. Pontifex solemni ceremonia populo benedicit: frequentia etenim populi ea in circumstantia, medium est aptum & utile ad protestationem fidei de Capite Ecclesiæ. Similiter nonnullæ indulgentiæ conceduntur iis qui certa die ad aliquam Basilicam seu Ædem sacram animo religionis ac pietatis accedunt: opus quidem in se leve, nec laboriosum; attamen attentis circumstantiis, proportionatum fini indulgentiarum, nempe ad cultum alicujus Sancti, ad incrementum pietatis &c.

Observat Maldonatus de indulg. q. 4. pœnitentiam quæ præscribitur in indulgentiis, semper ex sese æstimari non debere, sed ex fine propter quem imponitur. *Nam*, inquit, *fieri potest, ut meliùs agat pœnitentiam qui sejunaturus erat integrum annum, dato uno aureo nummo ad redimendos captivos, aut ad defendendam Ecclesiam ab hostibus, quod indulgentiis præscribitur; quàm si jejunasset totum annum. Non quòd non sit facilius unum aureum dare, quàm jejunare totum annum; sed quòd propter præsentem necessitatem & alias circumstantias, pluris est dare unum aureum, quàm jejunare.* P. 378. A.

III. excipit Bellarminus, non eodem modo judicandum esse de causa indulgentiæ, cùm datur alicui particulari, & cùm datur multis in commune. In priori casu oportet ut opus injunctum illi soli, sit proportionatum fini, cujus gratia datur indulgentia: in secundo casu, necesse non est ut opus singulorum, sed tantùm ut opus omnium simul proportionatum sit fini; atque hinc accidere potest, ut indulgentia maxima sit justissima, etiamsi opus injunctum singulis videatur leve. V. gr. si necesse sit ædificari Basilicam vel Xenodochium, & detur indulgentia septem vel decem annorum, vel etiam plenaria, conferentibus certam auri summam: si respiciatur opus singulorum, videbitur causa injusta; sed tamen si tota summa ab omnibus collata consideretur, jam erit justa causa, quia poterit illis sumptibus ædificari Basilica vel Xenodochium, quæ ædificatio gratior Deo erit & utilior Ecclesiæ, quàm pœni-

pœnitentialis satisfactio, quæ per indulgentiam relaxatur. Confirmari potest ista exceptio auctoritate S.Th. in Supplemento q.25. art. 2. ad 3.

IV. denique Bellarminus excipit, plerumque in causa justa duo contineri, finem, & media ad finem; & contingere aliquando solum finem sufficere sine ullis mediis, id est sine aliquo opere injuncto, quando videlicet finis non pendet ab aliquo opere, & per se sufficit ad indulgentiam justam efficiendam. Sic in articulo mortis hominibus de Ecclesia benè meritis dantur aliquando indulgentiæ, absque ullo injuncto opere; quia videtur causa esse satis justa, ipsa necessitas extrema conjuncta cum meritis præcedentibus.

Objectiones. Dices 1. Ex communi effato, Indulgentiæ tantum valent, quantùm sonant.

Resp. effatum illud intelligendum esse, suppositis conditionibus ad veram indulgentiam requisitis, quas antea exposuimus; seu, ut ajunt nonnulli, *clave non errante*, id est, quando superioribus ecclesiasticis, ad quos pertinet indulgentias dispensare, per obreptionem impositum non fuit.

Dices 2. Necessitas operis proportionati quantitati indulgentiæ, derogat iis indulgentiis, quæ plenariæ dicuntur, ex eo quòd nimirum ex se ipsis omnem remittant pœnam temporalem.

Resp. indulgentias plenarias appellari, ex parte dantis, qui quantùm est ex se, seu, ut ait Bonifacius VIII. referente Glossatore in Extravag. *Antiquorum*, *pro ut clavium potestas se extendit*. Plenarias quidem offert indulgentias S. Pontifex, sed cum ea semper tacita lege, ut sit ex parte recipientis dispositio proportionata ad plenariam indulgentiam obtinendam: quilibet enim Fidelis effectum indulgentiarum consequitur, pro mensura suæ dispositionis; quo modo etiam Sacramenta ipsa nobis gratiam conferunt majorem vel minorem, pro majori vel minori suscipientium præparatione seu dispositione.

Dices 2. Si necesse sit causam indulgentiarum ipsis respondere, perpetua erit Fidelium anxietas & sollicitudo, an justa & conveniens fuerit concessa indulgentiæ causa.

Resp. non majorem esse debere anxietatem circa legitimam indulgentiarum causam, quàm circa veritatem seu validitatem Sacramentorum; par enim est ratio: atque tamdiu debent inferiores præsumere æquissimum fuisse Superiorum judicium, quamdiu non deprehenditur in contrarium error manifestus.

Dices 3. Vera omnium indulgentiarum causa est thesaurus meritorum Christi, non verò præcisè opus injunctum ad obtinendam indulgentiam: porro thesaurus ille, cùm sit infinitus, omnem indulgentiarum quamtumvis largam & effusam distributionem superat.

Resp. merita Christi causam esse meritoriam ac primariam indulgentiarum, auctoritatem verò Ecclesiæ causam esse proximam, quæ nobis applicat ea Christi merita: non applicantur verò nisi positis ex parte nostra debitis conditionibus, de quibus antea diximus.

## ARTICULUS IX.

### *De variis indulgentiarum speciebus.*

MUltiplex distinguitur species indulgentiarum: alia est plenaria, & alia partialis.

I. Plenariam communiter appellant eam quæ totam pœnam remittit. Estius in 4. dist. 20. paragr. 10. eam dicit, *cujus ea vis est, ut plenam is qui sit præparatus excipere*

*cipere queat peccatorum remissionem*. Cohærenter ad ea quæ superiùs dicta sunt, indulgentia plenaria est pœnæ temporalis relaxatio, quæ tam perfecta est, quàm potest esse vi clavium. Maldonatus de indulg. q. 4. observat, solitos non fuisse Veteres ante bellum sacrum contra Turcas, Hierosolymitanos, & Albigenses, plenarias ac generales hujusmodi concedere indulgentias; sed specialiter, imò sigillatim causa cognita huic vel illi, qui hoc vel illud fecisset. Fatetur vel ipse Bellarminus L. 1. de indulg. c. 12. *Veteres parcissimos fuisse in indulgentiis conferendis*. Absit tamen ut quis improbet usum illum indulgentiæ plenariæ, qui jamdiu in Ecclesia obtinet, & cujus tam illustre extat exemplum in Conciliis Lateranensi & Claromontano, in gratiam eorum qui suis impensis arma susciperent & Hierosolymam tenderent, vel cum certo militum numero quadraginta dies pugnassent contra Albigenses. P. 378. C. T. 2. p. 454. A.

II. Indulgentia partialis ea dicitur, quæ partem dumtaxat pœnæ temporalis remittit, & ad certum numerum dierum, vel annorum condonatæ pęnitentiæ restringitur. Alludit scilicet forma illa indulgentiarum tot dierum vel annorum, ad veterem disciplinam, quando vi Canonum pęnitentialium agenda erat pœnitentia per tot dies vel annos: unde indulgentiæ tot dierum vel annorum significant dumtaxat remissionem pęnitentiæ quæ peragenda fuisset tot diebus vel annis, secundùm Canones pęnitentiales. Unde scitè observat Estius in 4. dist. 20. paragr. 10. dies illos vel annos referendos non esse ad pœnam luendam in Purgatorio, quasi v.g. quadraginta dierum indulgentia, tollat pœnam quadraginta dierum futuri sæculi; sed ad pęnitentiam in hoc sæculo pro peccatis secundùm Canones debitam. Ex quibus facile intelligere est, dies & annos indulgentiarum primariò ac per se referri ad pęnam in præsenti sæculo exsolvendam, secundariò autem & indirectè seu consequenter, ad pęnam purgatorii; quia omnis indulgentia minuendo pęnam ab Ecclesia injunctam, minuit etiam partem pęnitentiæ, quæ eidem in altera vita secundùm mensuram soli Deo cognitam respondet.

III. Alia est indulgentia quam Jubilæum apppellant, ad instar magni apud Judæos anni Jubilæi de quo c. 25. & 27. Levitici, & c. postremo Numer. Dicebatur annus remissionis, quia quolibet recurrente an. 50. magna fiebat remissio; bona divendita suis primis dominis restituebantur, servi libertate donabantur, cessabant labores agriculturæ, quiescebat tellus, non arabatur, non serebatur, sed ex frugibus anni superioris, quas Dominus triplò plures suppeditabat, omnes sustentari commodè poterant. Ad normam hujus veteris Jubilæi, institutus est Jubileus Christianorum, quem Bonifacius VIII. an. 1300. centesimo quocumque anno recurrente, celebrandum voluit; Clemens verò VI. an. 1350. ad annum quinquagesimum reduxit. Post Clementem Urbanus VI. an. 1389. statuit Jubilæum concedendum esse quocumque recurrente an. 33. in memoriam annorum 33. quos vulgò creditur Christus egisse in terris: attamen Constitutio Clementis observata fuit tùm an. 1400. à Bonifacio IX. tùm ann. 1450. à Nicolao V. usque ad Paulum II. qui an. 1470. Jubilæum reduxit ad annum quemlibet vigesimum quintum recurrentem; quam legem confirmavit Sixtus IV. anno 1473. & nunc Ecclesia observat.

IV. Indulgentia plenaria Jubilæi, præter pęnæ temporalis relaxationem, quę omnibus indulgentiis propria est, aliqua continet privilegia, quibus non gaudent indulgentię plenarię: v.g. potestate eligendi quemlibet confessarium ex approbatis, qui possint ab omnibus etiam reservatis peccatis & censuris absolvere, vo-

re, votaque omnia, excepto voto religionis & castitatis perpetuæ, in alia opera commutare.

VI. Indulgentia ad instar Jubilæi ea dicitur, quam SS. Pontifices extra annum vigesimum quintum recurrentem solent aliquibus gravibus de causis concedere, cum iisdem privilegiis quibus gaudent indulgentiæ Jubilæi.

VI. Aliæ sunt indulgentiæ personales, quæ certis personis conceduntur; aliæ temporales, quæ ad certum ac definitum tempus limitātur, v.g. viginti quatuor horarum, unius aut alterius hebdomadæ, vel anni integri, ut in Jubilæis aliæ verò perpetuæ, quæ alligatæ sunt certis locis, ut Ecclesiis, vel Altaribus, vel quibusdam rebus mobilibus v.g. granis benedictis, imaginibus, rosariis &c. quæ indulgentiæ reales idcirco à nonnullis appellantur.

To.3.p. 810.A. Gamachæus noster, de indulg.c.6. observat indulgentias perpetuas *reducendas esse ac contrahendas ad annos viginti, propter regulam 57. Cancellariæ Romanæ, in qua habetur indulgentiam absolutè concessam alicui Ecclesiæ pro tali die cujuslibet anni futuri, restringendam esse ad viginti annos.* Aliqui ajunt, *dictas indulgentias communiter extendi ad proximum Jubilæum, quo scilicet omnes plenariæ remissiones suspenduntur, etiam si perpetuæ illæ ac perennes fuerint.*

Indulgentiam perpetuam quæ nullo spatio temporis limitata est, toties quisquis lucrari potest, quoties rem injunctam exequitur eo quo par est animo religionis ac pietatis. V.g. qui sæpius Basilicam Apostolorum Romæ visitat, annexam huic visitationi indulgentiam quadraginta dierum consequitur: non ita est de indulgentiis temporalibus, quas semel tantùm quis lucrari potest. Ita S.Th. in 4.dist.20.q.2.art.3.quæstiuncula 2. ad 4. *Quando*, inquit, *ad determinatum tempus datur, ut cùm dicitur: Quicumque vadit ad Ecclesiam talem usque ad tale tempus, habeat tantum de indulgentia; intelligitur, semel tantùm. Sed si in aliqua Ecclesia sit indulgentia perennis, sicut in Ecclesia divi Petri, quadraginta dierum, tunc quoties vadit aliquis, toties indulgentiam consequitur.*

Sunt inter nostros nonnulli, qui in hujusmodi realibus indulgentiis, quæ granis benedictis, imaginibus, rosariis &c. non aliam vim inesse putant, quàm quæ libellis Martyrum olim competebat; nempe ut Episcopos & Sacerdos excitarent ad indulgentiam lapsis, si benè affecti forent, concedendam. Verùm aliquid amplius in rebus hujuscemodi ad mentem SS. Pontificum inesse, Fidelibus persuasum videtur. Et verò si potest Ecclesia huic vel illi operi, hôc vel isto modo faciendo indulgentiam annectere, quare non poterit facere ut idem beneficium ab alicujus signi & symboli gestatione dependeat, cum ea ipsa lege ac conditione, qua visitantibus Ecclesias indulgentia confertur; hoc est, ut quæ necessaria sunt pietatis ac pœnitentiæ opera non omittantur? Cæterùm graviter aberrant rudes & imperiti Christiani, qui aliter indulgentiarum fructus se assequi posse arbitrantur. Quapropter seriò monendi sunt ac edocendi, ne fortè in hujuscemodi rebus mobilibus benedictis vim plùs æquo tribuant, ac fiduciam ultra modum collocent, sed studeant potissimùm, totisque viribus elaborent, ut dignos faciant fructus pœnitentiæ.

Hic locus esset agendi de Purgatorio: verùm argumentum istud attigimus Tom. 1. de Deo ac divinis attributis à pag. 328. ad pag. 305.

Atque hęc dicta sint de Pœnitentia, in quibus exponendis, si quid nobis incautis minùs sanum ac rectum excidisse deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

FINIS.

# PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS,

*Quas in Scholis Sorbonicis habuit*

HONORATUS TOURNELY

*SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS Doctor, Socius Sorbonicus, Regius, & Emeritus Professor, Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonicus.*



# PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

EXPOSITIS iis quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, ordo & recta methodus à nobis postulare videtur, ut de Sacramento Extremæ unctionis, quod Pœnitentiæ supplementum est, perfectio & consummatio, controversia instituatur. *Visum est sanctæ Synodo*, ajunt Patres Tridentini, *præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea quæ sequuntur de Sacramento Extremæ unctionis: quod non modò pœnitentiæ, sed & totius christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus.* *Seff. 14. de Sacramento Extremæ unctionis in proæmio.*

Quatuor autem Quæstionibus totam nostram præsentem disputationem absolvemus.

Prima erit de nomine, definitione Unctionis extremæ; & an verùm sit Legis Evangelicæ Sacramentum.

Secunda, de causis, materia, forma, auctore & ministro.

Tertia, de subjecto cui administrari debet Sacramentum Extremę unctionis.

Quarta denique, de effectibus & proprietatibus, necessitate nimirum, & iteratione Unctionis extremæ. Quibus ut viam prę muniamus, Canones Concilii Tridentini de Unctione extrema, statim ante oculos more nostro ponimus.

*Canones Concilii Tridentini de Sacramento Extremæ unctionis.*

Can. 1. *Si quis dixerit, Extremam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessaße, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, Extremæ unctionis ritum, & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque à Christianis absque peccato contemni; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse*

*esse ad infirmum inungendum hortatur; non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.*

# QUÆSTIO PRIMA.

*De nomine, definitione Extremæ unctionis, & an verum sit Legis novæ Sacramentum.*

## ARTICULUS PRIMUS.

*De nomine ac definitione Sacramenti Extremæ unctionis.*

Dicitur 1. communi & trita appellatione Extrema unctio; tùm quia Infirmis in exitu, seu extremo vitæ periculo constitutis soleat administra-
To. 14. ri, unde etiam *Sacramentum exeuntium* dictum, asserit Conc. Trid. Sess. 14. c. 3.
Conc. p. 821. E. Tùm quia cùm multæ sint in Ecclesia unctiones, hæc ordine postrema est. Prima enim unctio, Catechumenorum est, quos Sacerdos antequam baptiset, ungit in pectore, & inter scapulas, idque oleo simplici benedicto: secunda, qua idem baptisatos ungit chrismate in summo vertice: tertia, qua ab Episcopo unguntur in fronte, qui confirmantur: quarta, qua eodem chrismate Sacerdotum manus, Episcoporum verò & caput & manus in sua Ordinatione inunguntur: quinta, qua, juxta Innocentium III. Principes sæculares in humero vel brachio unguntur, non quidem chrismate, sed oleo tantùm: sexta, quæ adhibetur in altaris, templi & calicis consecratione, ut legimus apud eundem Innocentium: postrema denique, quæ infirmis exeuntibus datur in præsidium ac
Ib. A. tutamen contra dæmonis impetus. *Nam etsi*, ait Conc. Trid. Sess. 14. *adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit; nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit.* Refert Beda Venerabilis, scribens in c. 6. S. Marci & 8. S. Lucæ, energumenos olim sacri olei unctione curari solitos. Pariter corpora mortuorum inuncta fuisse, colligimus ex Evangelio Marci 16. & aliis veteribus monumentis. At inter illas omnes unctiones, sola Confirmatio, uti hæc nostra Extrema, inter Sacramenta no-
To. 1. p. 283. col. 1. E. væ Legis numerantur: reliquæ, vel tantùm Sacramentalia quædam sunt, vel nudæ ceremoniæ, ait Estius in 4. dist. 23. paragr. 1.

Dicitur 2. à Græcis In Euchologio: *oleum sanctum*, ἅγιον ἔλαιον, quia nempe precibus & Ecclesiæ benedictione sanctũ effectum est, & homines unctione red-
To. 14. Conc. p. 822. dit sanctos. Passim etiam dicitur, εὐχέλαιον, *oleum cum oratione*; compositis ad invicem, εὐχῆς & ἐλαίου, vocibus, eo quòd oratio hujus olei unctionem semper comitetur, juxta verba S. Jacobi c. 5. Epistolæ v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum &c.* His etiam de causis à Latinis passim appellatur, *oleum benedictionis, oleum sanctum, olei sacrati unctio, Sacramentum sacræ unctionis &c.*

Dicitur 3. à subjecto cui ministratur, unctio infirmorum: *quia*, inquit Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. *infirmis est adhibenda, illis, præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti esse videantur.*

Dici-

Dicitur 4. ab eodem Concilio, non modò *pœnitentiæ, sed & totius christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum Sacramentum.* *Ibid. p. 821. B.*

Atque inde factum conjicimus, ut Græci posteriorum temporum pœnitentes satisfactionis loco, quamvis benè valentes, non aliter inungant, quàm infirmos, adhibita etiam Sacramenti forma, ait Arcudius, quem abusum valdè *Pa. 488. col. 1. C.* ille improbat L. 5. de Extrema unctione c. 3. Hunc pariter represserat Innocentius IV. Epistola ad Episcopum Tusculanum an. 1254. *Nullis*, inquit, *per Sacerdotes vel Confessores, pro satisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua solummodo injungatur.* *To. 11. Conc. p. 613. n. 9* Goarius in notis ad Euchologium Græcorum, quamquam hunc Græcorum *Pa. 432. c. 1. n. 3.* usum non approbet, contendit nihilominus hanc pœnitentium unctionem ab illis pro mera haberi ceremonia, non pro vero Sacramento Extremæ unctionis.

Definiri autem potest Extrema unctio, *Sacramentum unctionis infirmorum à Christo Domino institutum ad sanitatem mentis & corporis precibus Sacerdotum obtinendam, per infusionem gratiæ sanctificantis, & sanationem morborum, ubi saluti animarum expedit.* Continet hæc definitio omnes hujus Sacramenti partes & conditiones necessarias, de quibus sigillatim in decursu hujus Tractatus.

## ARTICULUS II.

*An Extrema unctio sit verum & propriè dictum Legis novæ Sacramentum; & demonstrari illud possit tùm ex Scripturis, tùm ex usu ac traditione Ecclesiæ.*

Unctionem extremam verum esse Legis novæ Sacramentum uno suffragio negant Novatores Lutherani & Calvinistæ, quorum ea in parte errores indicat ac refellit Synodus Trid. Sess. 14. c. 3. his verbis: *Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apostoli Jacobi sententiam, docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem: & qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset: & qui dicunt, ritum & usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque adeo in alium commutandum esse; & denique qui hanc Extremam unctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant &c.* *To. 14. Conc. p. 823. A.*

Dallæus Calvinista duobus libris evertere conatus est omnia argumenta quibus Catholici demonstrant, tùm ex Scripturis, tùm ex usu continuo ac perpetua Ecclesiæ traditione, Unctionem extremam esse verum novæ Legis Sacramentū.

§ Duplex verò potissimùm laudatur ex Scripturis testimonium pro Sacramento Extremæ unctionis.

Prius ex cap. 6. S. Marci ubi de Apostolis v. 12. 13. & 14. dicitur: *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.*

Alterum ex c. 5. Epistolæ S. Jacobi v. 14. 15. & 16. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Novatores unam & eandem esse contendunt unctionem in hoc utroque testimonio, ut inde scilicet inferant, non magis ex verbis S. Jacobi, quàm S. Marci

Marci Sacramentum nostrum extundi posse, cùm utrobique hæc unctio ad solam pertineat morborum corporis curationem.

Circa primum ex S. Marco testimonium concordes sunt nostri Theologi, an scilicet unctio qua Apostoli infirmos ungebant & curabant illa, ipsa fuerit unctio sacramentalis de qua disputamus. Negant Hugo Victorinus, Magister, Alensis, Bonaventura, Cajetanus, Bellarminus, Estius & alii, qui nullam ex dicto testimonio probationem ducunt in gratiam catholici dogmatis. Affirmat è contra Catharinus scribens contra Cajetanum, quem dura ac severa perstringit censura, cùm ait: *eum fundatissimam Ecclesiæ & Sanctorum doctrinam evertere; sed nihil inde lucrari, quàm pro gloria, quam fortè appetit ex novitatibus, infamiam & confusionem*. Non ita procul dubio in hominem involasset Catharinus, nisi ipsum quoque S. Jacobi textum infirmare & Catholicis eripere tentasset Cajetanus. Maldonato pariter, tùm quæst. 1. de Sacramento

Pa. 381. Extremæ unctionis, tùm Commentario in caput 6. S. Marci, multùm displicet eorum Theologorum opinio, qui verba S. Marci aliò pertinere volunt quàm

Pa. 771. ad Sacramentum Unctionis extremæ. *Qui hic*, inquit ille, citato Commen-

col. 1. C. tario, *de Sacramento Extremæ unctionis agi negat, ad tollendum omnino hoc Sacramentum, aut malignè, si Hæreticus; aut imprudenter, si Catholicus est, gradum facit*.

Petrus Suavis in sua Concilii Tridentini Historia scribit, in prima Decreti Tridentini idea seu forma Patres dixisse, *Sacramentum Extremæ unctionis institutum à Christo fuisse*. Marci 6. *Verùm cùm unus è Theologis* (Jodocus Ravestein Lo-

Edit. Gene. 1629. p. 360. vaniensis Theologus) *Patres monuisset, Apostolos, quo tempore infirmos oleo unxisse à Marco narrantur, nondum fuisse Sacerdotes ordinatos, quibus Ecclesia scilicet Romana in ultima demum Cœna collatum à Christo docet Sacerdotii Ordinem, visum est absurdum & à ratione alienum, simul semelque & ministratam ab eis tali tempore unctionem Sacramentum affirmare, & hanc ipsam unctionem negare ab aliis, quàm à Sacerdotibus, ministrari posse ..... Quapropter*, pergit ille, *immutato vocabulo*, institutum, *scriptum postea fuit*, insinuatum.

T. 2. p. 344. & seq. Narrationem hanc falsi accusat, & incredibilem esse contendit Cardinalis Palavicinus L. 12. Historiæ Conc. Trid. cap. 12. n. 11. & 12. Primò falsi accusat, quia, inquit, ex Actis liquidum est, quòd in Congregatione Theologorum habita de hoc argumento diebus 21. & 22. Octobris, hoc est ferè per mensem ante Congregationem alteram, in qua confectum est ac digestum caput illud, Theologorum non unicus, sed plures è Theologis monuerunt insinuatam fuisse unctionem nostram atque figuratam apud Marcum, non institutam. Deinde incredibilem esse putat Suavis narrationem, eò quòd verisimile non sit, Concilium voluisse definire aliquem articulum, non consentientibus antiquis Patribus, sed adstipulantibus dumtaxat paucis, iisque non primæ ætatis, neque præcipuæ auctoritatis; ac repugnantibus è Schola præcipuis, Hugone à S. Victore, Petro Lombardo, Alexandro Alensi, S. Bonaventura, imò & S. Thoma, qui omnes contendunt apud S. Marcum mentionem non esse de Sacramento Unctionis extremæ; quique consequenter ex verbis illius argumentum non petunt ad hoc Sacramentum comprobandum.

Itaque alii Theologi mediam quamdam ineunt sententiam: nempe unctionem, de qua S. Marcus, typum ac figuram fuisse Sacramenti nostri, quod idcirco insinuatum seu adumbratum dicunt, non verò institutum Marci 6. capite; à S. verò Jacobo Fidelibus commendatum ac promulgatum fuisse. Ita

Patres

Patres Tridentini Seff. 14. c. 1. Bellarminus de Sacramento Extremæ unctionis c. 2. Estius tùm in loca difficiliora Scripturæ, ad caput 6. S. Marci, tùm in 4. Sententiarum dist. 23. parag. 2. & alii inter recentiores. Itaque sit

## PRIMA CONCLUSIO.

Demonstratur ex Scripturis, Unctionem extremam esse verè & propriè Sacramentum, apud S. Marcum quidem insinuatum, per Sanctum autem Jacobum Fidelibus commendatum, ac promulgatum.

Prima pars Conclusionis, nempe per unctionem illam, de qua S. Marcus, qua Apostoli ægrotos ungebant & sanabant à morbis corporum, insinuatum dumtaxat seu adumbratum fuisse, non verò institutum Sacramentum Unctionis extremæ.

Probatur 1. auctoritate jam citata Concilii Trident. Seff. 14. cap. 1. ubi expressis verbis ait, *institutam esse sacram hanc unctionem infirmorum, tanquam verè ac propriè Sacramentum novi testamenti, à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, Fidelibus commendatum, ac promulgatum*; quæ nostræ sunt Conclusionis verba. *Dicitur autem insinuari*, ait hic Bellarminus cap. 2. de Sacramento Extremæ unctionis, *id quod non expressè proponitur, sed adumbratur & obscurè indicatur* per aliud tanquam signum & symbolum. Appositè verò unctionem olei voluit Christus ab Apostolis usurpari, tùm in sanandis infirmis, tùm ut Sacramentum nostrum adumbraretur, quòd nempe solerent Judæi ut & manuum impositionem precibus pro aliquo susceptis adjungere, ita & olei unctionem infirmis adhibere, qua in spem certam erigerentur restituendæ sanitatis: erat enim apud ipsos oleum gaudii & spei symbolum. *To. 14. Conc. p. 822. B.* *T. 3. p. 483. E.*

Probatur 2. quia unctio de qua S. Marcus non aliò pertinere videtur, quàm ad curationem morborum corporis de qua S. Matth. cap. 10. v. 1. *Convocatis duodecim discipulis suis dedit illis* ( Christus ) *potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Et v. 8. Christum inducit, dum eos dimittit, ita præcipientem: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite*. Similia refert & S. Lucas cap. 9. v. 1. 2. & 6. Quis autem non videat eam morborum curationem referendam esse ad potestatem edendorum miraculorum tunc temporis planè Apostolis necessariam ad fidem sibi conciliandam, & primordia Ecclesiæ dilatanda? Nihil verò his in locis de unctione sacramentali; nihil de gratia spirituali ipsi annexa; nihil de oratione Sacerdotum, quæ omnia distinctè enumerat S. Jacobus.

Frustra reponit Maldonatus, Commentario in caput 6. S. Marci, quòd si oleum istud solum fuisset medicamentum, non verò Sacramentum, non debuisset ab Apostolis certa & communi lege adhiberi: tum quia oleum opportuna non est omnibus morbis curandis medicina: tum quia Apostoli medicamentis uti non debuere; non enim medicinam, sed Evangelium profitebantur, & sufficiebat ipsis donum miraculorum: tùm quia hic sanandi modus per unctionem, obscurare poterat vim miraculi, & persuadere Judæis, virtuti naturali olei tribuendam esse sanitatis restitutionem. Frustra, inquam, *Pa. 771. col. 1. C. D.*

hæc reponit Maldonatus, neque enim quisquam est tam stupidus, qui credat adhibitum fuisse ab Apostolis oleum, velut medicamentum, cujus vi naturali sanarentur ægroti, sed velut symbolum curationis, quam supernaturali Christi virtute operabantur: atque tantùm abest ut modus hic sanandi morbos miraculi vim obscuraret, quin potius illustrabat. Quis enim nescit, non solere naturali olei virtute morbos, præsertim graves

Ibid. E. & acutos, statim sanari? *At*, regerit Maldonatus, *quid opus erat oleo tanquam signo & symbolo, cùm sequuta statim sanitas fidem faceret?* Quasi ignoret Maldonatus, & Apostolos & Christum ipsum ejusmodi signa sensibilia solitos usurpare cùm miracula operabantur. Sic Christus hominem surdum & mutum curaturus, in ejus aures digitos immisit, & linguam ejus saliva tetigit, ut his signis hominis mentem erigeret in spem certam miraculi: nimirum his significabat fore, ut vi sua ac nutu aures ejus aperirentur, & lingua solveretur. An verò propterea obscuratum dici debet his externis signis Christi miraculum? minimè profectò.

Probatur 3. rationibus quas hìc exponit Bellarminus.

Prima est, quia unctio illa, qua utebantur Apostoli, referebatur solùm aut præcipuè ad curationem morbi corporalis; Sacramenta verò per se ad animam pertinent, ad corpus per accidens, aut certè secundariò.

Secunda, ~~Apostoli eo tempore nondum erant Sacer~~dotes.

Pagin. 181. D. Respondet Maldonatus in Tractatu de Sacramento Unctionis extremæ q. 1. Christum anticipatione quadam Apostolos fecisse hujus Sacramenti ministros, sicut & Baptismi. Verùm mera est hæc conjectura nullo fundamento nixa: neque par videtur ratio Baptismi & Unctionis extremæ, propter disparem utriusque Sacramenti necessitatem.

Respondet præterea, non constare quonam tempore Apostoli fuerint à

Ibid. E. Christo ordinati Sacerdotes. *Nam*, inquit, *quod plerique Theologorum dicunt, illos fuisse ordinatos in Cœna, tantùm est opinio, & nescio quàm probabilis, saltem non est necessaria.* Verùm pugnat apertè hæc responsio cum Synodo Tridentina Sess. 22. cap. 1. ubi ait Apostolos à Christo Sacerdote institutos in ultima Cœna. Hanc esse Ecclesiæ Romanæ sententiam asseruit plenis Comitiis Synodi Jodocus Ravestein Lovaniensis Theologus, ut antea ex Petro Suavi audivimus.

Tertia, Apostoli tunc promiscuè ungebant quoslibet ægrotos, ut cæcos, claudos, &c. at Sacramentum unctionis non datur nisi iis qui decumbunt cum periculo vitæ.

Quarta, Apostoli tunc cùm inungerent, non quærebant, essentne baptisati qui inungendi erant, & omnino probabile est multos ab eis inunctos qui Infideles erant: atqui tamen sine Baptismo nihil prosunt Sacramenta cætera; nec dari possunt aut debent nisi baptisatis sine peccato.

Respondet Maldonatus, Christum præcepisse ut illis ægrotis nondum baptisatis, adhiberetur hoc Sacramentum, ut miraculo curationis repentinæ

Ibid. crederent Evangelio. Addit, *quòd nullum Sacramentum detur nisi baptisatis, non esse ius divinum apertum, sed ecclesiasticam disciplinam.* Verùm gratis id supponit, non probat Maldonatus.

Secunda pars Conclusionis, nempe ex cap. 5. S. Jacobi rectè probari Extremam unctionem esse verum Legis novæ Sacramentum, à Christo quidem

dem institutum, & à S. Jacobo commendatum Fidelibus ac promulgatum.

Probatur ex ipso textu S. Jacobi ex cap. 5. ipsius Epistolæ jam citato. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Habemus eo in testimonio expressas omnes veri & propriè dicti Sacramenti novæ Legis dotes ac conditiones.

Primò, signum sensibile in unctione, & oratione, quarum hæc, formæ, illa verò, materiæ rationem habet.

Respondent Novatores 1. unctionem illam ad solam curationem morborum corporis pertinuisse, cùm sit eadem cum ea de qua S. Marcus c.6.

Verùm negamus eandem esse unctionem: negamus unctionem, de qua S. Jacobus, ad unam duntaxat corporis sanitatem pertinere; expresse siquidem Apostolus mentionem facit remissionis peccatorum, de qua siluit S. Marcus.

Respondent 2. non consentire inter se nostros Theologos, quale debeat esse oleum ut sit materia sufficiens Sacramenti: an simplex sufficiat, an necesse sit illud fuisse ab Episcopo consecratum.

Verùm hæc nostrorum discordia Sacramento non nocet; omnes enim agnoscunt, oleum esse materiam Sacramenti, & Unctionem extremam esse verum Sacramentum. Hac igitur lite seposita, stat firma & inconcussa dignitas unctionis infirmorum.

Respondent 3. non magis colligi posse ex eo quòd Apostoli oleo inungebant & sanabant ægrotos, unctionem esse materiam Sacramenti quod vocatur Unctio infirmorum, quàm ex eo quòd Christus luto & sputo sanavit cæcum, lutum & sputum fuisse veri alicujus Sacramenti materiam.

Verùm tam manifesta est disparitas, ut mirum sit eam ab adversariis non deprehendi. Namque neque jussit Christus ut Apostoli eorumque successores luto & sputo uterentur, sicut jussit ut oleo inungerent infirmos, interprete ipso S. Jacobo: neque luto & sputo annexam voluit gratiam, qua remitterentur peccata; sicut testatur idem S. Jacobus, annexam esse Unctioni infirmorum: neque aliquam formam, vel ministros assignavit Christus in usurpando luto & sputo, sicut assignavit in Unctione infirmis adhibenda.

Respondent 4. unctionis ceremoniam, extra donum curationis, partim ab Hæreticis, partim ab Ethnicis originem ducere. Namque Ethnici, *corpus lavant frigentis, & ungunt*, ait Virgilius: & Valentiniani Hæretici omnium primi usi sunt ceremonia unctionis, referente S. Irenæo L. 1. c. 21. aliàs 18.

Verùm quàm hæc misera sint, nemo non videt. Tum quia & Ethnici & Hæretici aquam quoque adhibebant in suis mysteriis: an rectè inde concludi poterit aquam non debere esse materiam Baptismi? Quæ absurditas? Tum quia Ethnici, de quibus Poeta, & Valentiniani, de quibus S. Irenæus, loquuntur de unctione qua ungebantur mortui, S. verò Jacobus de ea qua ungi debent infirmi. Tum quia Hæretici ritibus quos ab Ecclesia acceperunt, admiscent multa profana & sacrilega, quæ nihil omnino habent commune cum nostris Sacramentis.

Secundò habemus formam Sacramenti Unctionis extremæ, nempe orationem, *Orent super eum.*

Respondent 1. Novatores, nondum satis apud nostros theologos esse constitu-

tum, an forma deprecatoria sit omnino necessaria, an sufficeret indicativa.

Verùm quid refert, qualis sit illa forma, de qua nos postea, modò hoc assequamur, quod volumus, sanctum Jacobum aliquid assignare quod formæ rationem habeat.

Respondent 2. totum hujus unctionis effectum à S. Jacobo tribui orationi fidei: *Et oratio fidei*, inquit, *salvabit infirmum*. At si vellet esse Sacramentum, effectum hunc tribueret unctioni & orationi simpliciter.

Verùm falsò supponitur effectum hunc non adscribi ipsimet Sacramento, seu visibili symbolo, unctioni nimirum & orationi: siquidem expressè ait S. Jacobus, *Ungentes eum in nomine Domini*; & hanc unctionem factam in nomine Domini appellat immediatè post, *orationem fidei*: non quidem subjectivè respectu ministri, quasi necessaria sit in eo fides ut verè perficiat Sacramentum; sed objectivè, quia continet fidei objectum, & in fide totius Ecclesiæ operatur Sacramentum, quomodo dixit S. Augustinus Tract. 80. in

T. 3. par. 1. pag. 703. C. Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; quod verbum fidei operari dicit, *non quia dicitur, sed quia creditur*.

Tertiò, signum illud sensibile esse perpetuum & constans in Religione christiana, patet, tùm quia semper retentum fuit; tum quia infirmis adhibendam esse hanc unctionem jubet S. Jacobus: at semper futuri sunt infirmi inter mortales.

Atque hinc concidit adversariorum responsio, qui volunt unctionem, de qua S. Jacobus, signum fuisse temporale ac transiens, initiis Ecclesiæ accommodatum. Ita quidem fuit ea unctio, qua virtute divina infirmis sanitas corporis reddebatur non sine stupendo miraculo, de qua loquitur S. Marcus c. 6. Verùm unctio infirmorum, de qua S. Jacobus, perpetua & constans esse debuit, cùm sit ad eum spiritualem gratiæ effectum ordinata, quo semper indigent homines, maximè ubi morbis gravantur & exercentur, non sine manifesto mortis periculo.

Quartò, habemus annexam Unctioni infirmorum gratiæ promissionem: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*. Quo præsertim titulo distinguitur unctio Jacobæa, ab illa de qua S. Marcus.

Respondent 1. Novatores, S. Jacobum etiam sanitatem corporis assignare tanquam effectum proprium unctionis: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*, inquit. At nequidem inter nos consentientes sumus, quisnam ex duobus illis, sit præcipuus unctionis effectus, an sanitas corporis, an peccatorum remissio, an utraque simul.

Verùm communis est nostrorum sententia, sanitatem corporis non esse præcipuum effectum Sacramenti, sed remissionem peccatorum: istam enim directè ac primariò respicit & operatur Sacramentum, illam verò secundariò, si nempe saluti animæ expediat.

Respondent 2. unctionem, de qua S. Jacobus, non absolutè, sed conditionatè dumtaxat polliceri remissionem peccatorum; hoc enim sonant ista verba, *Et si in peccatis sit, remittentur ei*. At Sacramentum absolutè, non conditionatè effectum operatur.

Verùm 1. dici potest, nec immeritò, Sacramenta effectum gratiæ operari conditionatè, non quidem ex parte ipsius Sacramenti, sed ex parte subjecti percipientis Sacramentum, hominis scilicet, qui nisi sit legitimè præparatus

tus

tus gratiam non percipit, non quidem defectu virtutis in Sacramento, sed debitæ præparationis in homine: conditio ergo illa, de qua S. Jacobus, si qua sit, tota est ex parte hominis, si nempe peccata habeat. At, (quæ secunda nostra responsio est) cùm difficile admodum sit, hominem esse tam purum, ut nullas nequidem veniales habeat noxas, consequenter particula *si* in textu S. Jacobi, non denotat conditionem rei dubiæ, sed concessionem rei certæ, ait Estius in 4. dist. 23. parag. 4. quo sensu idem S. Jacobus cap. 1. suæ Epistolæ v. 5. ait: ***Si quis vestrùm indiget sapientia***, idest, ***Cùm unusquisque vestrùm indigeat sapientia.*** Pa. 287. E.
Pariter sensus verborum istorum, ***Et si in peccatis fuerit, remittentur ei***, est, ***Et cùm in peccatis, aut peccatorum reliquiis sit, remittentur ei.*** Eodem modo explicanda est particula *si*, 2. ad Thessalonicenses 1. v. 6. ***Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos conturbant***, hoc est, ***Siquidem justum est &c.*** Vide Estium in hunc locum. Est. in Ep. pa. 740. c. 2.

Respondent 3. effectum Sacramenti semper esse certum & infallibilem, si nullus sit obex ex parte suscipientis: at experientia constat, non omnes qui unguntur oleo infirmorum, consequi sanitatem corporis.

Verùm rectè id debet intelligi de effectu principali, nempe remissione peccatorum, non verò de sanitate corporea, quæ tantùm est effectus secundarius, & quidem non absolutè, sed conditionatè promissus, si nempe saluti animæ expediat.

Quintò, habemus hujus Sacramenti ministros, ***Inducat***, ait S. Jacobus, ***Presbyteros Ecclesiæ.***

Frustra cavillantur hìc Novatores, per ***Presbyteros*** intelligendos esse seniores Ecclesiæ. 1. quia certum est passim in novo Fœdere Sacerdotis seu Presbyteri nomen dignitatem & officium designare. 2. in ipsa sententia Novatorum, per Presbyteros non potuit S. Jacobus seniores intelligere; siquidem contendunt illi, Apostolum loqui de sola curatione morborum corporis miraculosa per unctionem: at certum est donum miraculorum non omnibus promiscuè senioribus concessum fuisse.

Frustra pariter opponunt, S. Jacobum numero plurali dicere Presbyteros, cùm nos ipsi unum sufficere asseramus.

Namque quis non videat esse enallagen numeri, ac indefinitum pro definito supponere? ***Inducat Presbyteros***, id est, aliquem ex Presbyteris: quomodo dicimur peccata nostra confiteri Presbyteris; hoc est alicui ex Presbyteris.

Sextò denique habemus designatum subjectum hujus Extremæ unctionis, infirmos scilicet, ***Infirmatur quis in vobis***, ait S. Jacobus.

At vos Catholici, inquiunt Novatores, ungitis solos moribundos.

Verùm imponunt illi nobis. Quamvis enim soleat administrari Unctio extrema iis qui sunt in exitu seu extremæ vitæ periculo, & jam morituri creduntur; administratur etiam & aliis qui gravi morbo decumbunt, ex quo nonnunquam convalescunt. Ita docet Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3. antea citato. Ita pariter Catechismus Romanus, sed de his inferiùs.

Hactenus exposuimus argumenta quæ ex Scripturis colligunt Orthodoxi, ut probent Extremam unctionem esse verum Sacramentum: adjunximus Novatorum responsiones & objectiones, ut unico conspectu videas quàm firmum sit dogma catholicum, ac levia & infirma momenta quibus impugnatur. Superest ut ostendamus, non minùs certò probari dogma nostrum ex usu perpetuo ac constanti Ecclesiæ Traditione.

## SECUNDA CONCLUSIO.

Extremam unctionem verum esse ac propriè dictum Legis Evangelicæ Sacramentum, demonstratur ex usu perpetuo ac constanti Ecclesiæ Traditione.

Animus nobis non est singulas Ecclesiæ ætates percurrere, atque ex iis testes omnes appellare dogmatis quod hìc defendimus: sufficiet nobis nonnullos ex prioribus sæculis proferre, quales sunt

Origenes Hom. 2. in Leviticum, inter varios modos quibus in Lege Christi remittuntur peccata, enumerat Pœnitentiam & Unctionem infirmorum. *Est*
T. 1. p. *adhuc & septima*, inquit, *licèt dura & laboriosa per pœnitentiam remissio pec-*
68. C. *catorum, cùm lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundùm eum qui ait; Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini &c.* Duo hìc simul conjungit Sacramenta Origenes, Pœnitentiam scilicet, & Unctionem infirmorum, quòd ista nimirum semper habita sit tanquam perfectio & consummatio Pœnitentiæ; perinde ac Confirmatio dicta est consummatio atque perfectio Baptismi. Atque inde fluxit Græcorum praxis, qui pœnitentes jam absolutos, in supplementum satisfactionis inungunt.

Edit. S. Joannes Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio, de potestate Sacerdotum in
postr. so. relaxandis peccatis hæc habet: *Neque enim tantùm cùm nos regenerant; sed*
1. pag. *etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam infirmatur*, in-
384. E. quit, *quis in vobis? advocet Presbyteros Ecclesiæ &c.* Quę verba ex Epistola S. Jacobi deprompta sunt, quibus nostrum astruitur Unctionis extremę Sacramentum.

To. 2. Innocentius I. S. P. in Epistola ad Decentium, à quo de multis consultus fue-
Conc. p. rat, hæc respondet quæ sunt ad nostrum institutum: *Sanè quoniam de hoc,*
124. n. 8. *sicuti de cæteris, consulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Celestinus Diaconus in Epistola sua, esse à tua dilectione positum illud, quod in B. Apostoli Jacobi Epistola conscriptum est: Si infirmus aliquis in vobis est, vocet Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ..... & si peccata fecit remittet ei. Quod non est dubium, de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcircò de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem à se visitandum, & benedicere & tangere chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Hæc Innocentius, in quibus observa 1. verba S. Jacobi superiùs relata, de Fidelibus ægrotantibus intelligi debere, atque unctionem illam esse genus Sacramenti; hoc

est

est inter nostra Sacramenta recenseri. Neque moveri quisquam debet quòd Innocentius dicat, *Sancto oleo chrismatis infirmos ungi posse*; cùm tamen nostrum oleum infirmorum simplex sit, non chrisma. Quis enim tam peregrinus in versandis Veterum Scriptis nesciat chrisma generatim sumi pro unctione olei, sive simplicis sive compositi? Vel unus S. Cyprianus testis est in Epistola 70. ad Januarium: *Ungi quoque necesse est*, inquit, *eum qui baptisatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit*. Edit. Rigal. p. 119.
Observa 2. unctionem hanc ab Episcopis & à Presbyteris posse administrari. 3. & ipsos Fideles eadem uti posse in sua aut suorum necessitate : eadem, inquam materialiter, non formaliter sumpta quatenus Sacramentum est. Scilicet sicut Fideles eorum temporum solebant ad morbos curandos aquam baptismalem admovere, ita & oleo per Episcopum benedicto se inungere. Interrogatus verò Innocentius an hoc liceret, respondebit licere. 4. observa Sacramentum Unctionis infirmorum iis pœnitentibus denegari ab Innocentio, quibus cætera, pro disciplina hujus temporis denegabantur Sacramenta : atque inde conjici potest promanasse usum denegandi Unctionem extremam reis qui capite plectuntur: quòd nempe publicam illi subeant pœnitentiam.

S. Augustinus in speculo de Epistola S. Jacobi ea ipsa verba commemorat ex quibus Catholici Extremæ unctionis Sacramentum demonstrant. To. 3. par. 1. p. 113. F

Laudatur ex eodem S. Doctore testimonium ex sermone ipsius 215. de tempore: verùm rejectus ille est in postrema editione Operum S. Augustini in Appendicem, ubi extat n. 265. & tribuitur Cæsario. In eo hæc leguntur. *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat; & inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur in eo, Infirmatur aliquis*, & alia S. Jacobi verba. To. 3. App. p. 437. C.

S. Gregorius Magnus in Sacramentario, data opera modum & formam præscribit qua oleum ab Episcopo benedici, & infirmis administrari debet, hancque præscribit Orationem ab Episcopo vel Sacerdote fundendam, qua Deum precatur, *ut mittere dignetur sanctum Angelum suum, qui famulum suum in angustiis & necessitatibus laborantem consolationibus suis attollat, quibus & de præsenti consequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat*. To 3. 237. C.

Quæ hactenus laudavimus testimonia sunt tertii, quarti, quinti & sexti sæculi, ex quibus evidenter demonstratur, Unctionem infirmorum semper in usu, atque tanquam verum Sacramentum, cui annexa est gratiæ promissio, à Fidelibus habitam fuisse.

Fidem hanc confirmavit ac definivit Conc. Trid. Sess. 14. quatuor Canonibus.

Primus est: *Si quis dixerit, Extremam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit*. To. 14. Conc. p. 826.

Secundus: *Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit*.

Tertius: *Si quis dixerit, Extremæ unctionis ritum & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque à Christianis absque peccato contemni, anathema sit*.

Quartus: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordi-*

*ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

Objectiones Dallæi. Objicit Dallæus 1. Nulla unctionis infirmorum occurrit mentio in omnibus, qui plurimi supersunt, secundi & tertii sæculi libris, in quibus tamen accuratè explicantur quæcunque pertinent ad Sacramenta nostra.

II. Veteres sex priorum sæculorum Scriptores, dum piorum mortes describunt, eos oleo inunctos fuisse non commemorant.

III. Pœnitentibus in exitu nulli Veterum, ad nonum sæculum, Extremam unctionem vel negasse, vel concessisse leguntur, quibus tamen Eucharistiam alii quidem, ut vetustissimi, negant; alii, ut qui anno 325. & deinceps vixerunt, concedunt.

IV. Vel ipsa discordia & dissensio nostrorum Theologorum, tùm circa auctorem, tum circa materiam & formam, tùm circa effectus Unctionis extremæ, persuadere videtur, eam pro vero & propriè dicto non haberi Sacramento.

Resp. argumenta illa negativa nihil momenti ac ponderis habere, ubi suppetunt alia positiva, quæ rem demonstrant.

Ad primum itaque dico, falsò prorsus supponere Dallæum, apud nullum Scriptorem tertii sæculi occurrere mentionem Unctionis infirmorum. Nonne Origenes tertio floruit Ecclesiæ sæculo? At ille loco à nobis citato, de nostra Unctione apertè loquitur, & quidem non tanquam de ritu aliquo recentiùs inducto, sed ab ipso Apostolo Jacobo, cujus verba refert, commendato. Neque verò quisquam mirari debet, quod ex Scriptoribus secundi & tertii sæculi frequentiores non appellaverimus: namque nemo nescit plurima eorum temporum monumenta ad nosusque non pervenisse, & in iis quæ supersunt, non omnia Religionis nostræ capita, non omnes ritus exponi. V. gr. Auctor Constitutionum Apostolicarum, qui vulgò dicitur esse Clemens Romanus, Auctor librorum de Ecclesiastica Hierarchia, qui Dionysius Areopagita à multis dicitur, non meminere Eucharistiæ quæ infirmis in exitu dabatur: an inde meritò concludet aliquis, datam non fuisse morientibus Eucharistiam? Idem quoque dicendum de silentio Veterum circa Extremam unctionem.

Ad secundum: dico pariter, ex illo silentio nihil concludi posse, nisi pariter concludas morientibus datam non esse Eucharistiam, cùm neque Eusebius, neque Gregorius uterque Nazianzenus & Nyssenus, neque Ambrosius, Sulpitius, Metaphrastes, Hieronymus, & alii qui piorum mortes describunt, referant iis in exitu datum esse Viaticum, quod dandum esse præceperat Concilium Nicænum generale I. Can. 13. Imò neque in vitâ S. Bernardi, cujus tamen ætate in usu fuisse Unctionem infirmorum non negant adversarii, in vita, inquam, S. Bernardi non legimus eum oleo infirmorum inunctum fuisse, quamquam ex vita S. Malachiæ manifestum sit, summo apud S. Doctorem in pretio fuisse Sacramentum nostrum. Si verò causas rogaveris hujusce silentii; istas potissimum habe. 1. Scriptores, ea quæ communia & maximè vulgata sunt & usu quotidiano trita, ut plurimùm omittere. 2. Cùm Extrema unctio sit perfectio atque consummatio Pœnitentiæ, ea delibutos & inunctos præsupponimus, qui intra Pœnitentiæ gemitus ac labores ex hac vita discessisse memorantur. 3. Cùm istud Sacramentum non sit absolutè necessarium, & aliunde plures eorum, quorum exitus narratur, subita morte rapti fuerint,

fuerint, non est quòd sollicitè adeo quæramus, cur de tali Unctione frequens non occurrat mentio in historiis quæ sanctorum virorum vitam & mortem nobis describunt.

Ad tertium eadem est responsio.

Ad quartum: istæ Theologorum nostrorum dissensiones ac discordiæ Sacramenti substantiam & existentiam non attingunt, sed liberas dumtaxat quæstiones, in quibus salva fide, potest quilibet quod magis placuerit sentire; ac sic animo comparatus esse debet, ut & sine pertinacia refellat, & sine iracundia refellatur.

# QUÆSTIO SECUNDA.

*De causis, hoc est, materia, forma, auctore, & ministro Sacramenti Unctionis extremæ.*

## ARTICULUS PRIMUS.

*De materia Sacramenti Extremæ unctionis.*

Duplicem distinguunt Theologi materiam Unctionis extremæ, remotam, quæ est oleum; & proximam, quæ unctio dicitur, seu olei usus & applicatio. De utraque hic distinctè agemus.

*De materia remota Sacramenti Extremæ unctionis.*

Quæres 1. quænam sit materia remota Unctionis extremæ.

Resp. esse oleum. Ita enim expresse significat S. Jacobus Epistola citata: *Ungentes*, inquit, *eum oleo in nomine Domini*. Ita perpetuus Ecclesiæ usus ac constans Traditio. *Ex Apostolica Traditione per manus accepta Ecclesia intellexit*, ait Conc. Trid. Sess. 14. c. 1. *materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum: nam unctio aptissimè Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat*. Et Catechismus Concilii parte 2. agens de Unctione extrema, *Ejus*, inquit n. 9. *elementum sive materia, quemadmodum Concilia, ac præcipuè Tridentinum decrevit, est oleum ab Episcopo consecratum; liquor scilicet non ex quavis pingui & crassa natura, sed ex olearum baccis tantummodo expressus. Aptissimè autem hæc materia illud significat, quod vi Sacramenti interiùs in anima efficitur: nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnoperè proficit; ita Sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet: tùm verò ad recreandas defatigati corporis vires maximè accommodatum est. Quæ omnia, quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant.*

S. Th. in Supplem. q. 29. art. 4. in corp. hanc quoque congruam hujusce materiæ rationem profert: *Spiritalis*, inquit, *sanatio quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur; & lenis, ut spes quæ exeuntibus est maximè necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est, & penetrativum usque ad intima, & etiam diffusivum; & ideo quantùm ad utrumque prædictorum: est conveniens materia hujus Sacramenti.*

Quæres

Quæres 2. quale debeat esse oleum infirmorum: an ex olivis expressum; an simplex, an compositum ex balsamo aliisque aromatibus; an ab Episcopo consecratum.

Resp. ad primum, oleum illud ex olivis expressum esse debere, quod solùm propriè oleum nuncupatur; sicut sola elementaris aqua simpliciter aqua dicitur.

Resp. ad secundum, oleum illud debere esse simplex, absque ulla admixtione: quia illius admixtionis nulla prorsus fit mentio apud Auctores Ecclesiasticos. Nec obstat quòd Innocentius I. Epistola ad Decentium illud vocaverit *chrisma*: hoc quippè nomine, sicut jam observavimus, quamlibet unctionem generatim designavit. Duplex igitur oleum est in usu Ecclesiæ: aliud, quod balsamo conficitur, & vocatur oleum, aut unctio principalis, quo solent ungi, qui baptisantur, in vertice, & qui confirmantur, in fronte, & qui ordinantur, in manibus: aliud est simplex, quamquam ab Episcopo per benedictionem sacratum, quo unguntur Catechumeni in pectore & scapulis, & ægroti in sedibus sensuum, & energumeni ungi quoque solebant: unde vocatum est oleum Catechumenorum, aut infirmorum.

Resp. ad tertium, ex communi omnium Theologorum sententia, jure ac præcepto saltem Ecclesiastico necesse esse ut oleum infirmorum sit ab Episcopo consecratum seu benedictum. Ita quippè docet constans ac perpetua Traditio. *Consecratur autem oleum*, inquit Estius in 4. dist. 23. paragr. 8. *ad significandum,*
To. 2. p. 252. *quòd non suaptè natura, sed Spiritus sancti virtute morbis animæ medeatur. Per Episcopum verò fit ea consecratio, ut significetur omnem virtutem Sacramentorum derivari ex merito Christi, cujus personam præcipuè gerit Episcopus.*

Utrum verò benedictio hujusmodi non tantùm necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti omninò requiratur, disputant inter se Theologi. Negant Cajetanus, Maldonatus, Sanbovius &c. affirmant Bellarminus, Estius &c. quorum ista sunt gravissima momenta.

Ibid. p. 40. I. Hæc verba S. Jacobi, *Ungentes eum oleo in nomine Domini. Hoc est,* inquit Beda in hunc locum, *oleo consecrato in nomine Domini.*

II. Concilia Florentinum & Tridentinum conceptis verbis docent, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo *benedictum*; quod de materia essentiali haud dubiè debet intelligi.

III. Non alia de causa Veteres benedictionem hanc olei exigunt & commendant, quàm quòd intelligerent eam omninò pertinere ad substantiam Sacramenti. Inde communiter ab Auctoribus Ecclesiasticis post Innocentium I. Appellatur *oleum sanctum, sacrum, consecratum, benedictum.*

His nihilominus momentis, alii, qui negātem sequuntur partem, respondent. Ad primū, his verbis S. Jacobi, *Ungentes eum oleo in nomine Domini*, non significari benedictionem; sed hoc unum, nempè unctionē illam fieri debere vice & au-
To. 5. p. 959. n. 30. ctoritate Christi, ita ut verba hęc, *in nomine Domini*, referantur non ad oleum, sed ad actum ungendi: quam interpretationē adducit & ipse quoque citatus Beda.

Ad secundum, Concilia Florentinum & Tridentinum, ajunt quidem materiam hujus Sacramenti esse oleum per Episcopum benedictum; sed non ajunt benedictionem illam esse essentialem: necessariam illam tantùm indicant, non assignato genere necessitatis, quam quæstionem permittunt disputationibus Theologorum.

Ad

Ad tertium, eadem est responsio. Neque enim quidquid Traditio commendat tanquam necessarium in perficiendis Sacramentis, idcirco pertinere dici debet ad substantiam Sacramenti, ut patet exemplo aquæ vino eucharistico permiscendæ, de qua tota Traditio mentionem facit, quæ nihilominus absolutè non requiritur ad validam Calicis eucharistici consecrationem.

Quæres 3. à quo debeat necessariò consecrari oleum infirmorum.

Estius in 4. dist. 23. paragr. 9. in eam videtur propendere sententiam, à solo Episcopo posse validè oleum consecrari. *Unde, inquit, non apparet hac in re Pontificem posse dispensare.* Pa. 292. c. 1. B.

Si usum & consuetudinem Latinæ Ecclesiæ consulamus, certum est 1. solis Episcopis reservatam esse facultatem benedicendi seu consecrandi oleum infirmorum; atque simplicibus Presbyteris nusquam concessam illam fuisse. Si verò ad necessitatem attendamus hujus consecrationis, varia est sententia: qui enim existimant eam pertinere ad substantiam Sacramenti, consequenter necessariò exigunt Episcopale ministerium; quia verò negant à simplici Presbytero factam benedictionem sufficere arbitrantur.

Certum 2. apud Græcos simplices Presbyteros benedicere oleum infirmorum. Ita videre est in Euchologio, ubi describitur Officium olei sancti. Ita N. 12. Goarius in suis notis pa. 436. ubi sic loquitur. *Cùm sacerdotalis sit ministerii ægrotos oleo sacro linire, usu consentiente factum est, ut non à Græcis Pontificibus, sed à Sacerdotibus consecratum, & quoties urget necessitas renovatum, & recens benedictum huic Sacramento conferendo proferatur. Non diffitendum tamen, primigeniæ potestatis hujus sacri olei consecrandi signum exhibere Pontifices Græcos, cùm feria quinta magna solemnitate precum & ritus apparatu, semel illud in anno sanctificant. At cùm in cæremoniali astantium unctione eodem tempore consumatur (cuncti namque ad sacram synaxim accessuri in peccatorum expiationem sese ungendos offerunt, & Pontifex ipse primus omnium Oeconomi manu suscipit unctionem, & reliquos deinceps ipse ungit) facultatem illud denuo consecrandi privato cuicumque Parocho, ipsi Pontifices taciti ex antiquo more videntur remittere.* Hæc Goarius, qui ibidem refert à Clemente VIII. non improbatum fuisse illum Græcorum Presbyterorum usum, in ea instructione, quam ad Episcopos Latinos direxit, titulo, *circa oleum sanctum infirmorum*, ubi sic loquitur: *Non sunt cogendi Presbyteri Græci, olea sancta præter chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere: cùm ejusmodi olea ab eis, in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.* Ib co. 2.

Refert quoque ibidem n. 29. Neophyti Rhodini in sua Synopsi vernacula, jussu Sacræ Congregationis de propaganda fide approbata, ejusque impensis Romę edita, testimonium his verbis: *Materia Sacramenti Extremæ unctionis est oleum oliva expressum, à Pontifice, vel à Sacerdotibus, qui præsentes fuerint, juxta Ecclesiæ morem benedictum.* Pa. 437. col. 1.

Quæres 4. an si oleum balsamo aliisque aromatibus esset admixtum, sufficiens & idonea foret materia Extremæ unctionis.

Resp. affirmativè, modò ea admixtione non mutetur olei natura; non licet tamen uti tali oleo seu chrismate.

Quęres 5. quid sit faciendum, cùm deficit oleum ab Episcopo feria quinta benedictnm, propter frequentem usum & administrationem hujus Sacramenti.

Resp. posse Sacerdotem oleum non consecratum miscere cum consecrato; ex illa

la enim unione, quod non fuit consecratum consecrationem quamdam contrahit, non quidem ratione physici contactus, sed ex indulgentia Ecclesiæ, quæ voluit ut preces Episcopi qui consecravit oleum, extendantur quoque ad illud quod admiscetur jam consecrato: eodem modo quo aqua non benedicta superaddita aquæ benedictæ, censetur acquirere benedictionem. Ita S.Th. Opusculo 65. ex cap. *Quod in dubiis. De consecratione Ecclesiæ*, his verbis: *Non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Ita Rituale Parisiense Eminent. Card. Noallii. *Si fortè*, inquit, *infra annum aliquo modo deficiat* (oleum infirmorum) *ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modicum oleum non benedictum in minori quantitate in illud infundi poteris.*

*De materia proxima Sacramenti Extremæ unctionis.*

Quæres 1. quæ sit materia proxima Sacramenti Extremæ unctionis.

Resp. esse unctionem ipsam, seu usum & applicationem olei: in Sacramentis quippè quæ in usu posita sunt, materia proxima est usus seu applicatio materiæ remotæ.

Quæres 2. quæ corporis partes inungi debeant.

Resp. non unum & eundem esse Ecclesiarum usum ac praxim.

P. 399. col. 2. A Arcudius L. 5. de Extrema unctione c. 7. ait, *Sacerdotes Græcos ungere frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremò pedes.*

Ibid. C. Simeon Thessalonicensis in Libro de Sacramentis, ibidem ab Arcudio laudatus ait: *Ungit Sacerdos oleo ad modum crucis, ipsius* (ægri) *frontem ob contentas in ea cogitationes. Faciem quoquè inungit, propter sensuum organa: postremò manus à pravis cogitationibus & operibus eum expians, sanctoque oleo & signo crucis muniens, & perfectè sanctificans.* Nulla hic mentio unctionis pectoris ac pedum.

Apud Latinos non una est praxis ac disciplina.

S. Gregorius in suo Sacramentario apud Menardum p. 253. præscribit, ut quinque sensus inungantur. *Multi Sacerdotum*, inquit, *infirmos perungent in quinque sensus corporis, id est in superciliis oculorum, & in naribus deintus, & in narium summitate sive exteriùs, & in labiis exteriùs, & in manibus exteriùs, id est, deforis. In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo sacrato dicentes: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Hoc enim faciant, ut si in quinque sensibus mentis & corporis aliqua macula inhæsit, hac medicina Dei sanetur.* Menardus in suis notis in hunc S. Gregorii locum pag. 336. describit varios veteres Codices, quibus aliarum partium unctio præscribitur. Codex Abbatis Rotaldi unctioni quinque sensuum adjungit unctionem colli, pectoris & scapularum. Vetus Anglicanum Pontificale præscribit unctiones colli, scapularum, pectoris, pedum umbilici. Codex

P. 351. Remigio-Rhemensis addit utriusque temporis unctionem. *Ungatur*, inquit, *à Sacerdote, vel pluribus Sacerdotibus, de oleo sanctificato, facientibus cruces singulis in dextro tempore & sinistro, non in fronte, nec in vertice.*

Ob. an. 1280. To. 16. p. 522. Albertus Magnus in 4. dist. 23. art. 16. in corpore, ait, *diversarum Ecclesiarum & Ordinum diversum esse usum. Quia in quibusdam Ecclesiis unguntur loca plura, in quibusdam pauciora.* Et in solutione argumentorum, ad secundum, *In quibusdam*, inquit, *Ecclesiis unguntur tantùm extremitates, ut*

*os, &*

*os, & nares, & oculi & aures; quia in illis sunt organa quinque sensuum: tamen alii præter hæc ungunt scapulas, & pectus, & renes, in quibus est delectatio venereorum.*

Eugenius IV. S. P. in Decreto pro instructione Armenorum, præter quinque sensus, renes inungi jubet. *Hoc Sacramentum*, inquit, *nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus est, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gestum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Duas postremas unctiones, in feminis præsertim, à pluribus Ecclesiis omitti, honestatis & pudoris causa, nonnulli observant. T. 13. Conc. p. 538. C.

In Rituali Parisiensi jam citato ita præscribitur, *Quinque corporis partes præcipuè ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit: nempe oculi, aures, nares, os, & manus; attamen pedes etiam & pectus ungenda sunt. In feminarum unctione, tangat tantùm Sacerdos partem pectoris superiorem; manus verò, quæ reliquis infirmis interiùs ungi debent, Presbyteris exteriùs ungantur.* P. 104.

Quæres 3. an plures unctiones sint necessariæ; an unica sufficiat ad Sacramenti substantiam.

Resp. varias in partes hìc Theologos abire. Multi arbitrantur quinque sensuum unctiones omnino esse necessarias ad veritatem substantialem Sacramenti: alii putant perinde esse, sive plures, sive unica fiat, licèt fateantur quinque sensuum unctiones pertinere ad integritatem & majorem expressionem effectus hujus Sacramenti. Videtur hæc postrema sententia magis esse ad mentem & praxim Ecclesiæ, quæ in casu necessitatis, ubi præ mortis instantis periculo omnes unctiones perfici non possunt, permittit unicam fieri. Ita Rituale Mechliniense ab Academia Lovaniensi approbatum anno 1588. statuit, in morbis contagiosis, & peste grassante, *ut periculum vitetur, sufficere inungi sensus organum magis ad unctionem expositum aut detectum.* In Codice Remigio-Rhemensi, ubi legitur ritus abbreviatus conferendi hujus Sacramenti, unius pariter unctionis fit mentio. Ac ne aliunde plura ducamus argumenta, in ipso Rituali Parisiensi dicitur: *Si non possit super infirmum fieri nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, & cæteris precibus prætermissis dicatur, Per istam sacri olei unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus.* P. 104.

Adde & S. Jacobum simpliciter unctionis mentionem facere, non plurium, & variam esse Ecclesiarum praxim ac disciplinam, quam cùm non improbet Ecclesia universa, non obscurè subindicat sibi verum videri Sacramentum Unctionis extremæ, sive pluribus, sive unica perficiatur unctione: quamquam, si nulla obstet necessitas, nusquam liceat eas omittere quæ sunt in usu Ecclesiæ in qua quisque vivit. Adde denique, idem hìc esse dicendum de multiplici unctione, ac de triplici immersione in Baptismo quæ essentialis non est.

Quando verò contingit infirmum esse aliquo membro mutilatum, inungi debet pars membro amputato magis proxima. Ita Rituale Parisiense. *In cæcis autem aut surdis à nativitate*, inquit, *non fiat unctio oculorum, aut aurium, nec verba iis sensibus respondentia proferantur.*

ARTI-

## ARTICULUS II.

### *De forma Sacramenti Extremæ unctionis.*

QUæres 1. an sit hujus Sacramenti aliqua forma.

Resp. affirmativè. Colligitur manifestè ex laudato sæpius textu S. Jacobi, *Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Contrariam nonnullorum sui temporis sententiam præsumptuosam & erroneam appellat S. Th. in Supplem. q. 29. art. 7. Et ratio est, quia, inquit ibidem S. Doctor, *omne Sacramentum efficit significando: significatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cùm ad multa se habere possit, nisi per formam verborum; & ideo in omnibus Sacramentis novæ Legis, quæ efficiunt quod figurant, oportet esse res & verba.*

Pagin. 387. A. Maldonatus hìc q. 1. quamquam existimet formam nostri Sacramenti in his verbis S. Jacobi contineri, *ungentes in nomine Domini*, contendit nihilominus, quod aliàs observavimus, Sacramentorum formas verbis necessariò non constare: *quia forma*, inquit, *est id omne per quod exprimitur significans materia; aliàs*, pergit ille, *in Sacramento Matrimonii nulla esset forma, quia non sunt certa verba*, quam consecutionem Maldonati falsa esse ostendunt ea quæ dicemus in Tractatu de Matrimonio. (Pagin. 386. E.)

Quæres 2. qualis olim fuerit, aut jam sit usurpanda forma Unctionis extremæ; an absoluta, an deprecatoria, an utraque simul.

Resp. in quibusdã Ritualibus modo absoluto; in aliis deprecativo; in nonnullis partim absoluto, partim deprecativo enuntiari formam hujus Sacramenti.

Dico igitur 1. aliquando modo absoluto & indicativo expressam fuisse formam Unctionis extremæ. Referunt enim S. Thomas, S. Bonaventura, Paludanus, Richardus, Durandus & Gabriel, formam Ambrosianam, Mediolani suo tempore usu receptam, fuisse absolutam, his nempe verbis. *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.*

Similis forma legitur in Codice Tiliano seu Sagiensi: *Ungo caput tuum oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut more militis uncti, &c.*

Similis pariter in Codice Remigio-Rhemensi, & in Codice Ratoldi quem To. 2. p. 116. repræsentat Doctissimus Menardus in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 337. & in Ritualibus Suessionensi, Catalaunensi, Ambianensi, *quorum editio*, ait alter Benedictinus Pater Martene L. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 7. art. 3. n. 9. *necdum ducentos attigit annos*. Non absimiles sunt illæ formæ, quas Gregorius Cassander ad hymnum in unctione infirmorum, qui in-Pa. 288. cipit, *Christe cælestis*, ait se legisse, quarum prima est. *Ungo te oleo sancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, obsecrans misericordiam tuam &c.* Deinde secundam commemorat; *In alio*, inquit, *pervetusto Codice lego singulis unctionibus hæc verba præmitti solere. N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti accipe sanitatem. In pedum verò unctione, hoc modo. N. In nomine Domini nostri Jesu Christi, surge & ambula in pace.* De tertia autem subjicit: *Alibi inter cæteras hanc formam reperi, In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti accipe sanitatem; hæc unctio per signum sanctæ crucis, & per oleum sanctificatum, & per donum Spiritus sancti fiat tibi ad sanitatem.*

Arcu-

Arcudius L.3. de Extrema unctione cap. 5. laudat Sacramentale Venetorum approbatum à Leone decimo, in quo hæc refertur forma, *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversùs varias catervas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et in Codice antiquo Halitgarii qui vixit circa annum Domini* 820. pergit Arcudius, *talis reperitur forma: Ungo te oleo sanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen aereas possis superare catervas &c.* P.395. col.2.

Refert Albertus Magnus in 3. dist.23.art.4. se oculis lustrasse antiquissimos Germaniæ Rituales Libros, & in iis se deprehendisse formam Sacramenti Extremæ unctionis merè indicativam, quem ritum, inquit, Germani Gregorianum vocabant. To. 16. pa.514.

Dico 2. formæ absolutæ seu indicativæ admixtam aliquando fuisse deprecatoriam apud Latinos. Talis ista fuit quæ refertur in Libro Sacramentorum S.Gregorii apud Menardum pag.252. *Inungo te de oleo sancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed in te habitet virtus Christi altissimi, & Spiritus sancti; quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus, sive fotus, pristinam & immelioratam recipere merearis sanitatem. Per eundem &c.* Hanc nihilominus formam in exemplum formæ indicativæ assignat Menardus in notis ad hunc locum pag.332. *Olim*, inquit, *forma hujus Sacramenti fuit indicativa, ut hic apparet: (quamvis hic appelletur oratio, sed impropriè; verè etenim oratio non est) & clarè constat etiam ex Codicibus manuscriptis Ratoldi, & Tiliano Monasterii S.Remigii, & Manuali excuso Ecclesiæ Suessionensis, quæ indicativam habent, deprecatoriam ignorant.* Ita Menardus.

Dico 3. apud Græcos semper, apud Latinos verò multis abhinc sæculis solam formam deprecatoriam Sacramenti Extremæ unctionis in usu fuisse & esse.

Arcudius loco antea citato refert non aliam apud Græcos formam esse hujus Sacramenti, quàm deprecatoriam, quæ legitur in Euchologio, in Officio olei sancti, & incipit ab his verbis, pag.417. *Pater sancte, animarum & corporum medice &c.* Nostræ Latinæ quoad sensum respondet. Non aliam referunt Scriptores Græci, Gabriel Philadelphiæ Metropolita in Opere de septem Sacramentis, *Forma*, inquit, *hujus Sacramenti sunt verba, quæ à Sacerdotibus super ægros annuntiantur, quæ quidem vim habent dimittendi peccata, sanandique morbos eorum qui Sacramentum certa fide suscipiunt.* Et Neophytus Rhodinus jam citatus, in sua Synopsi vernacula sic habet: *Forma Extremæ unctionis est oratio illa quam dicit Sacerdos, cùm infirmum ungit.*

Eandem formam verbis deprecatoriis expressam multis abhinc sæculis apud Latinos usurpari patet. 1. ex Rituali Monastico simul & Ecclesiastico Gemeticensi, sexcentorum annorum & suprà, in quo hæc extat forma: *Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum &c.* quam formam habent omnes Rituales Libri qui quatuor abhinc sæculis in usu sunt. 2. ex S.Thoma & aliis nonnullis Scholasticis, qui sæculo decimo tertio usu tam constanti confirmatam videbant formam deprecatoriam, ut absolutam quasi insufficientem rejicerent ac improbarent. 3. Eugenius IV. S.P. eandem refert in Decreto seu Jumiege.

instructione Armenorum, 4. denique, Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. ait formam hujus Sacramenti esse illa verba, *Per istam unctionem &c.*

Quæres 3. an forma deprecatoria conveniens sit ac retinenda.

Resp. affirmativè. Demonstrant adducta mox momenta, & præcipuè auctoritas S. Jacobi, qui orationis mentionem facit. *Orent*, inquit, *super eum, ungentes eum oleo*. Et verò verba quibus illa forma coalescit, aptissimè exprimunt tùm Sacramentum, (*per istam unctionem*,) tùm divinam virtutem quæ in Sacramento operatur, *& suam pissimam misericordiam*; tùm effectum Sacramenti, nempè remissionem peccatorum, *indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum*.

Neque dicas, per formam deprecatoriam non posse, ut oportet, exprimi certum Sacramenti effectum; quippè non semper efficax est oratio.

Namque 1. oratio quidem extra Sacramentum, seu quæ non est forma Sacramenti, non potest certum exprimere effectum; at id potest oratio quæ forma est Sacramenti, cui voluit Christus vim & efficaciam certam sua institutione conferre. 2. Satis est ad vim & efficaciam Sacramenti, quòd ex se, & in actu primo, ut vocant, certum effectum producere valeat: contingere enim potest, ut propter malam subjecti dispositionem effectum actu non assequatur, quod certè per accidens est respectu ipsius Sacramenti. 3. S. Th. Suppl. qu. 29. art. 8. in corp. docet, *Extremam unctionem non habere aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia Sacramenti ritè peractis, sicut character in Baptismo & Confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in Pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de essentia hujus Sacramenti: & ideo in hoc Sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis Sacramentis.*

Neque dicas rursum, per formam deprecatoriam neque intentionem, neque actionem ministri exprimi.

Namque rectè utraque exprimitur per ipsum actum quo Sacerdos in nomine Domini ungit infirmum.

Si verò quæras, quænam verba in forma adducta sint omninò essentialia: an omnia, an aliqua, & quæ. Respondebo ista dumtaxat essentialia videri, *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus*: cætera ad majorem expressionem referuntur. Probatur. Quia per hæc exprimuntur actus, causa principalis, subjectum, & effectus. Actus quidem, *per istam unctionem*: causa principalis, *Deus*: subjectum, *tibi*: effectus, *indulgeat*. Misericordia Dei includitur in Verbo *indulgeat*, ut & quod significatur verbis istis, *quidquid peccasti*; nam Deus indulget peccatori: caveat tamen Sacerdos, ne ulla ex præscriptis verba omittat.

Quæres 4. quid sentiendum sit de forma absoluta & indicativa quam diximus in usu olim fuisse; an valida & legitima fuerit.

S. Thomas Albertum Magnum impugnans, eam putat insufficientem & invalidam. Verùm, cum pace tanti Doctoris, ipsi hac in parte consentire non possumus: verisimile quippè non videtur, eam in usu & praxi toleratam fuisse Sacramenti formam, quæ nulla foret, invalida & illegitima, & qua consequenter posita, Fideles vero Sacramento Extremæ unctionis privati fuissent. At patet ex citatis antea testimoniis, in pluribus Ecclesiis formam absolutam & indicativam obtinuisse. Inde est quòd formam hanc pro nulla & invalida non habeant, nec Richardus De media villa in 4. dist. 23. art. 1. qu. 4. ub

ubi dumtaxat ait formam deprecativam esse convenientiorem, ob textum S. Jacobi: neque eam rejicit in responsione ad 2. Nec S. Bonaventura in responsione ad 2. cùm ait: *Obiicitur, quòd non est eadem forma. Dicendum quòd secundùm id quod est necessarium & essentiale Sacramento, eandem oportet esse; sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris.* Nec Durandus eadem dist.23. q. 3. ubi utramque formam problematicè defendit. Postquam enim asseruit formam deprecativam, tandem subjungit: *Etsi quis vellet tenere quòd forma indicativa, qua dicitur usus fuisse D. Ambrosius qui fuit de primitivis Doctoribus, posset responderi ad rationes alterius partis: B. enim Jacobus loquens de oratione, fortè non intendit de forma Sacramenti, sed de supplicatione quæ fit per orationem præcedentem, aut sequentem, per quam apud Deum sublevatur infirmus, & ei commendatur.* Nec Paludanus in 4. dist. 23. q. 1. *Si aliquæ Ecclesiæ*, inquit, *habeant solam formam indicativi modi, sicut Ambrosiana, tempore saltem Ambrosii, ut dicitur, non est dicendum quòd nihil sit actum.* Nec Aureolus pariter qui in 4. dist. 23. ar. 1. docet, *formam Extremæ unctionis posse esse indicativam.* Tom. 5. pa. 308. col. 2. A Ed. Andverp. 1566 p. 359. Tom. 2. pa. 159. col. 1. C

Quare non valet responsio Petri Ledesmæ c. 3. de forma hujus Sacramenti, cùm ait hanc formam indicativam esse tantùm quoddam præambulum ad Sacramentum Extremæ unctionis.

*Namque citati Theologi*, ait eruditus P. Menardus in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 333. *cùm hæc scripserunt, non erant adeo stupidi ut ignorarent, si præter formam indicativam aliam haberet deprecatoriam Ambrosiana Ecclesia. Prætereà, ut nemo dixerit, cùm quis infundens aquam profert hæc verba, Ego te baptiso &c. hanc formam esse præambulam ad Baptismi Sacramentum; ita absurdum est dicere, cùm ungitur ægrotus oleo sanctificato, & proferuntur hæc verba, Ungo te &c. ejusmodi formam esse quid præambulum ad Extremam unctionem..... Neque hæc doctrina adversatur Concilio Tridentino, cùm ait Seß. 14. cap. 1. formam esse illa verba, Per istam unctionem &c. Nam Concilium deprecatoriam non ita astruit, ut rejiciat indicativam, quam olim in usu fuisse luce meridiana clarius est: ut nec ita astruit illa verba, Per istam unctionem, ut destruat formam Græcorum, quæ licèt deprecatoria sit, ejusmodi verba non tamen agnoscit.* Ita Hugo Menardus.

Ex quibus consequens est, ut dicamus validam olim fuisse formam Unctionis extremæ modo absoluto & indicativo expressam: adeoque Christum institutione sua hoc unum voluisse, ut forma hujus Sacramenti idonea foret ad exprimendum ejus effectum; Ecclesiæ verò libertati permisisse, determinare modum, sive indicativum, sive deprecatorium, quo exprimi deberet illa forma: quam viam explicandi ac simul conciliandi formam Sacramenti Confirmationis in utraque Ecclesia, Latina & Græca, diversam amplexi sumus in nostro Tractatu de Sacramento Confirmationis.

Eandem viam hìc sequitur Maldonatus, de Extrema unctione qu. 1. *Non fuit*, inquit, *propositum Christo aut Apostolis, ut certam aut immutabilem verborum formam nobis præscriberent, sed tantùm ut exponerent effectum Sacramenti, qui per formam explicandus erat.* Similiter Estius in 4. dist. 23. paragr. 10. *Nihil vetat*, inquit, *ejusdem Sacramenti formam nunc enuntiativè, nunc deprecativè vel optativè recitari.* Pagina 386. A. P. 193. col. 1. D

## ARTICULUS III.

### *De auctore Sacramenti Extremæ unctionis.*

NOvatores Lutherani & Calvinistæ qui Extremam unctionem è numero Sacramentorum novæ Legis expungunt, consequenter negant eam ullatenus à Christo fuisse institutam; nisi ad tempus, & ad unam corporis sanitatem restituendam.

Inter nostros Magister Sententiarum L. 4. dist. 23. asserit unctionem infirmorum esse ab Apostolis institutam, non à Christo. S. Bonaventura, in eandem distinctionem q. 2. & Hugo à S. Victore, docent Spiritum sanctum per Apostolos Sacramentum hoc instituisse. Istam aliquorum è nostris opinionem adversùs nos contorquent novi Dogmatistæ, ut probent nostram Extremam unctionem verum non esse ac propriè dictum Sacramentum, vel ipso judicio Magistri, S. Bonaventuræ & Hugonis Victorini, cùm non sit, iis pronuntiantibus, à Christo institutum.

Verùm protervè abutuntur illi horum Theologorum sententia: nullus quippè eorum negavit Extremę unctioni dignitatem ac rationem veri Sacramenti; & cùm affirmant eam ab Apostolis fuisse institutam, non à Christo, loquuntur de institutione immediata, non mediata: agnoscunt etenim ex instinctu Spiritus sancti, & potestate à Christo primo omnium Sacramentorum parente derivata, eos egisse, quod certè est agnoscere unctionem esse à Christo, si non immediatè, mediatè saltem institutam: qua in opinione nihil est quod fidei catholicę adversetur. Quamquam enim longè probabilius nobis videatur, sicut ostendimus in Tractatu de Sacramentis in genere, Christum immediatè per seipsum omnia novæ Legis Sacramenta instituisse; non est tamen id fide certum ac definitum, sed in controversia & disputatione adhuc versatur.

Quæres itaque 1. an Christus instituerit Sacramentum Extremæ unctionis.

Resp. affirmativè. Patet ex Concilio Tridentino, tùm Sess. 7. Can. 1. quo
To. 14. Conc. p. 776. anathemate damnat *eos qui dicunt Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta.* Tùm Sess. 14. ubi ex professo de nostro Sacramento ait cap. 1. *Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam verè & propriè*
Ibid. p. 812. *Sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum.* Et Can. 1. *si quis dixerit, Extremam unctionem non esse verè & pro-*
Ibid. p. 826. *priè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum... anathema sit.* Non ait Synodus, (quod observa) à sancto Jacobo institutum, sed promulgatum dumtaxat Sacramentum Extremæ unctionis, quo certè innuit Christum immediatè per se Sacramentum hoc instituisse. *Hoc ipsum autem*
Pagina 286. F. *etiam necessaria ratio convincit*, ait hîc Estius in 4. dist. 23. paragr. 3. *excedit enim Apostolicam omnemque humanam potestatem facultas instituendi Sacramenti; quia non potest homo promittere Deum tali signo adhibito gratiam daturum, nisi cognita priùs voluntate atque ordinatione divina.* Vide alia momenta quæ adducit ibidem mox laudatus Theologus, & quæ nos etiam exposuimus ubi de Sacramentis in genere disserebamus.

Quæres 2. quo tempore sit à Christo institutum Sacramentum unctionis infirmorum.

Resp.

Resp. diversas esse Theologorum sententias. Magister, S. Bonaventura, & alii nonnulli existimant hoc Sacramentum post Christi in cœlum Ascensionem, ab Apostolis ex peculiari revelatione Spiritus sancti fuisse institutum. Alii institutum volunt Marci 6. cap. cùm nempè Apostoli acceperunt à Christo facultatem ungendi & sanandi infirmos: laudantur pro ea sententia Victor Antiochenus in caput 6. S. Marci; Beda Venerabilis in eundem locum; Jonas Aurelianensis L. 3. de Institutione laicali c. 14. Theophilactus, Occumenius ad citatum caput 6. S. Marci. Alii denique, & quidem nostro judicio verisimiliùs, putant institutum post Resurrectionem Christi à mortuis, tùm cùm Apostolis concessit ligandi atque solvendi auctoritatem. Cùm enim Extrema unctio sit perfectio ac consummatio pœnitentiæ, eo ipso tempore videtur instituta, quo Sacramentum ipsum Pœnitentiæ. *Hi enim dies qui inter Resurrectionem Domini Ascensionemque fluxerunt*, ait S. Leo sermone primo de Ascensione, *non otioso transierunt decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria.* To. 1. p. 312. c. 2.

## ARTICULUS IV.

### *De ministro Sacramenti Extremæ unctionis.*

QUæres 1. quis sit hujus Sacramenti minister.

Resp. ex verbis S. Jacobi toties laudatis, planum fieri, Sacerdotes seu Presbyteros esse hujus Sacramenti ministros. *Infirmatur quis in vobis?* inquit, *inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.*

Presbyterorum autem nomine, non seniores è populo seu societate christiana intelligi debere, sicut nostris placet Novatoribus, sed eos qui dignitate seu Ordinatione sua ad Episcopalem vel Sacerdotalem gradum evecti sunt, demonstrat Estius in hunc locum. *Tùm quia vix unquam in Scriptura novi Testamenti vox ista, Presbyter, nomen est ætatis: passim verò aut populi Magistratus eo vocabulo designantur, ut in Evangelio, & interdum in Actis Apostolorum; aut ii significantur Presbyterorum nomine, qui ad Episcopalem aut Sacerdotalem functionem Ordinatione sua promoti sunt.* Tùm quia series ipsa contextus Apostoli hoc evincit. 1. *non simpliciter Presbyteri dicuntur, sed Presbyteri Ecclesiæ.* 2. *quia jubentur orare super infirmum.* 3. *quia per eos unctio facienda præscribitur in nomine Domini.* 4. denique, *quia per eorum ministerium remissio peccatorum obtinenda promittitur.* Quæ omnia rectè cadunt in Presbyteros dignitate & ordinatione, non autem in eos qui tantùm ob ætatem ita dicuntur: aliàs, ut rectè observat idem Estius in 4. dist. 23. paragr. 11. *cùm etiam ætate juvenes Ecclesiis præficiantur aliquando, ut Timotheus Episcopus ab Apostolo constitutus, absurdum omninò foret hoc Extremæ unctionis & orationis munus ad solos seniores remittere*, eoque privare juniores Episcopos & Sacerdotes. Est. in Ep. p. 1142. col. 1. P. 293. col. 2. B.

Non aliam hic esse nominis Presbyterorum interpretationem demonstrant tùm SS. Patres quotquot istum S. Jacobi textum exposuere, tùm usus constans ac perpetuus Ecclesiæ, quæ non ab aliis quàm à Sacerdotibus Sacramentum hoc administrari permisit, tùm denique ipsum Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. ubi de ministro hujus Sacramenti sic loquitur: *Jam verò, quod attinet ad præscriptionem eorum qui & suscipere, & ministrare* To. 14. Conc. p. 822.

*hoc Sacramentum debent, haud obscurè fuit illud etiam in verbis prædictis* (S. Jacobi) *traditum. Nam & ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros: quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum Presbyterii.* Et Can. 4. *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

*Ibid. p. 826.*

Ex dictis duo inferes. 1. nomen Presbyterorum hìc ad solum Episcopum non contrahi, sed ad simplices extendi Sacerdotes. 2. ipsos non excludi Episcopos; quidquid enim potest simplex Sacerdos, potiori jure potest & Episcopus.

Dices: Innocentius I. in Epistola ad Decentium videtur declarare posse à quibuslibet Laicis ministrari Sacramentum Unctionis infirmorum. *Quod non est dubium*, inquit, *de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licèt in sua aut suorum necessitate inungendo.*

*Tom. 2. Conc p. 1248. A*

Respondent aliqui, Innocentium non loqui de ministro, sed de subjecto seu percipiente Sacramentum Extremæ unctionis; ac verbum istud postremum, *inungendo*, passivè non activè esse intelligendum, ita ut sensus S. Pontificis iste sit, unctionem illam non à solis Sacerdotibus percipi debere, sed ab omnibus Fidelibus christianis per ministerium Sacerdotum. Ita Jansenius Gandavensis in caput 6. S. Marci. Verùm aliis displicet hæc responsio, quia, inquiunt, dubium non moverat Decentius utrum liceret singulis Christianis recipere unctionem; sed utrum ipsimet uti possent oleo per Episcopum benedicto, seipsos eo inungendo in suis aut suorum necessitate.

Respondent alii, Innocentium unicuique Christiano permittere in casu necessitatis, deficiente Sacerdote, seipsum aut alios isto infirmorum oleo inungere, quod eo in casu verum non est Sacramentum, sed pius dumtaxat aliquis ritus, qui propter desiderium Sacramenti, utcumque ejus vices ex pietate suscipientis supplet: quomodo, inquiunt, deficiente aqua naturali, licèt baptisare in vino, aut alio liquore; quomodo etiam permittitur, absente Sacerdote, exomologesim facere apud Diaconum, vel apud Laicum. Id verò permittitur, non quasi Baptismus in vino valeat, aut quasi potestas sit penes Diaconum, vel etiam penes Laicum absolvendi à peccatis; sed ut minister Baptismi, vel etiam baptisandus faciat quod ex parte sua est, & ut pœnitens faciat etiam quod in se est.

Verùm neque hæc responsio aliis videtur idonea, quia supponit falsum, nempè licere in vino baptisare, licere Diacono vel Laico sacramentaliter confiteri & ab eo absolvi; hæc quippè nusquam licent. Non enim licet alia uti materia ad baptisandum, quam aqua naturali; neque licet formam Baptismi applicare, quando vinum, aut alius liquor infunditur. Pariter non licet absolvi à Diacono vel Laico. Potest quidem aliquis ex humilis ac demissi animi sensu sua peccata Diacono vel Laico confiteri; sed non licèt Diacono vel Laico verba sacramentalia absolutionis proferre. Prius permittit S. Thomas in Supplemento q. 8. art. 2. ad 1. non posterius. Itaque

Respondent alii, & nostro quidem judicio aptius, permitti ab Innocentio

tio cuilibet Christiano, ut occurrente necessitate, tùm se, tùm alios hoc oleo ungere possit, pia devotione affectus erga rem sacram & Episcopali benedictione consecratam, per quam speret medelam consequi; ita tamen ut nullum conficiat Sacramentum, sed sit tantùm, ut antea diximus, materialiter non formaliter unctio infirmorum sacramentalis: quomodo solent Fideles uti aqua benedicta, aliisque rebus consecratis; quomodo etiam oleo per Episcopum benedicto multos olim usos fuisse historia proditum est, ut constat de Machario apud Palladium Historiæ Lausiacæ c.20. de Eutychio Constantinopolitano apud Eustathium Presbyterum in ejus vita; de Martio Abbate apud Gregorium Turonensem in vitis Patrum c.14. n. 2. Refert enim eum *quartanis, tertianisve febribus infuso benedicti olei liquore* mederi solitum fuisse. Pagina 1220.B. Plura extant alia similia exempla quæ omittimus.

Quæres 2. an quilibet Sacerdos sit minister idoneus hujus Sacramenti.

Resp. 1. si sermo sit de administratione valida, quemlibet Sacerdotem esse ministrum idoneum: quia ad validam hujus Sacramenti administrationem sufficit potestas Ordinis, nec requiritur potestas jurisdictionis.

Resp. 2. si sermo sit de administratione licita, eos tantùm Sacerdotes esse ministros legitimos, qui vel ordinariam vel delegatam habent jurisdictionem.

An verò deficiente Sacerdote qui talem habeat jurisdictionem, possit in casu extremæ necessitatis Sacramentum hoc licitè à quovis alio, etiam Religioso, conferri, dubitatur. Negat Navarrus in Manuali c.27.n.101. Affirmant Soto Sylvius & alii quamplures, & quidem meritò: tùm quia cùm Ecclesia suis decretis, v.g. Clementina prima *De privilegiis*. Clementina *Dudum. de sepulturis*, prohibuit Religiosis sub pœna excommunicationis, ne in jura & officia Parochorum involarent, voluit dumtaxat audaciam & temeritatem cohibere eorum, qui prætextu suorum privilegiorum existimabant sibi licitum esse munia Parochorum exercere, quasi jure ordinario; non verò prohibere voluit ut absente quolibet alio Sacerdote, in casu necessitatis possent infirmo jam morituro subvenire, conferendo ipsi Sacramentum Extremæ unctionis. Tùm quia S.Carolus in Concilio Mediolanensi V. ita præscribit: *Si porrò is* (Parochus) *impeditus, aut aliàs in mora est, mortisque periculum instat, hoc Sacramentum Sacerdos alius administret.* To. 15. Conc. p. 590.D.

Quæres 3. quot necessarii sint Sacerdotes ad conferendam unctionem infirmorum.

Resp. 1. absolutè unum sufficere. Ita S. Th. L.4.c. Gentes cap.73. *Si tamen*, inquit, *unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit, & cujus personam gerit.* To. 14. p. 777. col.2.B.

Et Alexander III. S.P. cap. *Quæsivit. De verborum significatione*, ait, quòd *Sacerdos uno præsente Clerico & etiam solus potest infirmum ungere.* Decr. p. 1958.

Ante ipsum Innocentius I. in Epistola ad Decentium, declarat Episcopum esse ministrum hujus Sacramenti, nec tamen exigit ut collegam advocet. Tom 2. Conc. p. 1248.

Denique non desunt exempla Sacramenti hujus ab uno dumtaxat Presbytero vel Episcopo administrati, ut constat ex vita S.Eugendi, Ex Everhelmo in vita S.Popponis: ex Prudentio Tricassino, qui solus inunxit beatam Mauram.

Neque obstat quòd S. Jacobus numero plurali dicat, *inducat Presbyteros*: Jam enim observavimus post Estium, esse enallagen numeri, atque sensum esse aliquem ex Presbyteris; quomodo dicimur peccata confiteri Presbyteris,

 hoc

hoc est alicui Presbytero. Plura exempla similis locutionis suppeditat S. Augustinus L.3. de consensu Evangelistarum cap. 16.

Resp. 2. in Ecclesia Græca septem adhiberi Sacerdotes in administrando Sacramento Unctionis extremæ, ita præscribit Euchologium. Ita Arcudius

Pagina 181. F. L.5. c.3. *Septem autem numero Presbyteros*, ait, *Græcorum Ecclesia exigit, sive propter septem peccata mortalia, sive quia septenarius numerus in sacra Scriptura valdè commendatur, & non caret mysterio: quin Jubilæum in se complectitur. Dicerem etiam propter septem corporis partes quas ungunt.*

Simeon Thessalonicensis istas illius numeri rationes & causas adducit.

Ibid. p. 382. col. 1. A. *Septem*, inquit, *esse vocandos Sacerdotes consuetudine traditum est: quod fieri arbitror propter dona septem Spiritus, quæ apud Isaiam enumerantur; vel propter illos septem antiquæ Legis Sacerdotes, qui divino jussu circumeuntes urbem Hierico, septies tubis cecinerunt, atque mœnia diruerunt: ut etiam hic septem Sacerdotes urbem, duraque mœnia altitudinum peccati demoliantur. Vel etiam tanquam mortua existente anima, ut suprà puerum illius Sunamitidis, adimitationem Prophetæ, sæpius orent Sacerdotes, & eam suscitent, prout sanè excitavit puerum Elisæus septies reversus, septies item precatus &c.*

Resp. 3. in Ecclesia quoque Latina plures aliquando Sacerdotes advocatos fuisse in administranda infirmis Unctione. Ita colligimus ex Libro Sacramentorum S. Gregorii p.253. apud Menardum. *Multi enim Sacerdotum*, inquit, *infirmos perungent insuper in quinque sensus.* Favent Codices Rotaldi, Tilianus, Remigio-Rhemensis; Scriptor vitæ Caroli Magni, qui refert eum oleo sancto inunctum fuisse ab Episcopis; Scriptor vitæ S. Osvaldi; S. ipse Thomas L.4. c. Gentes c.73. ubi sic

To. 11. p. 777. col. 2. A loquitur: *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento quòd multi Sacerdotes intersint, & quòd oratio totius Ecclesiæ effectum hujus Sacramenti coadjuvet.*

Colligimus denique ex testimonio Reyneri, qui refert Valdenses Sacramentum Unctionis ob multas rationes reprobasse, atque imprimis propter plures Sacerdotes ibi necessarios: quòd nempè abusus irrepsisset, ut plures illi qui pro more advocabantur Sacerdotes, pretium exigerent; unde promanaverat in vulgus hæc falsa opinio, Sacramentum istud dumtaxat divitum esse, qui sufficerent solvendo pretio quod plures illi exigebant ministri: quam eorum turpem rapacitatem & avaritiam repressere Odo Parisiensis in synodalibus Constitutionibus, Synodus Andegavensis an. 1283. Rhemensis & Trecensis initio sæculi decimi quinti, & Senonensis an.1524.

Quæres 4. quot modis Unctio illa extrema à pluribus Sacerdotibus administraretur.

Resp. pluribus. Aliquando unus oleum applicabat, altero formæ verba pronuntiante, ut in Libro Sacrament. S. Gregorii ex Codice Menardi, ex Codice Rotaldi: unde colligit ipse Menardus, ritum hunc favere opinioni eorum qui dicunt validum esse Baptismum, si uno verba proferente, alter mergat, aut aquam infundat. Sed immeritò ita colligit Menardus; alia enim est ratio Baptismi, alia hujus Sacramenti. Aliquando singuli ungebant easdem omnes corporis partes, & ungendo formam proferebant, ut in Codice Tiliano & Remigio-Rhemensi: quo casu non multiplex, sed unum erat Sacramentum ex illis omnibus unctionibus resultans. Aliquando unus unam partem, alter alteram ungebat, ut in Euchologio Græcorum: quisque enim ex septem Sacerdotibus legitur ungere distinctum organum vel membrum.

QUÆ-

# QUÆSTIO TERTIA.

*De subjecto cui administrari debet Sacramentum Extremæ unctionis.*

QUæres 1. quibus sit administranda Extrema unctio.

Resp. ex textu S. Jacobi minimè obscurum esse, quibus hoc Sacramentum sit impertiendum; ait enim: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo; & oratio fidei salvabit infirmum.* Solis igitur infirmis dandam esse Extremam unctionem persuasum semper habuit, & praxi sua confirmavit Ecclesia Occidentalis.

Non ita Orientalis, quæ sanos ac corpore vegetos inungit, perinde ac infirmos; adeo ut, ait Arcudius L. 5. de Extrema unctione cap. ultimo, *modò non pudeat passim Græcorum Presbyteros hoc oleum instar Sacramenti ex imperitia benevalentibus administrare.* Et antea cap. 4. relatis auctoribus Græcis qui contendunt Sacramentum istud peccatoribus, *tum sanis tum infirmis administrari posse*; subjungit: *Favet multum nominatis auctoribus auctoritas Euchologii, in quo non tantùm ægrotus, sed etiam sanus qui fit ungendus introducitur. Favet etiam præsens Græcorum consuetudo, quæ quidem viget non in aliquo angulo Græciæ, sed ubique passim, quam eandem retinet hac nostra ætate Ruscia, universaque Moscovia.* Ejusdem Græcorum usus meminit Goarius in suis notis ad Euchologium, sicut indicant ejus verba superiùs relata, ubi de materia remota Extremæ unctionis; & ipse pariter Leo Allatius L. 3. de consensione Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis c. 16. n. 3. *Non tantùm*, inquit, *infirmos, sed sanos quosque homines Extrema unctione, & sæpius Græci inungunt.*

P. 405. col. 1. C

P. 387. col. 2. B.

P. 1155.

Hanc esse Græcorum praxim certum est ac exploratum apud omnes: sed an illa unctio qua sanos passim inungunt, ab illis pro vero nostro habeatur Sacramento, non ita certum & extra controversiam positum videtur. Affirmat Arcudius, qui idcirco contra hunc Sacramenti abusum vehementer insurgit: è contra negat Goarius, molestè ferens quòd Arcudius suos propter eam unctionem duriùs exagitet, quæ mera videtur esse apud ipsos ceremonia, non verum nostrum Sacramentum, quæ Goarii sententia eò magis nobis arridet, quòd audivimus antea ex Innocentio I. nostros etiam Latinos oleo per Episcopum sanctificato usos fuisse ad morbos depellendos: nec tamen suspicari possumus, in ea unctione fuisse verum nostrum Sacramentum. Deinde vix intelligimus, quomodo Græci à Latinis nusquam reprehensi ea in parte fuerint, si pro certo habuissent unctionem illam, quam sanis promiscuè ac sæpiùs adhibeant, esse verum nostrum Sacramentum: siquidem nostris Latinis fuit semper persuasum, solos infirmos, juxta mentem & verba S. Jacobi, ac praxim Ecclesiæ constantem, ea unctione esse liniendos. Innocentius etenim IV. in Epistola ad Tusculanum Episcopum absolutè & simpliciter non reprehendit Græcos, quòd peccatores sanos inungerent, sed quòd in satisfactionem pœnitentiæ solam imperarent unctionem, qui certè abusus erat, & disciplinæ relaxatio manifesta.

To. 11. Conc. p. 613. n. 6.

Neque dicas 1. nec S. Jacobum, nec Conc. Trid. cùm asserunt infirmos ungendos esse, sanos excludere.

Namque ubi designatur Sacramenti alicujus speciale subjectum, aliud omne excludi censetur, præsertim cùm nullo alio exemplo & facto contra-

rio potest ostendi, alteri quàm designato subjecto datum esse Sacramentum. Atqui & à S. Jacobo, & à Conc. Trid. & à tota Traditione Latinæ Ecclesiæ homo infirmus designatur tanquam proprium hujus Sacramenti subjectum; & aliunde nullo exemplo potest ostendi, Latinam Ecclesiam hoc Sacramentum sanis ac benè valentibus administrasse; ergo ita homo infirmus designatur subjectum proprium illius, ut excludi censeatur sanus.

Nec dicas 2. in praxi Græcorum adesse materiam & formam, & ministrum Sacramenti.

Namque pariter & in ritu quo Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes olim Græci recipiebant, aderat materia, forma, & minister Confirmationis: nec tamen erat verum ac proprium Sacramentum quod dicitur Confirmatio. Quid ita? quia non erat idem operandi modus, non eadem mens atque intentio, tùm conferentium, tum percipientium eam exteriorem ceremoniam. Idem jam dici debet in præsenti negotio.

Nec denique dicas, unctionem illam quæ sanis adhibetur, à Græcis ipsis Sacramentum appellari.

Namque aut decepti sunt errore facti, vel etiam errore juris, recentiores illi Græci; aut dicendum ab illis improprio & latiori sensu unctionem hanc Sacramentum appellari.

Quæres 2. quibus infirmis administranda sit Extrema unctio: an illis tantùm qui jam jam morituri sunt; an illis etiam qui gravi morbo decumbunt, de quorum morte timetur, quamquam non ita proxima sit.

Resp. utrisque posse ac debere administrari.

Ac primò quidem infirmis in exitu seu in extremis positis dandum esse istud Sacramentum, demonstrat tùm praxis Ecclesiæ continua; tùm vel ipsa Extremæ unctionis, & Sacramenti exeuntium appellatio; tùm auctoritas Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. *Declaratur*, ait Synodus, *esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde Sacramentum exeuntium nuncupatur*. Tùm denique status ipse moribundi, qui majori indiget gratiæ auxilio quo præmuniri possit contra tentationes dæmonis, quæ tunc urgent vehementiùs. *Nullum enim tempus est*, ait eadem Synodus in præfatione de Sacramento Extremæ unctionis, *quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit*.

To. 14. Conc. p. 822.

Ibid. A.

Secundò, aliis pariter infirmis qui periculosè decumbunt, & de quorum morte timetur, quāquam non ita proxima videatur, administrā dum esse, demonstrat 1. auctoritas Conciliorum Florentini, & Tridentini. Florentinum in Decreto ait, *subjectum hujus Sacramenti esse infirmum, de cujus morte timetur*. Tridentin. loco mox citato, ait, *hanc unctionem infirmis adhibendam; illis verò præsertim qui videntur esse in exitu*, quæ particula *præsertim*, innuit aliis quoque infirmis, qui nondum sunt in exitu adhiberi posse.

To. 13. Conc. p. 518. C.

Demonstrat 2. praxis antiqua Ecclesiæ, quæ ex his tribus colligitur argumentis, tùm quòd Unctio ante Viaticum, quod nonnisi mente integra, & corpore non deficiente suscipi debet, ministraretur. In Rituali Parisiensi Eminentissimi Card. Noallii præscribitur, *ut quoties cum oleo infirmorum Viaticum ad ægrotum defertur, antequam æger Viaticum sumat, inungatur à Sacerdote*. Tum quòd unctio per septem dies repeteretur, id quod erga desperatos & penè sensu carentes obser-

vari

vari non potuisset. Tùm denique quòd aliqui in Ecclesia, aut sedentes, sive genuflexi, hoc Sacramentum suscepisse referantur. Horum trium varia exempla & probationes ex veteribus monumentis suppeditat eruditus P. Martenne Benedictinus L. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus c.7. art.2. quæ si doctissimo alioquin Estio perspecta fuissent, non scripsisset haud dubiè in 4. dist. 23. parag. 13. *perpetuo more Ecclesiæ*, *Extremam unctionem post Viaticum corporis Domini* administratam fuisse. Pa.294. col.2.h.

Eodem articulo n.9. & 10. idem P. Martenne observat duabus maximè de causis factum esse ut sæculo decimo tertio immutata fuerit hæc disciplina, atque solis infirmis extremum spiritum agentibus data sit nostra Unctio. Nempe 1. *falsa persuasio quæ nonnullos vulgi animo invaserat, non amplius post susceptam infirmorum Unctionem licere convalescentibus ad opus conjugale reverti, carnes comedere &c. Altera differendæ Unctionis occasio fuit avaritia, & cupiditas ministrorum, qui plura exigebant ab ungendis; adeo ut vix aliquando pauperes hujus Sacramenti participes fieri contingeret.* Marten. To.2.p.110.& seq.

Demonstrant 3. statuta Conciliorum. Rhemense an.1583. *Cavendum*, ait, *ne mors Unctionem præveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat.* To.15. Conc.p.898.C.

Burdigalense an.1583. tit.13. *Tamen*, inquit, *non eò usque differendum est, dum æger omnibus penè sensibus destitutus sit.* Ibid.p.957.C.

Bituricense an.1584. tit.28. Can.1. *Administretur*, inquit, *tempestivè à Sacerdote Extrema unctio olei sancti, ita ut Christianus mente adhuc integra Sacramenti efficaciam agnoscere possit.* Ibid.p.1097.C.

Idem antea decreverat Concilium Mediolanense I. sub sancto Carolo: *Extremæ unctionis Sacramentum*, ait, *curet Parochus, ut ægroto, dum integris est sensibus, adhibeatur.* Ibid.p.264.D.

Idem constat ex Lib.6. Capitularium Caroli magni cap.75. ibi enim dicitur sufficere ad ungendum infirmum, si *infirmitate depressus* ille sit, nondum fine vitæ perspecto. Idem ex Concilio Aquisgranatensi II. an.836. Can.5. ubi præcipitur Sacerdoti ungere eum quem *depressum infirmitate* noverit, etiamsi nondum urgentem vitæ illius finem perspexerit. Concilium pariter Moguntinum an.1549. c.34. requirit dumtaxat ut infirmus sit in mortis periculo. To.1. Capit.p.934. To.7. Conc.p.1611.D.

Inde est quòd Catechismus Concilii Trid. par.2. de Sacramento Extremæ unctionis n.18. asserat gravissimè peccare eos qui *illud tempus ægroti ungendi observare solent, cùm jam omni salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipiat. Constat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimùm valere, si ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque, & religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur.* Hæc omnia profectò monumenta ostendunt manifestè, quàm impudens sit Calvini calumnia dum scripsit Lib.4. Instit. cap.19.n.21. nos *non infirmos, sed semimortua cadavera* nostra *pinguedine inficere, cùm jam jam anima in primoribus labris laborat.* To.14. Conc.p.679.D. Pa.543.

IV. Idem evincit tùm manifesta ratio quam mox exposuit Catechismus Romanus, tùm & effectus Sacramenti. Namque alter ex effectibus Unctionis infirmorum, est restitutio corporeæ sanitatis; ergo potest conferri quando nondum desperata est sanitatis restauratio; aliàs frustrà conferretur ad hunc effectum consequendum homini jamjam morituro; quia Sacramentum non operatur hunc effectum per modum miraculi, sed operatur illum virtute ordinaria supernaturali, quæ naturales causas adjuvat.

Ex

Ex his inferes 1. non esse expectandam ultimam vitæ periodum, qua homo extremum agit spiritum, ut inungatur, sed præoccupandum esse istud tempus, cùm adhuc infirmus integris est sensibus. Rectè Synodus Lingonensis an. 1404. *Quia*, inquit, *hoc Sacramentum tunc datur cùm infirmitas mortalis videtur, propterea frequenter infirmi aliqui mortem dubitantes illud recusant recipere, vel differunt quantum possunt, & in tantùm quòd morte præventi recedunt absque Sacramenti receptione. Idcirco debent per omnes honestas vias induci ad recipiendum, & debet eis dici, quòd si recusent vel differant recipere, ex eo quòd contemnant Sacramentum, peccant mortaliter & graviter; & licèt dicant, quòd non faciant ex contemptu, debet tamen dubitari ne malignus spiritus eos extrahens in extremo decipiat. Dicendum etiam est eis, quòd non debent dubitare quòd per receptionem hujus Sacramenti veniat mors, verùm potius veniet utraque sanitas mentis & corporis, si devotè & dignè recipiant.*

Inferes 2. infirmis, qui levi aliqua laborant infirmitate, ex qua mors timeri probabiliter non possit, dandam non esse Unctionem extremam.

Inferes 3. nec eam dandam esse infantibus baptisatis, in quibus nullum est peccatum; est enim istud Sacramentum ad expungenda peccata destinatum, *Et si in peccatis fuerit*, ait S. Jacobus, *dimittentur ei*.

Inferes 4. nec dandam iis qui cùm sano sint corpore, vel probabile, vel certum vitæ periculum adeunt; v. g. qui mare transmissuri sunt, aut prælium commissuri, aut capite plectendi: quamvis enim illi omnes egeant præparatione ad mortem, non tamen pro illis, sed pro solis ægrotantibus institutum esse hoc Sacramentum *constat ex S. Jacobo*, ait hic Estius in 4. dist. 23. paragr. 13. Idem docet Catechismus Romanus. Ratio est, tùm quia in illis infirmitas mentis non significatur infirmitate corporis, cùm exhibeatur hoc Sacramentum tanquam medicina utriusque, ita ut animæ curatio per curationem corporis significetur, tùm quia institutio respicit id quod ordinarium est, nempe homines de morte periclitantes esse infirmos, non sanos. Unde Synodus Carnotensis anno 1526. prohibet *Extremam unctionem dari adultis sanis, quia eis nihil prodesset, cùm sit Sacramentum pro infirmis solis institutum.* Jam citatus P. Martenne L. 1. de ritibus c. 7. ar. 1. singularem esse causam ait, cur reis ultimo supplicio afficiendis non detur Extrema unctio, *quia nempe*, inquit, *publicis peccatoribus ac pœnitentibus illud denegabant antiqui, ut patet ex Innocentio I. Epistola ad Decentium. Nam pœnitentibus*, inquit, *istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?*

To. 2. p. 103.

Inferes 4. adhibendam esse Unctionem amentibus, furiosis, & arreptitiis, si dum sana mente erant, signa sinceræ ad Deum conversionis ostenderint, maximè si antea Sacramentum exoptassent ac postulassent: si tamen ejusmodi amentes & furiosi nulla haberent lucida intervalla, neque posset ipsis unctio administrari sine evidenti periculo irreverentiæ, satius foret eo in casu illos non inungi, cùm Sacramentum hoc non sit absolutè necessarium ad salutem.

Inferes 5. non esse denegandam iis Christianis qui subita vi morbi oppressi omni sensu destituuntur, nec suum de peccatis dolorem, ac Sacramenti desiderium significare possunt; eorum quippe perspecta pietas ac fides videtur non obscurum esse argumentum desiderii eorum, quod, si possent, demonstrarent. Vide quæ diximus in Tractatu de Pœnitentia, ubi de absolvendis ejusmodi moribundis loquebamur.

Infe-

Inferes denique, eam Unctionem non esse denegandam senibus qui præ decrepita senectute, quamvis nulla urgente infirmitate, in dies morituri creduntur; ipsa enim gravis & annosa senectus infirmitas est morti proxima. Ita jubet Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo titulo 6. secundæ partis. *Parochus*, inquit, *Extremæ unctionis Sacramentum sicut bis ministrare debet, adultis scilicet periculosè ægrotantibus, propeque moribundis, senio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris; ita istis ne ministret, nempe pueris rationis usu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis qui mox ultimo supplicio mulctandi sunt.* T. 15. Conc. p. 457. B.

# QUÆSTIO ULTIMA.

*De effectibus, & proprietatibus Unctionis extremæ, necessitate nimirum & iteratione.*

## ARTICULUS I.

*De effectibus Extremæ unctionis.*

Effectus Sacramenti Unctionis extremæ exponit Synodus Trid. Sess. 14. c. 2. his verbis. *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur* (S. Jacobi) *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: quia infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, faciliùs resistit; & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* T. 14. Conc. p. 821.

Ex quo testimonio Concilii habes, effectum primarium ad quem primò ac directè institutum est Sacramentum unctionis infirmorum, esse gratiam sanctificantem, in ordine ad fines aliquos & effectus proprios hujus Sacramenti, quos omnino esse quatuor ex eodem textu colligimus: nempe, remissionem peccatorum; abstersionem reliquiarum peccati; infirmi alleviationem seu levamen contra tædium, torporem, & incommoda infirmitatis; denique sanitatis corporeæ restitutionem. De his sic generatim expressis facilè consentiunt inter se omnes Catholici Theologi, verùm in exponendo unoquoque effectu, nonnihil discrepant atque dissentiunt.

Quæres itaque 1. an Sacramentum Extremæ unctionis peccata per se ac directè, an verò per accidens dumtaxat remittat.

Resp. 1. Dominicum Soto in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. cum aliis nonnullis Thomistis in ea esse opinione, per Unctionem extremam primariò, directè, ac per se, ut dicitur, non dimitti peccata quoad culpam, sed per accidens dumtaxat; quia gratia sanctificans quam infundit, compati non potest cum peccatis, præsertim lethalibus. Nomine igitur peccatorum, intelligit ille reliquias peccatorum; hoc est, ut ipse loquitur, *vestigia & cicatrices, quæ sunt pravæ habitudines, puta pronitas & proclivitas ad malum, & ineptitudo, torpor, languor & debilitas ad bonum operandum.* Intelligit etiam pœnam peccatis, quamquam ratione culpæ dimissis, debitam. Observa

obiter;

obiter, nullum ex tali opinione sequi in praxi detrimentum salutis animæ; siquidem Sacramentum saltem per accidens remittit peccata homini benè præparato: parùm verò refert quoad praxim, ad bonum & salutem spiritualem hominis, quod disputent Theologi, an Sacramentum primariò & per se, vel tantùm per accidens effectum illum producat, modò illum homo percipiat.

Resp. 2. Sacramentum Extremæ unctionis per se ac primariò, seu vi suæ institutionis, remittere peccata.

Patet, tùm ex verbis S. Jacobi, *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Tùm ex Concilio Tridentino mox citato, *Res hujus Sacramenti est gratia*, inquit, *Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergit*. Tùm ex forma ipsius Sacramenti, *Per istam unctionem, ac piissimam suam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum &c.* Tùm ex SS. Patribus antea citatis, qui unctionem infirmorum recensent inter Sacramenta quæ peccata dimittunt. At 1. nomine peccatorum hìc intelligi debent peccata propriè dicta ratione culpæ, non verò tantùm ratione pœnæ, vel aliarum reliquiarum quæ ex peccato sequuntur. Ratio est, quia in usu Scripturæ, à quo sine causa gravi recedere non licet, peccatorum nomine vera intelliguntur quoad culpam peccata. 2. Citata mox testimonia intelligi debent, non tantùm de dimissione per accidens, sed quæ sit propria, seu ex ipsa institutione hujus Sacramenti; alias frustra hunc effectum assignarent & adscriberent Extremæ unctioni, siquidem certum est alia etiam Sacramenta, quæ vivorum dicuntur, per accidens remittere peccata.

Nec te moveat quòd S. Jacobus conditionatè loquatur, *si in peccatis sit*. Namque 1. jam supra observavimus cum Estio, particulam *si* non semper significare conditionem rei incertæ, sed concessionem rei certæ & indubitatæ. 2. Dici potest non immeritò Apostolum particulam *si* apposuisse: cùm enim nostrum Sacramentum destinatum sit ad delenda etiam peccata mortalia, quæ superesse possunt, vel etiam non superesse, idcirco dicit Apostolus, *si in peccatis sit*: innuens quòd si nullum sit in homine, cùm Sacramentum istud percipit, peccatum mortale, tunc unctio, & gratiam auget, & venialia expungit, & reliquias abstergit peccati.

Quæres 2. an remissio peccati sit primarius effectus hujus Sacramenti.

Resp. affirmativè. Quia Sacramenta ad bonum spirituale supernaturale primariò ac per se ordinantur.

Quæres 3. an simplex sit ille primarius effectus: hoc est in una peccatorum remissione consistat; an in aliis duobus qui pariter ad bonum animæ spirituale ordinantur, nempe abstersione reliquiarum peccati, & allevatione infirmi.

P. 228. col. 1. A. B. Respondet Estius in 4. dist. 23. paragr. 4. hunc primarium effectum non esse simplicem, sed ex pluribus aggregatum, ex isto nimirum & duobus sequentibus: *quod satis*, inquit, *& ratio institutionis ejus requirit, & verba Concilii Tridentini indicant, quibus dicitur rem hujus Sacramenti esse gratiam Spiritus sancti, cujus unctio delicta & peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat &c. Hinc etiam generaliter mentis sanationem tanquam effectum, Extremæ unctioni tribuit Concilium Florentinum*.

Quæres 4. quænam peccata per se ac primariò dimittat nostrum Sacramentum: an venialia tantùm, an etiam mortalia.

Resp. non consentire ea de re inter se Theologos. Estius loco mox citato, cùm

cum multis aliis Thomistis, sola venialia, è contra Bellarminus, Maldonatus & alii etiam mortalia peccata directè ac per se à Sacramento Extremæ unctionis dimitti existimant, quæ postrema sententia vero magis proxima nobis videtur. Tùm quia generatim & indefinitè pronuntiat S. Jacobus, *Si in peccatis sit, remittentur ei*. Et Conc. Trid. *delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergit*. Tùm quia forma ipsa Sacramenti indefinitè quoque ait, *quidquid peccasti per visum &c.* & aliundè SS. Patres, cùm de effectu hujus Sacramenti loquuntur, non distingunt inter peccata venialia & mortalia. Nomine verò peccatorum & delictorum, mortalia, non minùs, quam venialia intelliguntur; imò & potiori jure. Quæ autem sint illa mortalia peccata in quæ vim suam exerit nostrum Sacramentum, explicat Bellarminus hic c. 8. ea nempe quæ interdum remanent post omnia alia Sacramenta. *Potest enim fieri*, inquit, *ut quis post confessionem & communionem in peccatum mortale incidat, & ignoret se eo peccato teneri; unde non poterit illud nova confessione expiare: potest etiam fieri ut confessionem & communionem non ritè peregerit, & hoc ipsum ignoret. Istæ igitur sunt veræ reliquiæ, quæ hoc Sacramento tolluntur, nisi quis ponat obicem*. Hoc ipsum docere videtur S. Th. Lib. 4. contra Gentes cap. 73. his verbis. *Contingit quòd homo omnium peccatorum quæ commisit notitiam vel memoriam non habet, ut possit per penitentiam singula expurgare, à quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari*. Et in Supplemento q. 30. art. 1. *Si invenit peccatum aliquod*, inquit, *vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis*. Denique S. Carolus Borromæus in Instructione de Extrema unctione sic loquitur: *Potest fieri, ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat: in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnandus*.

*To. 3. p. 489.*

*T. 14. p. 776. col. 2. E.*

*Act. Mediol. Eccl. T. 1. p. 449. col. 1.*

Dices: Ex communi Theologorum sententia duo tantùm sunt Sacramenta mortuorum, quæ nempe mortuis per lethale peccatum vitam gratiæ restituunt, Baptismus scilicet & Pœnitentia: cætera, inter quæ Extrema unctio, sunt Sacramenta vivorum, quæ per accidens tantùm dimittunt peccata mortalia, infundendo gratiam quæ cum illis compati non potest.

Respondet Sanbovius Tractatu de Sacramento Extremæ unctionis disput. 5. art. 1. duo quidem esse tantùm Sacramenta, quæ *ex prima intentione suæ institutionis* peccata mortalia dimittant, & quæ idcirco propriè vocantur Sacramenta mortuorum, Baptismum scilicet & Pœnitentiam: at Extremæ unctionis esse proprium, ut *ex secundaria intentione suæ institutionis* eadem peccata expurget. Verùm quænam sit illa secundaria intentio institutionis hujus Sacramenti, & quò tandem spectet ejus primaria intentio, non satis explicat ille Theologus, ac videtur ejus responsio recidere in aliam quam ipse tamen non admittit, nempe istud Sacramentum per se ac primariò remittere venialia, secundariò ac per accidens, mortalia: nisi velit hoc sensu ex secundaria dumtaxat intentione suæ institutionis, sacram unctionem remittere mortalia peccata, quòd sit instituta tanquam supplementum, perfectio ac consummatio pœnitentiæ.

Resp. itaque, in tribus maximè distingui Extremam unctionem ab aliis duobus, mortuorum, ut dicitur, Sacramentis. 1. Quia Baptismus & Pœnitentia ex sua institutione ac ordinaria lege, supponunt in subjecto seu homine pec-

ne peccatum mortale, sive originale, sive actuale; est enim hæc necessaria horum Sacramentorum materia, circa quam occupatur eorum efficacia: at Extrema unctio non supponit absolutè & necessariò peccatum aliquod mortale; unde S. Jacobus particulam conditionalem *si*, adhibuit, ut innueret, adhuc Sacramentum nostrum virtutem suam exerere, etsi nullum sit in homine cui datur, lethale peccatum. 2. Baptismus & Pœnitentia in hunc finem sunt à Christo instituta Sacramenta, ut illis homo sanus utatur in decursu vitæ suæ: at Extrema unctio pro infirmis in exitu positis, seu de quorum vita multùm timetur, instituta fuit; atque hoc postulabat, inquit Maldonatus Tractatu de Extrema unctione q. 2. analogia & natura Sacramenti. *Habent enim*, inquit, *Christiani tria Sacramenta: Baptismum, per quem generantur*
p. 389. A. *& nascuntur in Christo: Pœnitentiam, per quam resuscitantur Deo, qui mortui erant peccato, postquam in Christo nati erant: Unctionem extremam, per quam quasi per medicinam, qui fuerant jam suscitati per pœnitentiam, sed habebant aliquid reliquum peccatorum, quasi morbum, curarentur.* 3. Quia Baptismus & Pęnitentia non supponunt ante se alia Sacramenta, per quæ deleatur peccatum mortale, sive originale, sive actuale: at Extrema unctio ea supponit ante se Sacramenta, atque in Pęnitentiæ dumtaxat subsidium & defectum venit, ea reliqua peccata delens quæ per Pęnitentiam deleta non sunt.

At, inquiès, nonne Extrema unctio datur post absolutionem sacramentalem? Supponit igitur peccata remissa; non remittit. Ita certè, si verè remissa sunt, ea non remittit Extrema unctio: at si non sunt remissa, aut si post illa, novum aliquod commissum est peccatum, Extrema unctio vi sua illud dimittit, si homo sit, ut oportet, contritus: qua in contritione includitur semper votum seu desiderium subjiciendi per Pęnitentiam clavibus Ecclesiæ tale peccatum, si cognosceretur; atque ad hoc pręcipuè instituta est Extrema unctio.

Quæres 5. quisnam sit secundus Extremæ unctionis effectus.

Resp. ex citato textu Concilii Trid. secundum illum effectum in eo esse positum, ut abstergat reliquias peccati; hoc est, pęnam temporalem, pravas dispositiones ad peccatum, animi torporem, debilitatem, atque ineptitudinem ex originali vel actuali peccato provenientem, qua fit ut homo non ita sit promptus ac expeditus ad intuenda & meditanda cęlestia. Unde S. Augusti-
T. 8. p. 1002. G. nus L. ultimo de Trinitate c. 27. alloquens animam suam, *Quæ*, inquit, *causa est, cur acie fixa lucem illam incommutabilem videre non possis, nisi infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas?*

Si verò quæsieris an omnes illas peccati reliquias ita abstergat Extremæ unctionis gratia, ut nullæ remaneant.

Respondebo 1. esse Theologos qui asserunt eas (si debita pręcesserit dispositio) abstergi in ipso exitu, non verò cùm homo convalescit: quandoquidem, experientia teste, supersunt ferè in plerisque iidem pravi habitus, eadem infirmitas, idem languor.

Resp. 2. cum Estio, eas omnes reliquias non abstergi, cùm in hac mortali vita fieri id non possit; sed saltem hoc efficit Sacramenti gratia, *ut debilitatæ ac repres-*
P. 288. col. 1. C. *sæ, minùs impediant ægrotũ ab earum rerũ cogitatione, quæ ad ipsius salutem pertinent.*

Quæres 6. quisnam sit tertius effectus Extremæ unctionis.

Resp. esse alleviationem animæ ægrotantis, qua confirmatur, magnam in eo divi-

divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua & incommoda morbi leviùs ferat, & in spem melioris vitæ quadam interna consolatione perfusus erigatur, & diaboli calcaneo insidiantis tentationibus faciliùs resistat. Ita colligitur ex jam citatis verbis S. Jacobi & Concilii Tridentini.

Quæres 7. an sanitas corporis sit quoque effectus hujus Sacramenti, & quo modo producatur: an ex opere operato, an verò ex opere operantis.

Resp. ad primum, affirmativè. *Et oratio fidei salvabit infirmum*, ait S. Jacobus. *Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*, ait Conc. Trid. Quæ verba, *ubi saluti animæ expedierit*, ostendunt, non absolutum, sed conditionatum esse istum effectum. Alii & aliam conditionem apponunt, *nisi tam gravis sit morbus, ut ordo naturalis, quem Deus invertere ac mutare non tenetur, exigat talis infirmi mortem*, qua duplici conditione supposita, facile erit intelligere cur virtute & efficacia nostri Sacramenti non semper convalescant infirmi.

Ad secundum, Estius respondet Extremam unctionem non operari sanitatem corporis ex opere operato, sed ex opere operantis; unde concludit, respectu hujus effectus sacram unctionem non tam Sacramentum esse, quàm aliquid sacramentale, *cujusmodi est*, inquit, *aspersio aquæ benedictæ, &c.* P. 189. col. 2. B.

Alii respondent, quoties virtute Extremæ unctionis recuperatur sanitas, eam ex opere operato produci: ex quo minimè sequitur, quod aliqui opponunt, nempe sanitatem quæ producitur ex opere operato, debere semper à Sacramento produci in homine qui cum debita dispositione illud percipit. Namque cùm effectus iste conditionatus sit, non absolutus, secundarius, non primarius, necesse non est ut semper sequatur ex Sacramento, ubi nullus est obex ex parte suscipientis; sed satis est quòd ubi ponitur propter Sacramentum, virtute illius, hoc est ex opere operato ponatur. Quamquam verò contingat sæpius sanitatem restitui via naturali, per remedia naturalia, non idcirco deprimenda virtus Sacramenti, quæ remedia ipsa naturalia adjuvat & ad felicem perducit exitum.

## ARTICULUS II.

### *De proprietatibus Extremæ unctionis, necessitate, & iteratione.*

Quæres 1. an & quando necessaria sit Sacramenti Extremæ unctionis perceptio, an necessitate medii, aut præcepti divini vel ecclesiastici dumtaxat.

Resp. 1. certum esse apud omnes Theologos, Sacramentum istud non esse necessarium absolutè, & necessitate, ut vocant, medii, ad salutem æternam consequendam. Ratio est, quia lege ordinaria supponit gratiam justificantem jam infusam per Sacramentum Pœnitentiæ, cujus perfectio est ac consummatio.

Resp. 2. Estium in 4. dist. 23. parag. 15. cum aliis nonnullis docere, nullo præcepto aut divino aut ecclesiastico teneri Fideles ad percipiendum nostrum Sacramentum; ( modò absit omnis contemptus ) ac consequenter verba S. Jacobi, *Infirmatur quis in vobis &c.* interpretatur ille, non de præcepto, sed consilio & adhortatione. P. 296.

Resp. 3. Fideles, dum gravis & periculosa premit infirmitas, jure ac præcepto tùm divino, tùm ecclesiastico, teneri sacram infirmorum Unctionem percipere.

Prior pars probatur, tùm ex laudatis sæpius S. Jacobi verbis, quæ gratis & sine fundamento ad merum consilium seu exhortationem inflectuntur:

verba

verba enim hæc, *inducat Presbyteros*, imperantis sunt ac præcipientis, non consulentis tantùm & adhortantis. Tùm ex ipso effectu primario hujus Sacramenti, qui certè maximè necessarius est in lucta illa extrema quam infirmus à dæmone sustinendam habet: tunc enim necesse est vegetiorem esse animum, & magis ad cælestia erectum; tunc omnia mundana desideria exuenda & deponenda; tunc maximè (si unquam) anhelandum ad intimam cum Deo unionem, Apostolo dicente, *Cupio dissolvi & esse cum Christo*. Tum ex comparatione hujus Sacramenti cum Sacramento Confirmationis: sicut enim peccaret haud dubiè contra jus ac mandatum divinum, qui imminente persecutione, cùm necesse est fidem intrepido animo sustineri ac defendi, non curaret de percipiendo Confirmationis Sacramento; ita pariter & ille qui in periculo vitæ constitutus, non confugeret ad Unctionem sacram, cujus vi præmuniri debet adversùs ultimos, sed graviores dæmonis impetus. Tùm denique ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3. ubi ait nulla ratione audiendos esse qui docent Unctionem hanc *nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habere.... & à fidelibus sine peccato contemni posse*. Supponit igitur Synodus, esse Dei mandatum de sacra Unctione percipienda, nec posse sine gravi peccato contemni, quod expresse definit Can. 3. ejusdem Sessionis. Porrò qui recusaret, vel non curaret percipere sacram illam Unctionem, si non animo, saltem facto ipso censetur illam negligere, contemnere, ac parvi facere effectum ad quem illa destinatur; quæ certè animi dispositio pessima est, ac verum involvit contemptum. Unde Patres Concilii Coloniensis an. 1549. *Ecclesiastica sepultura eos privandos esse decernunt, qui infirmitatis suæ tempore unctionem sacram respuerint, ac contempserint*. Denique videtur hæc fuisse mens atque doctrina Concilii Cabilonensis II. an. 813. Can. 48. *Secundùm B. Apostoli Jacobi*, inquit, *documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent.*

To. 14. Conc. p. 823. A.

Ibid. p. 666. E.

To. 7. Conc. p. 1283.

Altera pars, præcepto nimirum ecclesiastico teneri Fideles periculosè decumbentes sacram infirmorum Unctionem percipere, probatur: tùm quia Ecclesia jubet ac vult id omne à suis observari, quod est jure ac præcepto divino necessarium: tùm quia de facto summa semper cura & sollicitudine commendavit istud Sacramentum, sicut facile est ostendere veteribus monumentis, ex Origene, Chrysostomo, Augustino, Innocentio I. Gregorio I. antea laudatis, quæ eadem sollicitudo ad subsequentes quoque ætates promanavit.

Narrat S. Bernardus in vita S. Malachiæ Hybernorum Pontificis, eum gravi dolore affectum fuisse, quòd mulier quædam, ad quam vocatus fuerat, exiisset è vivis, antequam sacro oleo perungi potuisset. Quæ fuerit S. Caroli ea de re sollicitudo, patet ex Concilio Mediolanensi V. parte 1. *Caveat*, inquit, *Parochus ne in eo Sacramento ministrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat. Alioquin si ad illius ministrationem accersitus ire neglexerit, cùm rationem Deo reddet, tùm pœna ab Episcopo graviter plectatur. Is porro ad omnem hujus Sacramenti in tempore administrandi diligentiam, præterquam quòd præcipuè cura sua, quæ sanctæ sollicitudinis plena est, officio valdè admodum perpetuo excitetur; proposito etiam sibi exemplo sanctissimi Episcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus est quòd culpa sua mulier quædam, Sacramenti hujus gratia fraudata, decesserit, ut totam noctem orando, gemendo, lacrymando consumpserit, lacrymarumque vi, quasi maximo imbre, pro oleo sancto, quod non mini-*

T. 15. Conc. p. 590. D.

*ministravit, mortuam perfuderit. Manè autem exaudivit Dominus Sanctum suum: ita ut illa è morte tanquam è somno excitata, è lecto sese erigens, Sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps à morbo convaluerit.* Denique mandatum illud ecclesiasticum probant manifestè omnes Ecclesiarum Rituales Libri, in quibus ritus administrandi hoc Sacramentum præscribitur. *Secundùm authoritatem canonicam,* ait Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus in suo Pœnitentiali, *ne illis* (infirmis) *janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti, secundùm statuta SS. Patrum, communione viatici reficiantur.*

Quæres 2. an Extrema unctio sæpius iterari possit, & ab eodē homine percipi.

Resp. 1. ea de re excitatam controversiam sæculo duodecimo, inter Gofridum Vindocinensem, Yvonem Carnotensem, qui negabant eam posse iterari, & Petrum Cluniacensem, Petrum Lombardum, Hugonem Victorinum, qui affirmabant, quæ posterior sententia sola prævaluit.

Resp. 2. olim etiam in eadem infirmitate eodemque statu positis, per septem dies repetitam fuisse unctionem. Ita fert Liber Sacramentorum S. Gregorii editionis Menardi pag. 253. *Deinde communicet eum corpore & sanguine Domini. Et sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione, quàm de alio officio.* Eundem ritum à pluribus Ritualibus Libris antiquissimis præscribi observat eruditus P. Martene L. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 7. art. 2. n. 5. pag. 109.

Resp. denique, jam à multis sæculis obtinuisse usum, ut nonnisi semel, homini in eadem infirmitate eodemque statu constituto, administretur Unctio extrema: à qua tamen infirmitate recreatus si postea in aliam aut similem inciderit, potest iterum inungi. *Quòd si infirmi,* ait Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. *post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum Sacramenti hujus subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Rationem affert S. Th. L. 4. c. Gentes c. 73. *Hujus Sacramenti inunctio,* inquit, *ordinatur ad sanandum: Medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.* To. 15. Conc. p. 822. T. 12. p. 777. col. 1. B. C.

Quæres denique, an, & quæ dispositiones requirantur in eo qui sacram percipit Unctionem.

Resp. 1. præviam requiri pœnitentiam & absolutionem sacramentalem. 2. si quis peccati alicujus mortalis sibi conscius est, quod non potest confiteri, debet de illo dolorem ac contritionem habere, cum voto seu desiderio illud confitendi, ubi facultas fuerit. 3. S. Thomas in Supplemento q. 32. art. 4. requirit actualem devotionem, unde danda est unctio cùm infirmus est adhuc integris sensibus; aut saltem ea requiritur devotio, quæ præcesserit, nec fuerit revocata, priusquam infirmus ille sensu & ratione fuerit destitutus.

Superesset ut hìc diceremus de ceremoniis quæ debent observari in administratione hujus Sacramenti; verùm de illis consulere quisque debet Librum Ritualem Ecclesiæ cui addictus est; & summa religione ac cura exequi quidquid in eo observandum præscribitur.

Atque hæc sufficiant de Sacramento Extremæ unctionis, in quo exponendo si quid nobis incautis minùs sanum aut rectum excidisse deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

F I N I S.

INDEX



# INDEX QUÆSTIONUM.



FINIS INDICIS.



